GERARDI CROESI HISTORIA QUAKERIANA, SIVE DE VULGO DICTIS...

Gerard Croese

Digitized by Google

10
9 5
36
BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
10
5 B
36
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XX. 1. 15
M. 2.

Digitized by Google

GERARDI CROESI
HISTORIA QUAKERIANA,

Sive

De vulgò dictis QUAKERIS,
Ab ortu illorum uſque ad recèns
natum ſchiſma,

LIBRI III.

In quibus præſertim agitur de ipſo-
rum præcipuis anteceſſoribus, & dogmatis
(ut & ſimilibus placitis aliorum hoc
tempore) factiſque, ac caſibus,
memorabilibus.



AMSTELODAMI,
Apud HENRICUM & Viduam
THEODORI BOOM. 1695.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Ampliſſimo & Magnifico
Viro,
NICOLAO WITSEN,
Conſuli ac Senatori
AMSTELODAMENSI,
variis Legationibus illuſtri,
S. P. D.

GER. CROESE.

QUæ duæ res *Ampliſſime ac magnifice Vir*, me poterant dehortari, eæ me ambæ invitant, & quodammodo incitant, Tibi ut auſim meum librum hunc non ſolùm offerre, ſed etiam nominatim dicare, tui nominis amplitudo, & hujus parvitas operis. Equidem, cùm certum ſit, cumque id illico libri oſtendat conſpectus, omnino opus novum eſſe quod adfero, & nempe opus eſſe haut ad-

eò magnum atque prolixum, putavi tibi meum incœptum non ingratum fore, propterea quod ut aliarum rerum, ita librorum novitas utplurimum viros inſignes delectat, & iiſdem, ut in dicendo breviloquentia, ita in ſcribendo ratio contracta ac compendiaria maximè placet, ut hinc natum priſcorum proverbium, *parvis adjuncta eſt gratia rebus.* Accedit, quod liber hic breviter tractat res, geſtas paſſim ac diutulè in eâ gente, atque in eô regnô, in quô regno nomine *Patrum patriæ*, apud potentiſſimos atque excelſiſſimos *Regem ac Reginam* (at Reginam quidem, talem, ac tantam, eheu! nuper fatô ineluctabili terris ereptam, de quâ extant hoc tempore tot rhetorum funebrium, eorumque diſertiſſimorum virorum, teſtimonia, cujuſque pro ſe, ſe, quantumcunque in narrandis exornandiſque hujus Reginæ virtutibus, omnes ingenii vires exhauſerint, tamen nequaquam veram illarum effigiem potuiſſe ſuis cogitationibus effingere, nedum ſuis auditoribus repræſentare. Quô nihil
de

de homine majus dici poteſt.) primus fuiſti Legatus, & porrò aliquandiu ſediſti Orator, quò *Regi* atque *Reginæ* inclytis, tuiſque deliciis, tot conſervatarum regionum populorumque gratulationem rite faceres, & illam veterem amicitiam conſociationemque inter utraſque nationes confirmares. Quo locô ac tempore cum fortè harum rerum quædam, non omnes ad tuam notitiam pervenere, poterit hic liber novus atque exiguus, verùm (ſit venia dicto) ἐν ἐπιτομῇ πολύμυθος, iſti deſiderio, quod eſt in te, quod in pleriſque, qui peregrè vivunt, aut veniunt, ut geſta in iis locis ſui aut proximi temporis, percognoſcant, ſatisfacere, exponendo quaſi in modicâ tabellâ, horum actorum initium, & progreſſum, & finem omnium. Aſt neque ita totam mei incœpti exprompſi cauſam. Non diffiteor *magnifice Vir*, ejuſmodi materiam eſſe hujus operis, quæ viris parum curioſis ſupervacanea poſſit videri, & eam methodum ſive viam eſſe, quæ facilè fieri poſſit, ut aliquibus non admodum peritis,

& naſutis ac dicaculis hominibus perquam exilis & tenuis appareat, ideo quod ſolâ relatione rerum ac veritate inſiſtens, ſtylô & oratione ſimplici, & indifferenti, & vacuâ omni affectu incedam, neque, quod magis vulgare, & plus probatur valetque in vulgus, ea, quæ pertinent ad religionem & mores illorum hominum, de quibus in hôc opere ago, facetè rideam, aut ſuperbè exibilem, atque ſcribendo proſcribam, neque, etiamſi ſint inter eos ipſos homines, qui adeò pravè animati ſunt erga nos, idcirco id iis retribuam, ac par pari referam, ut viſum nonnullis, illa ſic ſemper debere reciprocari. At verò quum non rarò accidit, ut qui ita temperatè ſcribunt, ab iſtiuſmodi hominibus neſcio quâ ſuſpicione ſubleſtæ fidei aſpergantur, utique in hôc mihi aliquod fuit quærendum perfugium ac patrocinium; id quod credidi præcipuè eſſe poſitum in te *Vir ampliſſime*, qui, quid in tanta ſcriptorum copiâ, & ſcribendi prurigine, potiſſimum ſcribi conducat, quid tali ſcribendi generi

hiſto-

Digitized by Google

hiſtorico debeat eſſe propoſitum, & quid religio præterea, quid interea natura & vis humanitatis poſtulent ac requirant, ita noſti, ut qui optimè. Et quoniam in hunc ſermonem incidi, utinam nunc ea temporum conditio non eſſet, non hæc triſtis nota ſeculi, uti tam multi eſſent mortales, ita à charitate ac modeſtiâ alieni ac deſtituti, & iſtâ impotentiâ & effrænatione animorum perciti, ut ubi aliquam in religione heterodoxiam, cumprimis ubi hæreſin, cernunt, aut cenſent, eſſe, exiſtimarent, protinus religioni propriam eſſe hominum irriſionem, inſectationem, afflictionemque; quidam, per vim, per arma ac ferrum, per carceres ac vincula, per cruciatus & tormenta, per ipſas mortes tetras ac diras, præciſionem ſive aphæreſin oportere eſſe, neque aliter (namque ſic argutantur) bonum eccleſiaſticum & politicum, neque fidem divinam atque humanam conſiſtere. Profectò non videremus in tot eccleſias Reformatas, tot centena millia Chriſtianorum, inventos illatoſ-

Digitized by Google

que tantos, tam nefarios & impios impetus, tantas, tam luctuoſas, etiam audientibus, imò inauditas, calamitates atque ſtrages, illamque, ſi pote, extirpationem, & exitium atque interitum, ab his, qui nomine Chriſtiani ac catholici, re religionis veræ inimici & hoſtes infenſi acerbiſſimique exiſtunt. Plus dicam. Utinam non quandoque etiam aliorum, illorumque, qui ſe à papiſmo ſegregaverunt, ea intemperantia foret, ut, ubi nulla hæreſis ſit, ubi nullus error capitalis, ubi neque tantillum diſcrepantiæ, ubi dictorum verborumque duntaxat diſſenſio, & in ipſis rebus conſenſio ſit, illic continuò conſpiciatur animorum diſtractio, tollaturque conſortio, & ſequatur ſequela partium; utque hi, quibus id ægre eſt, qui fugitant, qui memores humanæ imbecillitatis, & ſui ſibi divinitus mandati officii, & uni Domino Jeſu Chriſto affixi inædificatique, quæ ſunt tolerabilia, ferunt, & ſtudent paci atque concordiæ, & omne nomen humanum oderunt in eccleſiâ, neque quas cupiunt partes facere

aut

aut ſequi, tanquam ignari, aut ignavi, qui ſe non reſpiciunt, denotentur. Prorſus quaſi nunc nova ſecta ſit, eſſe medium ac neutrarum partium, & illa revocetur lex Solonis, quæ jubebat *puniri, qui in ſeditione ſe neutri parti addixiſſet*. Qui homines φίλαυτοι, τετυφωμένοι, ſui amantes, turgidi (ut S. eos Scriptura appellat) quin turbidi & æſtuoſi (neque hîc abeo à noſtri ſacratiſſimi Codicis nominibus) quum tantos fluctus excitant in ſimpulô, quas non tempeſtates fuerint concitaturi in Ægæo? Verùm de hoc ſat multum prudentibus, nimium tibi viro ſapientiſſimo. Illud adhuc neceſſariò videor eſſe dicturus, forſan futuros æquos æſtimatores & judices hujus operis, qui, quò operi major ſit fides, velint, ut identidem allegem, aut appingam in marginibus, auctores ac teſtimonia, quibus nixus ſingulas res noto. Qui viri cùm non abſque ratione hoc cogitent, ſibi reſponſum hoc habeant. Si id non agam, me in eô non recedere à conſuetudine hiſtoricorum in omni tempore. Neque verò ſemper opus

eſſe, ut quis ſibi hôc pactô fidem præſtruat, non quum ſuæ fidei ſibi eſt conſcius, neque quicquam eſt quod eam ei derogat aut diminuit. Nolui autem in hôc opere, quod non minùs brevitate quàm veritate volui eſſe commendatum, ſic indeſinenter filum orationis abrumpere, lectoremve extra ordinem ducere ac tardare. Verùm neque ſemper hujuſmodi teſtimonia omitto. Cæteroquin liquet mihí affirmare, nullam in totô opere eſſe rem, quæ ſit alicujus momenti, quæ non geſta ſit in propatulo, videlicet aut in præſentiâ hominum, aut in judiciis ſolenniter habitis, etiam cum acceſſu populari; & quæ non uſurpata ſit crebris ſermonibus multorum, & plana facta ſummis magiſtratibus, & deſcripta typis, & divulgata ad memoriam abſentium & poſteritatis. Nam quod attinet ad res alias, eas non multas refero, & ſi quas etiam, narro ſic, ut ſtatuam certum credendi modum. Sed & de hôc ſatis. Quare ut redeam ad te *ampliſſime ac magnifice Vir*, poſtremò ratio, ob quam tibi librum hunc oblatum ac dedicatum eam, hæc eſt,

ut

ut extet qualecunque teſtimonium, non quidem notitiæ, quæ quouſque ſpatium præteriti temporis queam reminiſci, tecum mihi interceſſit, ſed illius benevolentiæ, quâ me uſquequaque es proſecutus, & illorum beneficiorum, quæ domi foriſque tu mihi impertiri tibi glorioſum duxiſti, ego mihi & fas & honorificum exiſtimabam eſſe, ultro oblata accipere, minimeque dedignari, ac proinde mei erga te grati & dediti & promptiſſimi animi. Cæterum quanquam mihi heic magnam opportunitatem dari video exſpatiandi in præconium tui nominis, tamen de eô diſcedam, ne videar in hôc, aut parum concinnus laudator, aut, quod turpe, adulator. Præterquam quod dudum ea tui nominis ſit exiſtimatio atque celebritas apud omnes, ut meâ prædicatione meóque honeſtamentô non indigeas, & me tacente ipſæ loquantur res. Nam ut nil dicam de tui virtutibus animi, ut quæ, etſi raræ, præſertim in tam propitiâ ac blandâ fortuna, non ita omnibus ſunt conſpicuæ, & magis ſunt privatæ, ſanè loquuntur

pa-

palàm, quæ tuæ ſint virtutes ac decora, quæ vulgò vocabulô ingenii & doctrinæ appellantur, tua præclara monumenta, partim, etiam in vernante ætate, edita, partim etiamdum latitantia in tuô interiori ac ſecretô muſæô, quæ nemo eſt virorum eruditorum, qui vidit, aut novit, quin ita probat, ut ad editorum dignitatem accedant, ac ſimiliter exire mereantur. Qualis autem ac quanta tua ſit in omni conſilii genere ſolertia, quanta rerum gerendarum induſtria, quanta geſtarum gravitas, loquuntur tot munera ac negotia tua ſuſcepta, & pro Urbis, & pro Reip. univerſæ, cum maximô earum emolumento, tum in bellô, tum in pace, tam in togâ, quàm in ſagô. Et declarant variæ legationes, pro communi obitæ ad reges ac principes Europæos, cum eô ipſorum plauſu, qui non niſi optimis & optatiſſimis viris ſolet dari. Teſtanturque ſubinde iſti cœtus virorum eminentium regimine, quibus aſſiduè coöptaris, quibuſcum tua reſponſa aut juſſa miſces. Neque

præ-

prætermittenda ea Societas, cujus rectioni in hoc angulô, ſed & ocello terrarum, ſubjacet fermè quicquid ſol oriens adſpicit, cui itidem es præfectus, ut jam iſtæ remotiſſimæ atque ultimæ gentes tuum quoque reſonent nomen. Teſtantur verò inprimis curia & ordo ſenatorius lectiſſimus tuæ, ut & meæ, patriæ urbis dicam? an orbis in urbe? dum juxta ſuum, ſuorumque civium omnium, in te amorem flagrantiſſimum, propter tua erga ſe merita, te ſibi & adſcripſere conſiliarium, & aſcivere, & totiens recreavere, conſulem, & nunc hôc annô denuo tibi iſtos faſces conſulares concredidere, ſic tamen ut tu ſplendorem hunc non primus in tuam familiam intuleris (quanquam hoc ipſum ingenti honori eſſet) ſed ut paternum, uti avitum, ſicuti hæreditarium, atque hoc magis tibi debitum, in tuâ domo continuâris. Verùm non detinebo te amplius *amplisſime ac magnifice Vir*, ſciens, ſolùm operis ſubſequentis præfationem, aut nuncupationem, eſſe hanc, & in omni ſermone modum lo-

Digitized by Google

quendi eſſe, non qui dicit, ſed qui audit. Igitur tibi opus hoc ſiſto, neque tuam, neque cujuſquam laudem expetens, ſed neque vituperium alicujus non multùm ingenii, aut ingenuæ indolis, extimeſcens. Deus opt. max. te diu ſervet incolumem, & dum ejus nomine præes, & ejus numini ſubes, ac pares, cumulet, etiam atque etiam, *omni benedictione, ſpirituali, in cœleſtibus, in Chriſto.*

Digitized by Google

Reverendo admodum

Viro,

GERARDO CROESIO,

Cum hiſtoriam, quam vocat, Quakerianam luci exponeret.

O Inſularum gloria, plurimas
Experta turbas! O variantibus
Subjecta fatis, & tremendi
Tot furiis agitata belli,

Britanna tellus; diſſidiis quoque
Sanctam tuorum dilacerans fidem:
Ut volvit, incertoſque longè
Oceanus glomerat furores

Vicinus acri turbine fluctuum,
Verſas frequenter fluxa ſubis vices.
Exempla non vanis ſuperſunt
Indiciis. Memoret vetuſtas

Inſcripta faſtis. Relligio gemet
Divulſa ſectis. En ſpecimen recens.
En callidos Foxi ſequaces,
Quos Tremulos patrio vocavit

Ser-

Digitized by Google

Sermone judex Derbiacæ domus,
Enthuſiaſtas, inſolito genus
Quod ſpiritu raptum piorum
Chriſtiadum ſtupuere turmæ.

Horum involutas narrat origines,
Qui jure primas Croeſius hic tenet,
Latéque diviſum diſertis
Proſequitur populum papyris.

Vel digna tanto ſæcla Saturnia,
O ſi redirent illa! forent viro:
Vel dignior natas recenter
Croeſius incoluiſſe terras.

ADRIANUS REELAND.

G 2.

Digitized by Google

GERARDI CROESI HISTORIÆ QUAKERIANÆ

LIBER PRIMUS.

Argumentum Libri.

Totius operis origo & ſcopus. Nomen Quakerorum. item Enthuſiaſtarum. Qualem antiquitatem hi homines ſibi tribuant. Eorum ſententia de doctrina patrum. deque eccleſiæ reformatione. Ipſorum patria Anglia. Primus auctor & princeps G. Foxus. Ejus ætas puerilis. ſtudia juvenilia. Foxus ſutor. Amor Foxi erga Scripturam S. Vox ad eum cœleſtis. Ipſius conatus. Erigit ſe ad ſpem miniſterii ſacri. Ejus perpetua expoſtulatio cum verbi præconibus. Munus concionandi aggreditur. Hominum ad eum confluxus. Rapitur Notthingamiæ in carcerem. Eccleſiæ Quakerorum naſcentis miracula. Simplicitas illorum humana. Foxus detruſus in ergaſtulum Derbiæ. Illic ſectæ inditum nomen Quakero-

Digitized by

kerorum. Foxus ſolicitatur ad ingrediendum militiam. ejus ad id oratio. Foxi in concionando perſeverantia. Illius prima e plurimis ad ſuos epiſtola. Eliſabeth Hooton prima inter mulieres concionatrix. Qui ſe Foxo primi ſtitere diſcipulos ac collegas. Cujus generis homines ſe præcipue ad Quakeros aggregaverunt. Foxi patronus Fellus; cujus uxor, poſt nupta Foxo, tranſit cum tota familia in ſocietatem Quakerorum. Alii Foxi diſcipuli. Quakerorum ſecta diſperſa per plagas ſeptentrionales. Rurſus alii Foxi ſocii. Upjohannis rara hiſtoria. Burrougius petit Londinum. Illius cum athletis Londinenſibus congreſſus, ad eoſque oratio, & eventus. Foxus deductus ad Cromwellum. Cromwelli erga Quakeros affectio. Quakerorum inter ſe circumſpectio. Novi Foxi ſocii. Quakerorum in Hiberniam adventus. & in Scotiam. Cauſæ tantorum progreſſuum. Quakerorum odium in Anglos Epiſcopales. erga Presbyterianos. adverſus alios. contra miniſtros verbi. de cunctis Proteſtantibus judicium. Quakerorum doctrina, ac ſpecialia dogmata, & vita ac converſatio. Quamobrem tanta hominum ad eos acceſſio. Populi erga illos invidia & vexatio unde. Genera perſecutionum. Exempla ſingularia. Quorundam Quakerorum inſignis audacia & impudentia, & hinc hominum in eos impetus. Nayloris hiſtoria. Hæc ad obitum Cromwelli. Nova inſectationum ſpecimina. Res Quakerorum in Scotia. In Hibernia.

Cum

Digitized by Google

CUm multa ac magna certamina ſunt eccleſiæ, quandiu verſatur in hoc mundo, tum non aliud perinde uſitatum, atque etiam difficile & arduum, quam quod pro ſuæ religionis veritate contra ſuorum adverſariorum falſitatem, junctam cum petulantia atque impudentia, cogitur ſubire. Cujus rei ratio non poteſt eſſe obſcura cogitanti, ſtudioſos veritatis traditæ à Deo neque poſſe, neque debere eam abſcondere, neque conticeſcere, quo Deum laudent ac celebrent, eos autem qui falſitatem amant ac colunt, quo ſuis cupiditatibus ac commodis inſerviant, & quicquid expediat conſequantur, neque ſolere, neque velle, quin ſua inventa atque inſtituta defendant ac propagent, & aliorum doctrinam piam ac honeſtam, ut ſibi nimis contrariam, inſimulent & obtrectent & oppugnent, intermittere. Jam & hoc notum, veritatem, ut per ſe claram ac manifeſtam, ſuo ſolius inditio contentam eſſe, & candide & aperte & ſimpliciter agere; ſalſitatem vero ac mendacium, cum nihil ſolidi, nil roboris ac virium habeat, multiloquum eſſe, & glorioſum, & blandum, & mille technis & aſtutiis & offuciis incedere, & imperitos & incautos ſuis inſidiis atque illecebris irretire, & quoque interdum providos, & qui norunt alias ſibi cavere, circumvenire, iiſque plurimum negotii faceſſere. Cæte-

Digitized by Google

terum tametſi ſemper querulum de ſuorum iniquitate temporum humanum genus, ſemperque omnes laudamus ſuperiora, noſtra damnamus tempora, tamen revera nos ea nunc vivere tempora, in quibus cunctæ in veram religionem falſitates atque fallaciæ, cunctæ hæreſes veſanæ ac diræ, cunctæ horrendæ & nefariæ ac nefandæ blaſphemiæ eruperunt, atque eccleſiam veluti inundaverunt, neminem latere poteſt. Prorſus ut eccleſia nunc non minus cum amentibus & fatuis vaniſque ac prophanis hominibus de ſuæ religionis integritate, quam de ſua libertate & aris ac focis cum armatis & ſævis atque ſanguinariis hoſtibus, tanquam homines, non tanquam cum hominibus, at cum belluis, opus habeat certare ac dimicare. Sed nulla tanta ægritudo atque ærumna eccleſiæ Dei vivi cui non ſolatium & levamen intercedit. Quare cum ea ſit conditio, hæc ſors eccleſiæ, hiſce duris temporibus, & hæc magna illius felicitas, quod his ipſis temporibus tam multi periti ac ſtrenui viri ad hoc ſe excitarunt, ut ſeſe tam multis, partim inſcitis & ſtolidis & impiis opinionibus, partim ſummæ dementiæ atque furoris agitationibus execrandis, qua voce, qua crlamo, opponerent, adeoque eccleſiæ laboranti manus porrigerent, ac non ſibi cavendi tantum, ſuos etiam convincendi ac debellandi inimicos, ſcientiam & inſtrumenta atque arma ſpiritualia miniſtrarent ſuppeditarentque.

Digitized by Google

que. Qua in re plerique ita laboraverunt, ut ſolum geſta ac dogmata prodigioſa, prodita ab inventoribus ac machinatoribus illis, narrando diſcuſſerint, rati, id ipſum eſſe ea profligare aut confodere. Quod cum ita ſit, neſcio illud quid ſit, à tanto tempore non modo minime multos, ſed propemodum nullos uſque in hunc diem extitiſſe, qui de vulgo dictis *Quakeris*, ortis necdum medio hujus ſeculi elapſo, atque inde adeo, illo exiguo ſpatio temporis, auctis, & omnino latius opinione diſperſis, illis hominibus inquam, viſis, aliis quidem inſulſis, aut anili ſuperſtitione imbutis, aliis vero fanaticorum peſſimis, aut furioſorum lymphatorumque ſimillimis, vel quicquam commemoraverunt, nedum illorum hiſtoriam condiderunt, vel, ſi quid de iis mandaverunt memoriæ, non ita ſuam in eo operam collocaverunt, ut appareat, magis ſuam inſcitiam animique imbecillitatem, quam horum hominum acta, & eventa, & doctrinam, & religionem, vitæque rationem ſuis monumentis prodidiſſe. Niſi ſi hoc ſit, quod illi, qui nihil voluere de his hominibus ſcribere, ex quo cognorint, eo eos loco habuerint, ut cenſerent, re nihili habendos eſſe, & potius quam aliquid eſſet de iis referendum, eſſe cum hoc neglectu ac deſpicientia mittendos, dimittendoſque ad agnatos atque gentiles: qui vero parum ac perperam, cum ipſi quodnam hoc hominum genus ſit, neſcirent, & non-

nihil de illis, ut de portentis ac prodigiis hominum audiviſſent, maluerint, quam nihil, qualiacunque audita narrare, quæ ſi vera eſſent, bene caderent, ſin falſa, inciderent in eos, de quibus nihil adeo turpe dici poſſe exiſtimabant, quod non apte in illos quadret. Atqui mihi ſic videtur, cum horum hominum patria Anglia, & item Scotia, atque Hibernia, abundent iis hominibus, cumque creſcat in iiſdem regionibus indies ipſorum numerus, cum & alibi quotidie ab ſe gignant ac propagent alios, cum huc omnes ſua conferant omnia, & cum hac intentione dudum ſua, non parva opuſcula duntaxat, verum ingentia volumina, diu & multis lucubrationibus commentata, ſcribant edantque, & eadem verbis probe exarent exornentque; imo cum videamus, etiam alios novatores, imo non prava ingenia, propterea quod arbitrantur ſe ſuam in hominibus hiſce imaginem cernere, eos amplecti ut fratres, aut cognatos atque affines (quales *Quietiſtæ*, non ita pridem procreati in Italiæ parte Campana, & *Pietiſtæ*, nuper prognati in Germania, de quibus, non tam Quietiſtis, quam Pietiſtis certum, eos indidem in noſtrate quoque regione, ſe inſinuare & influere in plurimorum pectora mortalium) denique cum incertum ſit, quorſum iſti homines tandem evadant; prorſus opus eſſe, qui illi homines ſint, quæ res ab iis geſtæ, quibus initiis,

qui-

Digitized by Google

quibus progreſſibus, & quæ ſint ipſorum decreta ſive dogmata, quæ hucuſque in longa obſcuritate latuerunt, aperiri atque oſtendi. Videtur autem illud nunc temporis facere neceſſe eſſe, dum recens eſt harum rerum omnium memoria, ne hac ſublata ſcilicet tempore procedente, ac nullius recordatione ſuperſtite, quæ de illis, quæ anteceſſerunt, queat atteſtari, de factis atque placitis illorum virorum maneat anceps quæſtio & controverſia, & inquiſitio atque inveſtigatio veritatis, neu iſti, qui de ullo ex his negotiis vellent contendere, de eo, more Andabatarum, occluſis luminibus decertent ac digladientur; cujuſmodi exempla, nata ex hujuſmodi defectu, varia videri licet in eccleſia, & vetere, & recentiori. Itaque ergo quoniam mihi contigit à longo tempore, in non uno loco, multum cum hiſce hominibus, nempe Quakeris, & eſſe & loqui familiariter, multaque ex iis, & quidem illorum antiſtitibus, atque inſuper ex aliis noſtriſque hominibus, quibus horum Quakerorum facta fuerunt, & adhuc ſunt nota ac perſpecta, cognoſcere; præterquam quod non pauca monumenta, ſcripta ab his viris, & partim etiam, partim nondum edita, in meas pervenerunt manus, quæ proinde non ita cognita ſunt, aut obvia omnibus, putavi me operæ pretium facturum, & ad præſentis temporis rationem, & ad utilitatem poſteritatis, ſi de

Digitized by Google

hac materia perſcriberem. Quod dum faciam, ſic agam, ut cuncta animo luſtrans, tantum ea notem omnia, idque breviter ſtrictimque, quæ ad conficiendum argumentum hoc videbuntur conducere, utque nil quicquam exiſtimationi præſumptæ, aut præcipitantiæ, aut ſtudio partium, aut aliquibus affectibus tribuam, ac omnino, quales hi homines ſint, ac quid ſit habendum de eorundem actis, ut & ſacris, ſcitiſque, ac moribus, uniuſcujuſque judicio relinquam. Hi homines nominantur *Quakeri*. Quod vocabulum, Anglice dictum, ſignificat *Tremulos*. Id nomen inditum ab inimicis irriſoribus ad ignominiam ac contemptionem, tanquam ſi tempore illo, quo ad contemplanda cœleſtia vacant, eo momento, quo divino numine corripiuntur, motione mentis, corporiſque agitatione, toti tremerent, ac ſe in humum dejicerent, ſæpe & ſpumam emitterent, & horriſono clamore inter ſe reboarent. Quod nominis morumque convitium atque opprobrium ut illi longe à ſe arcent & averſantur, ita & nomenclaturam illam, & rem ipſam, adeo non refugiunt ac deteſtantur, ut rentur utramque, ſano ſenſu, ſuo quodammodo jure, in ſe convenire. Et fatentur enim ſe eſſe tremulos, neque diffitentur, dum ſuis operantur ſacris, dum id agunt tantum, quo ſe Deo ſubmittant, dum ſic otioſe ac quiete pendent penitus à Deo, dum intrin-

ſe-

Digitized by Google

ſecus tacite orant Deum divinum Spiritum, illiuſque afflatum atque operationem, verum tamen interdum quoque cum multis ſuſpiriis magnoque cum gemitu, dum donum hoc ſupernum enixiſſime præſtolantur, ſe, quum Spiritus ſupervenit, ſæpe intremere, & ferri magna commotione mentis, & corporis perturbatione, propter reſiſtentem repugnantemque carnis affectionem atque vitioſitatem, & poſtquam redeunt ad ſe, & ſe recolligunt, ſentiuntque Spiritus illuſtramenta & oblectamenta, jam ſupervenienti lætitiæ vix poſſe temperare, & hinc ſequi quandoque tremulos modos animi ac corporis. Et ſic ajunt Spiritum Sanctum in ſuis ſacris oraculis pios in Deum, & ſtudioſos ipſius Spiritus, & verbi illius cupidos appellare tremulos, & jubere eos tales eſſe, & ſi ſint, prædicare beatos. Quamobrem quoniam hi ipſi homines adeo illud nomen non reſpuunt, ut etiam rite acceptum, ducant honorificum, ego quoque non dubitabo nonnunquam eodem vocabulo, quo eos denotem ac diſtinguam, inſignire, cumprimis quia nondum ſuum nomen & proprium vocabulum habent, quo ab aliis diſtinguantur. Aliud nomen, quod indi ſolet his hominibus, eſt nomen *Enthuſiaſtarum*. Cui illud accedit, quod multi eos annumerant illis Enthuſiaſtis, quos & inter veteres Chriſtianos, & ſuperiori ſeculo fuiſſe teſtantur hiſtoriæ illorum temporum. Verum

horum quidem iſti homines alterum indignum, alterum nequaquam putant ferendum. Nam præterquam quod illud nomen ſæpe injurioſe datum ſit illis doctoribus, quos hi, qui ſic cavillantur, putant maxime honorandos, & idem etiamdum alicubi detur his ipſis, qui id dant aliis, illi ſic reſpondent: utique tale nomen cedere in dedecus ac probrum omnium Chriſtianorum, utpote de quibus omnibus ipſe Spiritus ait in Scriptura, eos afflari Spiritu Dei, & ita afflari debere docet, ut ſine eo nemo Chriſti eſſe poſſit. Jam cum illi antiqui & recentiores Enthuſiaſtæ, ita appellati, ſibi ſolis arrogabant ſpiritum aliquem familiarem, & contra ſancti Spiritus dictamen, interdum ad turbas & ſeditiones, & bella ipſa prorumperent, hi homines, quo ſpiritu ſe dicunt agi, illum faciunt communem omnibus vere Chriſtianis, & adeo ab inferendo malo abſunt, ut vel vim vi repellere recuſent, & ullam ſui defenſionem juſtam eſſe negent, niſi quæ verbis ſuſcipitur, atque etiam iraſci vetent. Etenim eſt hoc ſolenne omnibus, etiam qui omnino novam viam rationemque doctrinæ ac vitæ comminiſcuntur, ut quamvis noviſſima ſint, quæ tradunt atque obſervant, tamen eadem velint & jactent ab longa atque ultima antiquitate repetita, propterea quod, etſi veritati nemo poteſt præſcribere, neque id bonitati præripere, ne, ideo quod recens ſit, ſit laudanda, nihilominus

minus

minus ea, quæ antiquiora ſunt, fere veriora ac meliora eſſe conſueverunt, atque ea, quæ in ſe ſincera ac recta ſunt, à vetuſtate ac conſuetudine ſibi majorem laudem commendationemque mutuantur. Et hi Quakeri igitur ſuum nomen (quanquam de nomine parum ſunt ſoliciti) & doctrinam, & religionem vivendique modum, & habere & auſpicari ſe affirmant ab ipſo Deo, quem ſua ipſius eloquia vocant antiquum diebus, & niti hæc verbo divinitus edito, ac poſtmodum ſcripto à ſanctis Dei viris, ſive S. Scriptura, quæ prima origo & radix & norma omnis veritatis. Jam & priſcos patres appellant, ceu ſenſum illorum librorum, quos habemus ſacros & regales ac regulares, ſuo teſtimonio ac conſenſu referentes, atque eadem, quæ hi ipſi homines velle ſe cum Scriptura ſacra adſtruunt, aſſerentes. Patres cum dico, ſequor non horum, at noſtrorum hominum conſuetudinem ac loquelam, quippe illi talia nomina hautquaquam admittunt. Per hos autem patres intelligunt potiſſimum eos, qui primo ac ſecundo ſeculo ab exitu Servatoris extiterunt. Ita enim volunt, intantum ſingulos è patribus magis incorrupte & integre eadem cum illis viris ſanctis, qui nobis ſacra illa volumina reliquerunt, docuiſſe, inquantum ætate propius ad eoſdem eccleſiæ Chriſtianæ optimates acceſſerunt; cæteroquin quanto plus receſſerunt, tanto plus de eorum ſinceritate im-

Digitized by Google

imminutos fuiſſe, veluti aquæ, quo longiore intervallo à ſua ſcaturigine decurrunt, hoc lutulentiores ſolent fluere. Quocirca illos patres ſive doctores, qui ſeculis inſequentibus vixerunt, neque tantopere curant, & ultro id verum eſſe concedunt, multa in eorum ſcriptis ac moribus reperiri, quæ poſſunt juſto judicio, nulla temeritate, ſperni ac rejici, neque eos allegant, niſi ubi credunt ad rem ſuam valde pertinere. Quamobrem cum illi quidem, quibus hi homines necdum ſunt noti, aut ſuſpecti inviſive, eos paſſim illis nominibus novis atque ignominioſis invidioſiſque ſolent denominare, & eorum doctrinam adeo deformare, illi, ſiquidem neceſſe ſit, ſe, qui ſint, diſtincte dicere, ſe ipſi vocant *Chriſtianos*, *Euangelicos*, *Apoſtolicos*, *Catholicos*, & ſuam doctrinam ac religionem vitæque rationem prædicant, tanquam quas ipſemet Dominus Jeſus Chriſtus ſuis Apoſtolis, Apoſtoli per Euangelium cunctis mortalibus annuntiaverunt, ac tenuerunt omnes fideles ac pii per omnia tempora, quos uſus facit nominare Catholicos. Quapropter & ipſi priores provocant ad Scripturam, & facile patiuntur dogmata ſua cum doctrina illorum patrum, qui illis priſtinis temporibus fuerunt, conferri, neque etiam defugiunt hoc, ut comparentur cum ſcriptis patrum conſequentium. Monet res, quoniam tantum dixi de horum hominum inſtitutis, uti ad ea, quæ dicta ſunt, hæc

ad-

Digitized by Google

adjiciam, ut pateat initio, qui de quibus dicturus ſum homines ſint, & quæ ſit eorundem ſecta, quam uſque eo ſequuntur, & omnibus Chriſtianis proponunt imitandam. Ergo hoc volunt, cum diu tanta doctrinæ morumque corruptio omnes Chriſtianos, adoque eos etiam, qui cluent Proteſtantes, invaſit, jam tum ab ipſis temporibus Apoſtolorum, incepiſſe operari Apoſtaſiam, ſeu defectionem à doctrina & diſciplina Apoſtolica, deinde magis ac magis increviſſe, invaluiſſe autem ac diutino uſu occalluiſſe ſeculo ſexto vel ſeptimo, ab eoque tempore perpetua aſſuetudine ſic obduruiſſe, ut nulla tollendi ſpes ſupereſſet, & permanſiſſe in illo ſtatu, uſque ad noſtram vel patrum memoriam. Tametſi inquiunt, omni interjecto tempore, pene poſt unumquodque ſpatium centum annorum, unus aut alter extitit, qui contra illam defectionem vehementer diſputavit declamavitque, verum abſque ullo fructu, & non ſine omnimodo ſuo incommodo. Ad iſtum vero modum probant illos egregios viros, quos vocamus Reformatores, & de ipſòrum ſtudio atque conatu in reſtauranda religione commemorant, ut excipiant hunc actum, quod magis falſitatem, ac levitatem hominum everterint, quam veritatem, vitæque gravitatem induxerint, aut has virtutes ad priſtinam claritatem nitoremque reduxerint, uti ſi quis demoliatur domum collapſam, neque ſibi de nova habitatione proſpiciat.

ſpiciat. Præterea ita ſentiunt de iis, qui in locum horum Reformatorum ſucceſſerunt, eos, dum opinabantur ſe opus illud reformationis promovere, à tota reformatione aberraviſſe, & pro eo, quod illa vitia, quibus ad hoc tempus eccleſia fuerat inquinata & infecta, correxerunt, alios quam plurimos errores intuliſſe, & homines novis pravitatibus corrupiſſe, haut ſecus, ac ſi quis ſervatas in domo ſordes ejiciat ita, ut ingerat alias, aut cœnum cœno eluat. Ergo hi homines ita ſuam religionem celebrant, ſicut antiquiſſimam, ut ſtatuant, eam quidem olim jam, apud ſeculum primum & aureum illud, obtinuiſſe, aſt deinceps omni tempeſtate, ferme ab ipſo illo principio nominis Chriſtiani, uſque in hanc ætatem, fuiſſe inſigniter neglectam & interruptam, tandemque intermortuam, & nunc ipſum à ſe, excitatis ad id afflatu divino inſtinctuque, renovatam, aut poſtliminio revocatam, reſtitutamque ad ſalutem cunctorum hominum. Quare paſſim in ſuis libris, & ſingulatim hanc rem tractant, & hoc capitibus ſive titulis inſcribunt, *ſe, quemadmodum ſervos Jeſu Chriſti, vocatos excitatoſque divinitus hoc extremo ſeculo, ad diſpenſandum* Euangelium, *quod poſt longam & tenebroſam Apoſtaſiæ noctem, jam denuo eſt revelatum, annuntiandum omnibus gentibus.* Atque ita plurima coarguunt & coaſpernantur in doctrina, atque contemnunt ac damnant fere omnia in cultu & ritibus ac cæremo-

remoniis, faſtidiuntque omnem vitam ac converſationem eorum omnium, non modo qui appellantur Chriſtiani, ſed etiam qui ſe perhibent Euangelicos ac Proteſtantes, quos ſe hoc nomine dicunt jactare & efferre, ac gloriari, ſe illam magnam apoſtaſiam effugiſſe, & colluviem iſtam Babylonicam ſeu Papalem deſeruiſſe. Quibus ſuam doctrinam & cultum ac rationem vitæ opponunt, quæ ejuſmodi ſunt, ut doctrina quidem magna ſui parte prorſus nova ſit, aut renovata ex antiquis dogmatis, olim rejectis damnatiſque ab eccleſia, de cætero, veluti cinnus quiſpiam ſit ſive commixtio dogmatum Proteſtantium omnium, neque prorſus expers, neque funditus particeps, cultus vero omnino è regione contra occurrens, ac vita adeo ſingularis, ut inter mores conſuetudinemque horum aliorumque, non dico Proteſtantium, at Chriſtianorum omnium, tanta ſit diſtantia, quanta major eſſe non poteſt. Scilicet hæc illi initio ſui exortus, & poſt, ſui auctus ac progreſſus tempore, cuncti, qui modo ſando ſcribendoque eſſent, publice ac propalam, in omni loco, inque os omnium, dicere, concionari, libellis indicare, explicare, extendere, verbis quam poterant duris & amarulentis, & iſtos libellos quaquaverſum mittere, ac diſpergere, etiam verſus regiones alias, inprimiſque eas, in quibus arbitrabantur, ſe habituros ſuper hac re conſen-

tien-

tientes, aut demum habere, qui ut fit, tales criminationes, & illam novam reformationem arrectis auribus, & animis pronis incitatiſque ſua ſponte ad id, ad quod jam illa conſilia vocabant accerſebantque, acciperent. Dixi generatim de conditione horum hominum. Sequitur ut ſpeciatim de illorum ortu, & progreſſu, & viciſſitudinibus, & eventis, qui varii & multiplices, dicendum eſſe videatur. Principio horum Quakerorum matrix & altrix eſt *Anglia*, illa quondam, non uno ſeculo, expultrix, nunc hoc ſeculo, receptrix, & pene omnium, errorum tellus. Referunt autem hi ipſi homines ſuam originem ad annum hujus ſeculi nonum & quadrageſimum, adduntque, ſe ab anno quinquageſimo ſecundo ingenti incremento fuiſſe auctos, & inde etiam atque etiam robur firmitatemque acquiſiviſſe. Etenim cum in eo regno, ante medium hujus ſeculi, propter bellum inteſtinum, geſtum ob diſcrepantiam regiminis eccleſiaſtici, illis turbulentis ac difficillimis temporibus, quibus cum republica ſimiliter eccleſia adeo quaſſabatur, & duæ ſanctiſſimæ res, religio ac diſciplina, uſque eo vacillabant, ut jam labaſcere viderentur, innumerabilis multitudo hominum ſe ab omni parte eccleſiæ ſubtraherent, deinde vero, ſublato Epiſcopali regimine atque ordine, (quæ cauſa exiſtimata & fons tantorum malorum) conſtitutoque regimine & ordine,

ut

Digitized by Google

ut vocant, Presbyteriali (quod unicum habitum ſolatium atque auxilium ærumnarum) ii, qui ne tum quidem poterant conquieſcere, rurſus in varias, & fere innumeras, ſectas abirent, hi quoque homines ſe commovere, ac novum conſilium cœtumque inire cœperunt. Illius inventi conſectationiſque princeps & ſuaſor atque auctor fuit *Georgius Foxus.* Quidam illorum virorum hunc virum, poſt fata, appellaverunt ac nomen ſcripſerunt, *hujus operis & hujus ſocietatis primum ac glorioſum Inſtrumentum, & magnum ac beatum Apoſtolum.* Unde quemadmodum magiſtrorum habent diſcipuli ac ſectatores ex ipſis ſua nomina, poſſemus hos homines appellare *Georgianos*, aut, quia demum ſunt alii, qui ob ſuam ſectam hoc nomine appellantur, *Foxianos*, ſi non indeceret Chriſtianos, ut ſeſe, ita alios, qui itidem Chriſti profitentur nomen, denominare ab hominibus. Habeo de Foxo multa ſcripta, cum ex ipſius Foxi dictantis ore, per ejus amanuenſem, paulo ante ejus obitum, tum ab Foxi amicis familiaribus & conſectatoribus, tum etiam ab illis, quibus nulla cum Foxo ejuſque ſodalibus fuit conſociatio atque communitas. In quorum relationibus cum nonnulla eſt diſparilitas, ego ea ſeligam quæ teſtimonio communiori, aut eo, quod eſt præ cæteris probabile, nituntur, quandoquidem difficile eſt, in ejuſmodi caſu, rem rei, auctorique au-

Digitized by Google

ctorem, præferre. Natus Georgius Foxus in Anglia, in comitatu ſive provincia *Leceſtrienſi*, inibique in pago, ſeu parœcia, *Dretonenſi*, anno ſupra milleſimum ſexcenteſimum vigeſimo quarto. Pater ei *Chriſtophorus Fox*, mater *Maria Lago*, ab vitæ conditione externa parum locupletes ac tenuiculi, vitam textura exercentes, cæteroquin homines honeſti ac probi, addicti religioni Reformatæ, qualis tum præſertim obtinebat publice, hoc eſt, Presbyterianæ, ejuſdemque aſſenſores & veneratores fervidiſſimi obſervantiſſimique. Quod quidem huic familiæ tanquam beneficiarium, & à parte matris veluti proprium erat atque hæreditarium. Quin Foxi mater numerabat inter ſuos majores, qui temporibus reginæ Mariæ propter flagrantem amorem earum rerum, quæ pertinebant ad reſtitutam in integrum religionem, non ſolum ſuas omnes vivendi facultates raptu aut publicatione perdiderant, verum & vitam ipſam igne ac flammis finiverant, atque coronam illam martyrii incontaminatam reportaverant. Puer, etiam ab infantia, ſingulari erat ingenio, non inter fratres & æquales ludens, neque appetens ea, quæ iſti ætati jucunda & accepta ſunt, verum illorum conſortia fugiens, ac ipſorum puerilitatem ſicut ludibrio habens, & ſemper ſolus agens, taciturnus, & ſi loqueretur, triſtis locutione & vultu, plus rogans, & ſuo modo

do

Digitized by Google

do attentus & conſideratus, multaque obſervans, atque inter hæc moribus modeſtis, deditus tyrociniis & exercitiis pietatis, ut omni tempore futuri tempore procedente animi ac ſpiritus notas cerneres. Miſſus Georgius, ubi ex ætate infantili exceſſit, in ludum literarium, ut linguam Anglicanam addiſceret & legere & ſcribere. In quo ſtudio more puerorum ruſticorum egentiorumque, tantum proficiebat, ut quælibet exarata typis, ſatis, calamo, parum legere, at vero eadem repræſentare ac ſcribere vix aut demum utcunque calleret. Et hæc unica illa ſcientia quam tota vita eſt aſſecutus. Neque enim vel iſthac prima ætate, vel maturiori, atque omni ſequenti tempore, ad ullam liberalem eruditionem artemve ſe applicuit. Unde non tantum nullam aliam linguam, præter ſuam Anglicanam cognovit, ſed etiam in eapſe ſua patria lingua adeo rudis, adeo inexercitatus & ad dicendum, & multo magis ad ſcribendum, per omnem vitam extitit, ut quanquam rem ipſam probe intelligeret, ac traderet, tamen explicare pura & Anglorum linguæ uſitata oratione, dicendo, maximeque ſcribendo, prope neſciret, niſi ſi alii quibus res notæ eſſent, & verba non deeſſent, ejus cogitata ac dicta commode exprimerent. Quamobrem raro aliquid, præterquam per diſpenſatores atque amanuenſes ſcripſit atque luci donavit. Atque hoc propterea

duxi annotandum, quod non pauci libri exierunt, ſcripti & nitidiori oratione ac ſtylo, & ſermone non modo Latino, at quoque intermiſto plurimis linguis, etiam iis, quarum ne doctiſſimi quidem niſi exiguam notitiam habent, iique editi nomine Georgii Foxi, ipſiuſque præferentes nomen, ſublato nimirum nomine commentatoris aut interpretis. Qua in re utrum Foxum aliqua ſingularis ſimplicitas, aut quædam communis arrogantia atque ſui oſtentatio decepit, penes ipſum potuit eſſe judicium, certe id conſtitit, non in ipſo fuiſſe linguarum donum. Cæterum decurſo hoc vitæ ſpatio, Foxus circumſpiciens, qua ratione ſibi potiſſimum in futurum proſpiceret ad ſuſtinendam vitam, cœpit de ejuſmodi cogitare opificio, quod eſſet honeſtum & utile, cujus uſus atque emolumentum hominibus nunquam poterat deeſſe, ſibi vero nunquam non prodeſſe ad vitæ conditionem, videlicet confectionem tegumenti atque amictus corporis humani. Itaque ſibi calceorum faciendorum artificium proponebat delegebatque, in eaque opera ac quæſtu reliquos annos tranſigebat in urbe primaria comitatus Nothinghamienſis, illa unde comitatui univerſo nomen Nothinghamia, confinis provinciæ Leceſtrienſi Foxi patriæ. Ab hoc tempore Foxus hac ætate juvenili oſtendebat inſignem probitatem atque modeſtiam inter homines, & ingentem pietatem
erga

Digitized by Google

erga Deum, atque eam religionem ſenſumque ac cultum Dei quos perceperat à parentibus. Quare & Scripturam ſacram multum ac diligenter legebat verſabatque, quotiens ipſi licebat eſſe otioſo, & tum in otio illo, tum inſuper inter negotia ſolita, quod propter operam ſedentariam poterat, ea quæ oculis perluſtraverat, ac jam retinebat memoria, ſecum ipſe repetebat, & conſiderabat contemplabaturque. Erat autem Foxo tam firma memoria earum rerum quas noverat, inprimiſque earum, quas legerat in ſacra Scriptura, ut nil fere excideret. Et cum in iſthoc ſtudio ac ſtadio legendi verbum Dei pergeret omni ſequenti tempore, & perſeveraret ad extremum vitæ, vix ullum notabile dictum erat in illis ſcriptis, quod non memoriter teneret pronuntiaretque. Audivi ego quoſdam è Foxi amicis, neque vulgares, at peritos ac literatos, qui de eo dicebant, *ſiquidem Biblia deperdita forent, poſſe inveniri in ore Foxi.* Unde factum, veluti uniuſcujuſque mens & animus & recordatio ſe produnt in ſermone ac ſcriptis, uti ſingulæ orationes, quas Foxus ad ſuos habuit, atque pleraque quæ ſcripſit monumenta, propemodum nil aliud fuerint, quam centones contexti couſutique ex variis locis Scripturæ. Jam vero quum ſutor hic tantum temporis ac tot cogitationes curaſque in unius Scripturæ lectione, & meditatione ſuæ religionis, ſuæ-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

que ſalute animæ conſumpſiſſet, non ita ſeſe ſui artificii finibus potuit continere, ut non aliquid ſupra crepidam tentaret, atque opus majus atque inſigne ac nobile tractaret, tum pro ſe, tum pro aliis. Itaque non contentus ea quæ acquiſiverat referre ad ſuam unius utilitatem, ipſe de hoc negotio apud ſuos ſocios operarios, & familiares, & alios, paſſim loqui, & eos crebro, ut hoc agerent, monere & hortari, neque deſiſtere, donec neque illi Foxi ſermones ac ſeveritatem ferre, & Foxus illorum contradictiones ac contumelias ſuſtinere amplius non poterant. Quare Foxus ſe tantum quantum poterat cunctorum conſortio ſubducebat, & aut ſolus in quodam receſſu ſutrinæ operabatur, aut, quoniam ne ſic quidem deerant, qui quippiam vel audiendi vel dicendi gratia ad ipſum accedebant, at vero Foxus identidem animos majoris partis illorum offendebat, ſimulque multas ab iis moleſtias debebat devorare, hinc quam primum in officina ſutoria ſuum opus abſolverat, continuo ſe ex inferiori ædium parte ſubtrahebat, abdebatque in tectum ſuperius, quo ſibi & aliis omnem turbamenti anſam præcideret. Poſtquam vero Foxus anno quadrageſimo tertio perveniſſet ad annum ſuæ ætatis quaſi nonumdecimum, accidit ei, cum in agro inque ſolo loco quandoque deambularet, ut ipſi incideret alta & gravis conſideratio meditatioque de hominum

num univerſorum natura & mente & moribus, & inſtitutione & diſciplina & converſatione, ut & de ſocietate atque conſortiis hominum inter ſe, ac ſpeciatim hominum juvenilium, quæ eſſent in hiſce officia, quanta cura ac diligentia atque opera requirerentur, uti in his & omnes & ſinguli, vitam, ita ut dignum eſt Deo atque ipſos homines decet, degere, & illam beatam ac ſempiternam vitam, hac depoſita, conſequi poſſent. Quæ ubi diu multumque ſecum meditatus eſſet, atque interim Deum precibus ardentiſſimis oraſſet, atque ab eo contendiſſet, ut quid ſibi homini adoleſcenti in hoc rerum humanarum ſtatu ſcitu factuque opus eſſet, & reſcire, & idem agere, liceret, hæc cœleſtis ac divina ad ipſius animum allata vox atque oratio: *tantummodo vanum eſſe omne humanum genus, & pueros ac juniores modo cum annis, pariter mendaciis ac levitatibus acereſcere, mediaque ac conſtantis ætatis viros iiſdem vitiis augeſcere, & ſeniores in hujuſmodi patientia vitiorum & conſuetudine inveterata obdureſcere, atque ita, ubi decrepita & extrema accedit ætas, & ſanguis vireſque deficiunt, & idem homo ultra nec ſentit nec ſapit, & omnino ex illa ætate repueraſcit reditque ad infantiam, tunc omne animi lumen, id quod tum debebat eſſe ſplendidiſſimum, extingui, neque quicquam præter nugas ac deliramenta agi, itaque ſenſim ſine ſenſu obrepere mortem, quæ ut quemque invenit, tradit ſiſtitque hu-*

jus univerſi domino ac judici Deo; idcirco huic juveni diſcedendum eſſe ex hac turba & colluvie hominum, neque illud ſolenne ſervandum, & vitam ſolitariam agendam eſſe, ſejunctam à communi malo. Hæc Foxus poſtea & ſæpe apud ſuos narrabat. Sive autem hæc vere vox fuerit divinitus è cœlo profecta, ſive quædam mentis Foxi ſermocinatio cum ſe, id ſemel oportet monere, & tenere ab hoc loco ac tempore, Foxum, ut & primos ejus ſectatores, à principio, atque etiam deinde diu ita locutos eſſe, quotiens aliquam ſingularem animi motionem, atque vim ac impetum ad bonum, è diuturna præmeditatione & re quadam noviter oblata perſentirent (quam mentis commotionem habebant dicebantque ſibi factam à Deo ac Spiritu Dei Sancto) factam ad ſe eſſe vocem aut orationem è cœlo à Deo ac Spiritu, & ſic perpetim in ſuis concionibus, ubi inciperent fari ad populum, orſos, ita per ſuum os loqui Deum ac Spiritum (nimirum ut illos priſtinos viros Prophetas atque Apoſtolos, afflatos divino Spiritu, illiuſque legatorum munere fungentes, aſſimilarent) at vero poſtmodo ab hujuſmodi altiſonis vocibus abſtinuiſſe, & hodieque abſtinere omnes, atque id quod ita ſupervenit, nominare duntarat ſui animi affectionem atque impulſum. Cæterum ſolet Foxus referre, iſtam vocem cœleſtem tanta efficacia fuiſſe ingeſtam ſuæ menti juvenili, ut extem-

extemplo velut incenſus ſe ſuam domum reciperet, neque tamen verbis exprimere poſſet id quod re ipſa apud ſe perceperat. Quin eadem imago illius moniti non tantum illa tota die ejus feriebat animum, at etiam nocte inſequente ita obverſabatur in mente, adeoque ipſum rapiebat ad ſe, ut non ſolum non decederet cubitum, ſed neque poſſet. Exinde Foxus paruit divinæ ac cœleſti voci. Ut autem rem tam arduam juxta divinam voluntatem & aggrederetur, & exequeretur, etſi ad hoc tempus nunquam non Scripturæ Sacræ lectioni meditationique, & ſæpe jejuniis æque ac precibus ad Deum vacaverat, tamen ab hoc tempore Foxus multo magis eadem Chriſtiani hominis officia obibat ſervabatque. Cumprimis quia experiundo didicerat, nullum his majus ad edomandam vitioſam naturam & comprimendas cupiditates, adeo ad humanas, ſed noxias, ſocietates, & mundum hunc immundum adhinnientes, adminiculum eſſe. Et quanquam ad idem tempus ſatis hominum congreſſus ſubterfugerat, tamen de hinc quaſi omnem humanam converſationem vitabat, ſolum ſuæ calceamentorum operæ, quantum neceſſe erat ad uſum vitæ, intentus, & impendens reliquum temporis ſuis religioſis exercitiis. Neque tantum eorum hominum profugiebat congreſſum atque conſpectum, quos noverat, aut ſuſpicabatur, non refugere eos vana deſideria

Digitized by Google

ac libidines hujus ſeculi, at quoque illorum, qui ſe non inſolentes & irreligioſos eſſe oſtentabant. Neque enim negabat, multos eſſe, qui videbantur etiam perquam religioſi, quique Scripturam Sacram, ſeu ipſius Dei verba atque præcepta, tanquam regulam ac normam ſuæ, ut fidei, ita & vitæ, prætendebant, & juxta illam formam ſuas utcunque actiones componebant, verum id querebatur graviter, quod homines uſque adeo illam ſacram Scripturam extollerent, & ſuam, quam ex iis ſcriptis didicerant profeſſionem fidei ac vitæ prædicarent, & quod iidem homines uſque eo eſſent deſtituti eo Sancto Spiritu, quo Spiritu auctore eadem Scriptura tradita eſt, & ea vita, quæ in illa Scriptura tam bene eſt expreſſa, & veluti vivit ſpiratque. In hac vacatione ab hominibus Foxus nihilominus ſibi nil aliud quam utilitatem hominum proponebat, atque id animo ſuo ſtatuebat, & eo ſe parabat, quomodo ſuum ſtudium ac profectus tandem aliquando ad informationem non paucorum hominum prodeſſe, ipſeque quodam miniſterio publico ad vitam communem fungi poſſet. In quo propoſito non ſolum ita ſecum cogitabat, ſed etiam ſibi dicebat ad animum demonſtrari, & perſæpe, ab ipſo Deo, eſſe quidem ſcholas & academias, & facultates & dotes animi, & naturales, & acquiſitas ab induſtria & labore, & artes, quas vocant liberales & ingenuas,

genuas, & cognitionem linguarum, huic principi ſcientiæ Theologicæ, & illi primario muneri eccleſiaſtico magnum inſtrumentum & ornamentum, verum tamen eſſe Dei Spiritum, qui in his ſummus ſit doctor & ductor, & plus in iis operationem Spiritus abſque humana doctrina, quam hanc ſine Spiritu, valere. Præterea Foxus non ita in hac ſolitudine abſtinebat ſe commercio cum hominibus, ut non interdum eos, qui accedebant ad ſe, admitteret, & illos, quos cenſebat aliis integriores, ac reverentiores erga Deum, ipſe ultro adiret, cum iiſque ſermones conferret. Quin ipſos miniſtros eccleſiarum, quos ipſi commodum erat, compellabat, ſuaque cum iis ſenſa communicabat, inprimis quos ſciebat vel audiebat excellere doctrina ac pietate. Quod cum faceret, Foxus ſemper ita dirigebat colloquium, ut controverſaretur de hac aut illa conditione hominum, aut hominum in genere, aut ſpeciatim Chriſtianorum, eratque hic fere unus & perpetuus tenor illius orationis, hanc cunctorum hominum, qui ſe dicebant Chriſtianos, eſſe rationem, ut omnis fides ac vita eſſet in lingua, utque ipſimet anteceſſores & antiſtites, ſive miniſtri verbi divini paſtoreſque eccleſiarum, ſolo ſe ſuæ ſcientiæ tractatu, atque ſui muneris qualicunque obſervantia, delectarent, imo ſola mercede adducti ſe operarios præberent hominibus. Unde

Foxus

Digitized by Google

Foxus ſemper infecto negotio, atque mala cum gratia, diſcedebat. Erat ea tempeſtate paſtor eccleſiæ Dretonenſis, quem locum natale ſolum fuiſſe Foxi ante oſtendi, *Nathanael Stephanus*. Hic Foxum non exſpectabat, at præveniebat ſæpe, veluti alumnum & illius eccleſiæ, & ſuæ diſciplinæ. Cum vero Foxus hic quoque ſingulis vicibus ſuo more ageret, & cum univerſam viri eccleſiam, tum ſpeciatim illum paſtorem, quaſi omnino omnis vitæ vere Chriſtianæ expertem, atque etiam ignarum argueret, ac ipſe ſe collapſæ & orbæ relictæque rei Chriſtianæ veluti tutorem ac reſtitutorem haut dubie venditaret, Stephanus quoque hominem, aut triſtis, aut iratus dimittebat. Eodem anno hoc Foxus varias adibat urbes, identidem mutans ſedem, & ubicunque eſſet, ſua, quam callebat arte, victum neceſſarium quærens, contentus parvo, ac de paupertate ſecurus. Laborabat Foxus multum vitio melancholico, iſto illorum hominum nationi velut ingenito morbo. Hoc malum, ad hoc tempus mediocre, hoc tempore plurimum ingraveſcebat. Querebatur autem Foxus ſe ſine ulla intermiſſione maximis ac terribilibus angoribus & tentationibus Satanæ, pene ad deſperationem, cruciari, ut interdum vitæ mortem præferret. Itaque ubique itineris ac locorum de iis conquerebatur apud homines pios, quandoque & apud miniſtros eccleſiarum,

rum, ſimul auxilium ac ſolatium petens. Quum vero, dum is ſuum illum iis dolorem impertiretur, hi aut non illico eſſent parati huic tam difficili curationi, aut ſic cenſerent, quidam corpori æque atque animo medicinam adferendam eſſe, alii animo à verbo Dei, ac fide in Deum, atque precibus, medelam adhibendam, neque ulli illi ſatisfacerent, ibi illic homo, more autem iſtiusmodi afflictorum hominum, dum voti, & mentis magis impotum, iis ſuccenſere, & ut inſcitos aut malos medicos habere, & ſpernere, & foris multas contumelias facere. Præterea Foxus à tempore hoc totus ſe ſubducebat de publicæ eccleſiæ ſocietate ac communione, & diebus religioſis, ſolus cum Bibliis ſecedebat in hortos aut agros, atque ibi legendo ac meditando tempus traducebat. Quin Foxus ſe nunc omnino tradebat ſtudio atque operæ vitæque contemplativæ. Adhæc narrabat tunc & poſtea, idem videlicet auctor & nuntius ac teſtis, ſe ſæpenumero, imo indeſinenter, numine cœleſti corripi, & talia multa pati inſomnia, multa habere viſa, multa audire ad ſuos rogatus reſponſa atque oracula, & multa præviſa, præſenſaque, & ſibi prædicta, in pectore conſervare. Itaque teſtabatur, ſe in iis rebus, quæ ſpectabant ad doctrinam ac vitam Chriſtianam, quotidie divinitus in animo nunc has, nunc illas partes doceri, nunc quæ in his

his erant prava ac dediſcenda, nunc quæ bona atque condiſcenda, quæ cuncta ab illo, ceu magiſtro à Deo dato, erant proponenda & exponenda hominibus. Et adſerebat his adhuc majus atque majus incrementum omne inſequens tempus. Accidit, non hoc tempore, at poſtea aliquanto, quando Foxus ſuum jam concionale munus obiret in Notthinghamia (ſunt enim in hoc opere, in quo ſtudeo res quam poſſum tam referre ad compendium, quædam, tametſi tempore diſtincta, connectenda) uti Foxus in ſpiritu gladio flammeo ſublimis raperetur in Paradiſum, ubi formabatur ad exemplar Adami, hominis primi, qualis is erat ante lapſum, & res profundiſſimas cernebat, ac porro docebatur, adeo ut & univerſi creatio ipſi aperiretur explicareturque, eique oſtenderetur, quemadmodum unicuique creaturarum ſuum eſſet inditum nomen ſecundum cujuſque naturam, & vim, & præſtantiam, ac virtutem, intantum, ut penderet animi, velletne medicinæ artem in uſum mortalium occipere, in eoque animum & operam ſuam occupare. Contigit quoque in Leceſtriæ urbe quadam, ut Deus ei manifeſtaret, eſſe medicorum vulgum maxime remotiſſimum à divina ſapientia, ea, qua res omnes conditæ ſunt & ornatæ, neque eos noſſe naturam & rationem rebus inſertam, & poſſe tamen illos illorumque artem reformari & in optimum ſtatum reſtitui, ſi artifices, priuſquam conentur ægris

ad-

Digitized by Google

adferre medicinam, ſe convertant ad ſapientiam divinam, & juxta eam remedia, quibus uti vellent, accommodent. Oſtendebat ſane Foxus omnibus modis, eſſe ſe ex eo hominum genere, qui ſe & ſua cupiunt conſiderari, & hoc ſibi non inhoneſtum, at vero pulchrum ducunt, ab hominibus digito diſcerni ac monſtrari. Igitur tantum aberat, ut Foxus homines de his revelationibus & hac ſingulari eminentia donorum celaret, atque ſic ſecum reputaret, poſſe eas veluti ſpecies inanes, figuratas animo non bene temperato, contemni atque etiam rideri, ut eas, tanquam tanti tam admirandi ſecreti impatiens, ſuis fautoribus & amicis quos collegerat, quorum in familiaritatem ſe dabat, continuo narraret prædicaretque, ſumma cum confidentia, & gaudio magno, & inter hæc multa erga Deum gratificatione. Qui fautores & amici non minus hæc vera credebant eſſe, & credi volebant ab aliis, & in iis narrandis Foxi laudem ibant quæſitum. Quin iſtuc adeo placebat Foxo, ipſeque adeo ſibi plaudebat ipſi, ut ſi quæ cujuſquam de eo exiſtimatio foret, vel judicium de ejus incœptis benignum aut honorificum, is id ſtatim apprehenderet, & omnino ad ſe applicaret. Cujus rei indicium atque exemplum erat dictum de Foxo alicujus Brownii, die ejus emortuali, Foxum futurum inſtrumentum penes Deum magni operis. Quod Foxus interpretabatur & enuntiabat, tanquam viri viſionem atque prophe-

phetiam divinam ſuorum eventuum magnitudinem immutabili veritate prædicentem. Idem cum Foxo factitabant amici. Cujus ſpecimen erat, quod narrabant, Nathanaelem Stephanum, quem in Foxi natali loco fuiſſe paſtorem eccleſiæ, & Foxi in prima pueritia ad iſtam ducem ac pædagogum prædixi, Foxo coram viro quodam nobili perhibuiſſe teſtimonium, *Angliam nunquam alias tale germen ac Foxum egeſſiſſe, at venire eum in ſuſpicionem apud ſe, futurum, uti quandoque novam quandam viam ac rationem inſtaret.* Item alio tempore, longe autem poſt, coram populo, ipſo Foxo præſente, *attigiſſe Foxum lumen ſolis, verum id agere, ut per ſuam, quæ in eo reſplendebat, lucem, ſui Stephani lucem ſubluſtrem offuſcaret atque extingueret.* Quo elogio hi homines nullum majus de Foxo dari poſſe exiſtimabant. Quod mihi quidem permirum videtur perpendenti, ipſum Foxum ea ipſa tempeſtate ſolere apud multos deplorare, Stephanum, quum antea ſe Foxum, valde dilexiſſet & amaviſſet, & numero parentis fuiſſet (ut Stephanus equidem à principio tacitus Foxi ingenium & probitatem laudaverat) ſibi nunc factum eſſe adverſarium, & etiam tempore quodam, publice è ſuggeſtu, in Foxum præſentem acclamaviſſe, Foxum juvenem eſſe, quem intemperiæ inſaniæque agitabant. Ut illa verba dicta viderentur à Stephano cum indignatione, & faſtidio, & irriſione ac figuratione inſolentiæ & jactantiæ, quam

quam in Foxo judicabat eſſe, & eſſe a Foxo & populo intellecta per inſcientiam, aut arrogantiam, ut dicta vere ac proprie. Etenim poſtquam Foxus ſe ſic plane pleneque hiſce ſtudiis dediſſet, ac jam nunc ſæpemet tentaret & experiretur, utrum id efficere eoque progredi poſſet, quod & optabat & confidebat, ille tandem ſuas, quas hucuſque habuerat, meditationes repetere, & illas in ordinem meliorem quotidie reducere, & juxta ea quæ diverſis temporibus conceperat, de hominum univerſorum vitioſitate, de reſtitutione generis humani, deque amore & gratia Dei, de hominum illuminatione per Spiritum ſanctum, ac reliquis capitibus, quæ poſtea homines docuit, typum quendam ac opus conficere. Manſit Foxus in hoc ſtatu prope triennium, quod tempus ei velut curriculum academicum extitit, elaboratum non minori induſtria & diligentia, & tum vigiliis veſpertinis, tum lucubrationibus antelucanis, quam ſolet fieri ab iis, qui in ſtudiorum gymnaſiis omnem ætatem terunt. Poſtquam vero Foxus ex ſua hac quaſi ſolitudine evaderet erumperetque (quod factum anno quadrageſimo ſeptimo) & jam quis eſſet, ac quodnam ſuum eſſet inſtitutum, hominibus oſtentaret, mirum quantus ad eum hominum confluxus, &, ubi propius audiviſſent ac cognoviſſent, quanta in eum conſenſio, quanta concordia idem quod ille ſentiendi dicendique, quam brevi tempore fuerunt factæ. Quam-

Digitized by Google

obrem is, interpretatus & accipiens hanc hominum ceu Dei vocem ac nutum, ut ſe huic hominum turbæ traderet, atque munus doctoris penes eam capeſſeret, ac ſi quid in ſe eſſet ingenii & habilitatis, id omne omnibus quoque hominibus impertiretur, huic cœleſti imperio nil voluit abnuere. Itaque ab eo tempore ſuam ſutoriam officinam (in qua nunquam egerat ut magiſter, at tantum ut diſcipulus ac miniſter, & in qua nunquam magnifice, tametſi neque ſordide, ſeſe geſſerat) deſerebat, & ad hoc accingebat ſe, ut munus doctoris ac concionatoris in nova hac eccleſia ſubiret ornaretque. Et quoniam relicta opera hac unde quæſiverat victum, de cætero nil habebat unde ſubſiſteret, indutus omnem facultatem, non defuerunt abhinc, qui ne tam præclarum ejus inceptum ut ſibi videbatur, propter inopiam in nihilum recideret, ſuis eum facultatibus ſublevabant, ac nempe ſublevebant. Neque enim prætereundum, Foxum nunquam quicquam accepiſſe, vel ultro, vel ultra quam poſtularet neceſſitas, uti neque id, Foxum, quanquam inſequenti tempore, accedente nova conditione, poſſet in illo locupleti & referto ſtatu vivere, ac ſe tueri multo abundantius, tamen ſemper admodum continentem fuiſſe, cum in victu, tum in amictu, cultuque omni corporis. Ac tanquam ſi ſui calciolarii & coriarii operam priſtinam obliviſci aut nequiret, aut nollet, viſus ad multum tempus obambulare, ac ſuum concionandi opus peragere,

gere, veſtitus totus coriaceus, ob quam rem ei diu adhæſit nomen viri coriacei. Atque ita Foxus indies homines quamplurimos ad ſe convertebat, habebaturque ut homo ſingularis exempli, creſcebatque nomen ejus atque exiſtimatio etiam atque etiam per provintias *Leceſtriam*, & *Nottinghamiam*, & *Darbiam*, affluentibus ad eum undequaque hominibus, iiſdemque, ubi ad ſuos redirent, Foxi famam, ut viri cæleſtis, buccinantibus divulgantibuſque. Neque tantum. Reperti quoque illo eodem tempore, qui quemadmodum Foxi collegæ ac ſocii in opere ac munere concionatorio exiſtebant, & vel conjunctim, vel partite concionabundi ubique homines circumibant. Hi colligati præcones ita ſuam inſtituebant operam, ut primo agerent atque inſtarent apud illos, qui demum a publica eccleſia deceſſerant, poſtremo apud eos, qui huic eccleſiæ addicti erant, ut quorum cum religione ac moribus maxime horrebant repugnantiam, tum verbis, tum factis. Et erat hoc unum omnibus propoſitum, cunctis hominibus perſuadere, dudum actum eſſe de Chriſtianorum omnium eccleſiis, neque quicquam in doctrina & diſciplina & vita ac moribus intactum atque integrum eſſe, ac proinde novam eccleſiam inchoandam eſſe, ad iſtam formam, quam hi homines jam exordiebantur. Sic illi ad hæc ſe parare, quiſque pro ſe, & homines circumſiſtere, adire, loqui & colloqui, hoc illudve conqueri, dolere, oggannire ad aures, paulatim, accreſ-

cente ipſorum numero & audacia, invocati accurrere ædes, immiſcere ſe cœtibus, paucorum, plurium, & eodem inſtanti, ſine ulla præfatione, ſermonem aliquem inferre, aut ſe in hominum ſermones aut orationes præcipitare, & novi quippiam proponere, aut opponere, & ſpecie controverſantium, ſine præcedente diſſenſione, citra ſtatum quæſtionis, multum litigare, obtentuque dicendæ veritatis multa opprobria in hominum religiones, ac nominatim miniſterium præconum ingerere. Quidam tantum contari, ipſi nil affirmare, aut mox alio ſermonem deflectere, eos, quibuſcum iis res erat, ſuis eorundem verborum iterationibus, & ambagibus, & interfationibus irritare, & ſi quando hi paulo aſperius loquerentur, præ illorum tarditate & lenta ac dura moderatione (ut in tali contentione exit aliquando & facile tale verbum) aut non ultimi loquerenter, aut ad illorum obſtinationem tacerent, vincere ſcilicet apud ſe, & apud imperitos, & ut victores abire. Jam etiam palam in viis, in foris, in quibus homines ſolent concurrere ad res venales, & in quibus exercebantur judicia, promiſcue obvios, aſtantes, monere & hortari ad pœnitentiam, & frugalitatem, & juſtitiam, & æquitatem religioſe colendam. Ad extremum non prætermittebant illi templa, non modo non eorum, qui alieni erant ab eccleſia publica, ſed neque horum, qui illam ipſam componebant eccleſiam, & alii quidem caſu ac timide,

alii

alii pleno gradu ac ferociter ingrediebantur, atque hominum incurrebant orationes ac preces, eaſque multis modis ſugillabant obtrectabantque. Hæc illa horum hominum initia. Eorum autem multos ac pleroſque poſtea ſenſim multa horum omiſiſſe, multa quoque immutaviſſe, ac veluti inter ſe reformaviſſe, oſtendam in ſequentibus. In his Foxus, ut primus auctor, ita præcipuus actor erat, & conſultor & dux aliis. Accidit id primum in *Notthinghamiæ* urbe, unde in totam provintiam & regimen & nomen, idque mirabili cum eventu. Quippe ubi Foxus propter concionandi confidentiam & dicendi in templo, in media hominum concione, audaciam, rapiebatur in carcerem. In quo dum aſſervabatur (verum ita, ut tamen multis eum viſendi conveniundique copia fieret) multi cives, ac ipſe prætor *Johannes Recleſius* cum uxore, totaque familia, poſt aliquot Foxi expoſtulationes cum ipſo, & nonnullos in eum aculeos, animos ad Foxum deflectunt, ſeſeque illius ſectæ ac diſciplinæ addicunt, ipſique cominus inter ſuos concionari auſpicantur. Hæc captivitas Foxi paucorum dierum erat. Agebatur jam annus ſeculi quadrageſimus nonus, ætatis Foxi quintus & vigeſimus. Qui annus & Foxo pariter & ingreſſus in ſtatum virilem, & in miniſterium conſecraneus habebatur, & Quakeris annus ſuæ eccleſiæ natalis, nobilis & gloria decoris, & gratia confirmationis. Utique ab hoc anno Quakeri commemorant ſuæ naſcentis

eccleſiæ *miracula.* Verſabatur Foxus adhuc in provintia Nottinghamia, morabaturque paulo diutius *Mansfeldia.* Illic intrat valetudinarium. Mulier erat, quæ præterquam quod erat mente capta, juxta impatibilibus cruciatibus diſtrahebatur. Huic medicus parat incidere venam, ad mittendum ſanguinem, levandi cruciatus ergò, poſtquam manus vinciri curaſſent. Accedit commodum Foxus, videt quid fieret, quæ illa mulier eſſet, circumſpicit, indicat, aſſeverat, mulierem malo ſpiritu affligi, neque id ut vulgus hominum, qui cum mali cauſam ignorant, referunt ad auctorem cacadæmonem; perſtat in ſententia, rogat, mulierem exolvant, eoque facto jubet eam, quæ certe defatigata erat, & dolore, & niſu ac ſuccuſſu, quieſcere. Illa paret. Dehinc eadem reſipiſcit, & ſuam interruptam corporis temperantiam recuperat. Illud Foxus accipiebat, divina virtute, quæ in ſuo populo operabatur, ſanari ægros, & ejici impuros ſpiritus; & perſonabant ubique illi, qui erant ut Foxi cymbala ac crotala, mulierem fuiſſe dæmoniacam, obſeſſam illo malo annos triginta duos, & allatam ad Foxum, inter multas maximaſque vociferationes & clamores, & ſimiles mugitibus motus, & horrendos ſcreatus, interque teterrimum fætorem, quem exhalabat mulier, aſpectante magna hominum multitudine, iſto maligno ſpiritu liberatam & reſtitutam fuiſſe. Narrabat quoque Foxus, ſe non multo poſt in *Leceſtria*, in vico cui nomen *Trikosſio*,

virum

virum ægrotum, derelictum a medicis, poſtquam ſuper eum quædam verba eſſet locutus, manuſque tetendiſſet ad cœlum, ſanaviſſe. Aliud addebant amici, accidiſſe, quum Foxus abſolviſſet orationem ad populum, ut ei occurreret mulier, comitata marito, ſcabioſa, ulceroſa, obſita cataplaſmatis, & ut, Foxo ſciſcitante maritum, an fidem haberet miraculorum, illo autem hæſitante ac cunctante, Foxus idem rogaret uxorem, atque ea affirmante, actutum emplaſtra abſtergeret, atque miſeram fœminam integritati reſtitueret. Referebant quoque Foxus ac ſocii, Foxum ſimile quid interdum ſolo contactu manuum effeciſſe. Præter miracula Quakeri etiam *viſiones* & *prædictiones* rerum futurarum a tempore hoc ſuis tribuebant, & donum ſingulare eſſe aſſerebant ſuum. Nihilominus de hac re parcius loquebantur, & excepto exemplo uno atque altero, quod erat ſpeciale atque diſtinctum temporibus & locis & perſonis, ſolum exempla generalia allegabant, in quibus ergo nulla hoc loco narrandi authoritas, nulla certa fides, uti & ſingularia ſpecimina illa illud pondus non habent, ut neceſſe ſit in memoriam producere. Id potius dicendum, Quakeros qui poſt primos hoſce ſunt ſecuti, neque multa miracula viſaque ſolere enumerare, neque de iis quæ præceſſerunt multum, neque libenter, neque aliter quam caute ac timide, loqui ac ſcribere, & agnoſcere ac fateri, cum ſe non novum Euangelium ajunt adferre, ut vetus, id

quod Chriſti & Apoſtolorum miraculis ac prædictionibus dudum, & ſatis ſuperque eſt corroboratum, ſibi hujuſmodi adminiculis ac defenſionibus non eſſe opus, neque ab his ſuam pendere religionem, neque inde laudem & gloriam ſperare ſe, neque aucupari gratiam hominum. Dicas id illos intendere, ut quædam illius primæ atque Apoſtolicæ eccleſiæ ſigna oſtentent, & interim hoc agere ac curare, ne ſi eadem non omni modo clara ac perſpecta ſint omnibus, ipſi incurrant in deſpectum atque ludibrium. Niſi ſi hoc ſit, quod ſtudeant Chriſti Domini quoddam veſtigium, ſua interdum miracula atque oracula & vaticinia occultantis, referre. Porro commemorant Quakeri, ſuos homines ab anno hoc ita creviſſe, & eam copulationem adhæſionemque inter ipſos fuiſſe, ut jam certam firmamque, & ordinatam examuſſim, eccleſiam conſtituerent, conſpicuam, non quodam externa ſpecie, at eminenti ſimplicitate. Et vero cum plerique uſque antehac ſuis ſe priſtinis eccleſiis continebant, aut ſeorſum ab aliis, vel cum paucis, ſuis novis ſacris vacabant, iſti ab hoc tempore majori numero, & invicta audacia, ſe abjungere, quiſque ab iis hominibus quibuſcum conſueverant, & una mente ac voce conjungere ſe, & unam communem conſortionem profiteri, & fœdus conſciſcere eccleſiaſticum, & ubicunque & quotieſcunque opportunitas ferret, coire in unum, ac ſuas inter ſe res religioſas tractare. Erat autem ipſorum doctrina

ctrina hæc, uti plus quid in receptis doctrinis illarum eccleſiarum, a quibus deceſſerant, ſibi judicabant eſſe vitandum, quam quid pro ſe credendum tenendumque eſſet, complecteretur. Alioqui doctrina eorum ſimplex & curta, pauci quos habebant neceſſarios articulos fidei, nulli qui ſpectabant ad contemplationem rerum abſtruſarum, difficilium, magis admirabilium, quam utilium ad pietatem ac probitatem, ſolum ejuſmodi, qui attingebant lumen, quod ſplendebat lucebatque in uniuſcujuſque animo, & Dei verbum, quod intus ſonabat, & in his internam cum Deo communitatem, atque ita reverentiam & amorem Dei,& obſequentiam atque obſervantiam voluntatis Dei, & officia hominum inter ipſos. Talis quoque eorum in cætibus ſuis Divinus cultus, eaque exercitia, ut plane eſſent ſine ullo apparatu & ritibus ac cæremoniis, & ſolo peragerentur ſilentio, vel tacita attentione ad Spiritum, donec Spiritus exſuſcitaret ad loquendum, & tunc quidem conſiſterent in adhortationibus ad ſui cujuſque examen, & conſiderationem operationum Spiritus & luminis ac verbi in corde, & ad ejuſmodi ſtudia, quibus quiſque ſe abnegaret, & Deo ſubjiceret, & ſe pararet ad pænitentiam, & emendationem vitæ, & modeſtiam & temperantiam, & veritatem ac conſtantiam dictorum factorumque, & cunctas iſtiuſmodi actiones, quæ homines decent, & homines hominibus conciliant, & pacem ac concordiam pariunt inter omnes. Ne-

Digitized by Google

que aliud opinione aut ſuſpicione poterat deprehendi, quam eſſe inter eos, qui vitam ducerent conſimilem verbis, quandoquidem hæc ipſorum in communi converſatione, & apud eos ipſos, erat continentia, ut fere nota hac dignoſcerentur. Tanta in commerciis cum hominibus manſuetudo, lenitas, in ſodalitiis moderatio, in vultu ſeveritas, tarditas in ſermone; in veſtitu nihil ornati, nihil ſplendidi in ædibus, etſi erant quibus ad bene ac laute vivendum omnia abunde eſſent. Eminebat inter eos maxime amor & cura ac vigilantia circa ſuos, cum in iis rebus, quæ pertinebant ad religionem, inſpectio atque inquiſitio, quemadmodum in his quiſque ſe gereret, quomodo ſe haberet; tum in illis, quæ attinent vitam humanam, mores a ſuperbia & jactantia alieni, familiaritas, affabilitas, benignitas, inter faſtigio inæquales, ut nequaquam novum, aut malum omen eſſet, ſiquidem potens ac dives pauperi blandiretur, aut illi pauper prodeſſet ac non inſidiaretur. miſericordia, liberalitas, facilitas, occurſio, erga miſeros ac male affectos animis vel corporibus, ut dum alii aliis, facultatibus, conſilio, opera, auxiliarentur, & cuncta in quocunque caſu velut commodarentur, eorum nullus ulla re egeret. Ita id operam dabant omnes, ut in omnibus, non novæ alicujus eccleſiæ formam, at illorum priſtinorum primorumque Chriſtianorum imaginem, & eorum ſimplicitatem, ſed tamen & gravitatem virtutemque exprimerent. Quibus

bus rebus efficiebatur, ut multos in ſui admirationem traherent, & indies plurium in ſe animos converterent. Novi ego virum doctum ac clarum, qui hac fama permotus trajecit in Angliam, atque accedens eos homines, cum exſpectationem ipſius ipſe conſpectus & cognitio ſuperaret, hoc de hominibus illis, ut ſibi videbatur, experimento adductus, ſe totus illorum dedit addixitque partibus. Tametſi alii ac plerique omnes ita ab horum Quakerorum ratione omni abhorrebant, & modo omnia ſimulari & vultu ac ſermone tegi credebant, ut ne auditu aſpectuque quidem illorum verba moreſque accipere, nedum animo ferre poſſent. Quocirca hi illos omni contumeliarum genere excipere, & de vita atque artibus illorum, ſine ullo tamen auctore, ſpargere & diſſipare, eſſe nequiſſimos mortalium, eſſe exorciſtas, ut vulgari utar nomine, & veneficos, qui ſua ſpecioſa doctrina feneſtram & januam ad malitiam omnem patefacerent, & ſuis prætextibus & incantationibus atque præſtigiis homines ineſcarent & caperent. Pro quibus dictis illi id regerebant, & ſe hoc conſolabantur, ſe & hac conditione non ſecedere ab tam iniqua & indigna ſorte veterum Chriſtianorum piorumque in omni tempore. Nunc redeo ad Foxum. Morabatur is aliquo tempore *Mansfeldiæ*. ubi ingreſſus templum, interim dum verbi miniſter habet orationem, adverſus eum incipit concionari. Quo populus non parum iratus eum manibuſque pedi-

pedibuſque exigit foras, & conjicit in carcerem; & quum eopſe die, inclinante in veſperam, dimitteretur, idem populus illum onuſtum multis contumeliis expellit ex urbe. Idem & alibi accidit. Atqui manſit tamen Foxus idem qui fuerat, vel potius multo plus evaſit conſtantiſſimus ſuæ ſemel inſtitutæ doctrinæ diſciplinæque auctor atque defenſor, & iſtius in templis tumultationis incœptor ac perfector. Neque eum aut priſtini doloris memoria, aut metus novi, vel punctum temporis ab ſuo ſolito fervore animi retardavit, perrexitque in hoc ſtudio Foxus illos duos aut tres inſequentes annos. Quod antequam narro, poſtulat res, ut ſemel, ſed tamen breviter, diſtincte oſtendam, quæ fuerint capita, de quibus Foxo totiens in hominum conventibus ac concionibus publicis, poſt ipſorum ſermonum abruptionem interruptionemque, altercatio, non diſceptatio, non ſermo, fuit. Erant ea hæc, ut ſpectarent vel ad verbi miniſtros, quod ſolum adducti mercede, ſe ejuſmodi miniſtros præberent, cum Foxus id gratis ab iis fieri vellet; vel ad inſtrumentum, unde illi doctores ſuam doctrinam addiſcebant & docebant ſuos auditores, videlicet ſacram ſcripturam, ceu verbum Dei, quod ille vir nolebat illo nomine appellari; vel hanc illorum doctrinæ partem, ſanctos nunquam in hac vita ad plenam ſanctitatis perfectionem, eam quam lex Dei exigit, pervenire, quod is nominabat, eos favere hominum peccatis, eorumque patroci-

nium

Digitized by Google

nium ſuſcipere. Quibus in rebus Foxus non conſiderabat, quam poſitis cauſis his, ſuæ cauſæ his non multum eſſent diſſimiles, ut cujus circuncurſio atque opera omnis quidem gratuita eſſet, aſt ita tamen, ut ei, antequam peteret, neceſſaria omnia a ſuis deferrentur, ſin minus, non denegaretur ei, ſemper & ubique, ut muſcas inadvocatum accedere, atque ut mures edere cibum alienum; & ut cujus id nunquam non verbum eſſet ac præfatio, quotiens ut populi inſtitutor proderet aliquod ſecretum, eſſe id ipſum Domini verbum; denique ut qui nunquam aut raro ſuis illam internam ac ſpiritualem vim legis atque obligationem ob oculos poneret, at tantum virtutes externas exponeret, atque ita multa quæ re erant peccata, pugnantia cum lege Dei ac perfectione, iis celaret. Jam accidit anno quinquageſimo, cum Foxus in provincia *Darbienſi*, in ipſa urbe territorii ita appellata, quoddam Presbyterianorum templum ingreſſus, poſt finitam concionem, ſua ſenſa coram univerſo cœtu ſatis audacter exprомeret, uti ad magiſtratum abduceretur, atque ut is Foxum, poſt habitam aliquam diſceptationem atque altercationem cum miniſtris eccleſiarum, comprehendi atque conjici in ergaſtulum juberet, tanquam qui omnia divina atque humana perturbaret. Tenebatur Foxus in loco hoc menſes ſex. Etenim hi homines nequaquam alieni ſunt à nomine Chriſtianorum, etſi dicunt nomen illud jam tum apud ſeculum illud prius Chriſti

diſci-

diſcipulis inditum fuiſſe contemptim, ab adverſariis Judæis ac Gentilibus, quidam, nimis ſtrictum eſſe ajunt, neque complecti omnes pios ac ſtudioſos Dei, & divinæ gratiæ participes, at ſolum Chriſti nomen cognoſcentes ac profitentes. Atqui quoniam Quakeri uſquequaque in ore habebant, nomen lucis, & Chriſtum prædicabant ut lucem irradiantem unumquemque hominem, & huc ſingulos homines cohortabantur, ut ambularent in illa luce, ut lucis filii, hinc nomen ipſis uſque ad hoc tempus datum ab irriſoribus, *confeſſorum filiorumque lucis*. Quod nomen alioqui minime repudiabant. Verum hoc tempore datum iis nomen hoc injurioſum *Quakerorum*, idque ob hanc cauſam. Quum Foxus, detentus in ergaſtulo, aliquoties raperetur in quæſtionem, atque is eos qui quæſtioni præerant judices ſæpies admoneret, ut Deum venerarentur & timerent, & tremerent ad ejus verbum, & ſuam operarentur ſalutem cum timore ac tremore, atque illa, ſicut Foxi, ita cunctorum Foxi confectaneorum, perpetua vox & monitio eſſet ad homines, unus ex judicibus, cui nomen *Jeremias Bennetus*, audiens, Foxum totiens de tremore illo facere mentionem, illum totamque ſectam nuncupat Quakeros, quod ex Anglico (prout is loquebatur Anglice) expreſſum notat tremulos. Cui cum accederet, quod hi homines non unam ob cauſam inter ſua ſolennia ſacra more tremebundo agerent, alii hoc magis illam nomenclationem in hoſce homines tranſtule-

ſtulerunt, ita ut exinde haut alio nomine venerint, quam hoc ipſo Tremulorum ſive Quakerorum quod nomen Quakeri ſimiliter atque illa nomina antecedentia benigne, & cum quadam dexteritate, poſtmodum ſunt interpretati, & ad ſe applicaverunt, quemadmodum initio hujus operis poſui. Cæterum referunt Quakeri illum judicem Bennetum, interim dum Foxo valde erat gravis ac moleſtus, inſigni a Deo plaga fuiſſe affectum, & cuſtodem carceris ſive phylociſtam, ante diu adverſus Foxum tam ferocem quam leonem, dein, ubi quis Foxus eſſet melius cognoviſſet, adeo placidum erga eum factum atque ovem. Jam Foxus, poſt captivitatem semeſtrem laxatus cuſtodia, deducitur in forum ad conquiſitores militum (namque fervebat adhuc eo tempore bellum inter Stuartios & Parlementarios, prout diſtinguebantur, & erat in ſagis hæc civitas) ut nomen daret in militiam. ad quos cum Foxus eſſet deductus, quum ut hoc faceret, etiam oblatione alicujus majoris muneris invitaretur, non ſolum illi haut ſic ferebant, verum is quoque pro hac re eos hac brevi ſed acri oratione eſt allocutus: *Itane vos viri, me, ut hujuſmodi in militiam ingrediar, etiam veſtris promiſſis invitatis? Non agam. non, etiamſi maxima denuntietis mala. Quid? imo ſum demum miles, & jam bellum gero, & pugno, at non id, quo tam victori, quam victo, certe clades, ſæpe & mors, huic corporis, iſti ſane animæ expoſita eſt; aſt illud, ut & hujuſmodi pugnas & bella & ar-*

& arma effugiam, & illas, non modo evitem, ſed ſubjugem prorſus cupiditates atque libidines, è quibus illa alia certamina ſolent oriri. Miles ego ſum, geroque bellum, & pugno, ſed hoc, ut ſtudeam paci atque incolumitati, meæ, veſtræ, cunctorum hominum, cum in hac humana ſocietate, tum apud Deum. Quod utinam & imitemini vos, & imitentur omnes. Quare id cupio ac peto, ut mihique nullam amplius in hoc moleſtiam faceſſere, neque vos ipſos deteriori quam eſtis conditione implicare velitis, neve propoſita licentia atque impunitate apud ſupremum illum imperatorem Deum, per ejus excandeſcentiam, tempus ulciſcendi obſervantem, atque neſciam tunc commiſerationis, æternum pereatis. Qua oratiuncula tantum abeſt ut Foxus ſuorum adverſariorum indignitatem repreſſerit, ut eorum ferociam ac ſævitiam magis excitarit, cujus illi hoc volebant extare monumentum, quod Foxum non jam in carcerem conjicerent, ſed in caveam terræ fœtidam, inter fures ac facinoroſos homines. E qua tamen poſt alios menſes ſex liberaverunt. At enim neque hoc malo territus animi Foxus, quin factus audentior atque excelſior, non ſolum in iiſdem provintiis Leceſtrienſi, Darbienſi, Nottinghamienſi, (quæ ſcilicet initio & diu poſt quaſi officina ac theatrum illius ingenii atque inſtituti fuerunt) ſed etiam per ducatum Eboracenſem, & comitatum Lancaſtrienſem, totamque incultam ad occaſum regionem, ſive Weſtmorlandiam, indefeſſus ſuam doctrinam ac diſciplinam prædicabat,

Digitized by Google

bat, cum magno hominum ad eum concurſu. Certe nunquam quiſquam inter Quakeros toties in concionem conſcendit habuitque ſermonem ad quoſquam, quam Foxus. Sed neque Foxus ipſe tam ſæpe ad ſuos orationes habuit concionales, quam his temporibus ac locis. Et quoniam ubique præſens eſſe ac loqui non poterat, ſe quoque ab tempore hoc componebat ad ſcriptionem literarum ad varios cætus hominesque ſingulares, in iiſque id quod unicuique rebatur neceſſarium, commonebat. Licetque etiam hodie videre apud multos magnos faſciculos perſcriptos ad unos eoſdemque homines. Quanquam in iis nequaquam ſuæ locutionis ſermoniſque vim exprimebat, quippe ſcriptis omnibus, non modo literis notiſque vix intelligibilibus, ſed etiam ſtylo adeo ſimplici, ſæpe adeo duro ac difficili, ut a nullo minus quam a viro tali, adeo exercitato dicendo, ſcriptæ viderentur. Harum epiſtolarum cunctarum primam, ſcriptam circa annum quinquageſimum ad amicos, hoc loco exhibere libet. Scripta erat Anglice, ſonatque Latine ſic. *Dominus rex eſt ſuper totam terram. Quare gentes omnes laudate ac prædicate regem veſtrum in vera obedientia, in nitore ſanctitatis, & in ſinceritate. O! conſiderate in vera obedientia, qui noſcatis Dominum cum intelligentia, & notate atque conſiderate in ſilentio, in ſubmiſſione animi, & audietis Dominum loquentem ad vos in veſtro animo. Ejus vox eſt dulcis & amœna. Ejus vocem audiunt ipſius oves, neque volunt audire aliam.*

Et quando ejus vocem audiunt, gaudent & obediunt, & etiam canunt præ gaudio. O! illorum corda repleta ſunt æterno triumpho. Canunt & laudant Deum æternum in Sione. Illorum gaudium nullus homo rapiet ab iis. Gloria ſit Domino in æternum. G. F.. Hoc anno quinquageſimo *Eliſabeth Hooton*, ortu ac habitatione Nottinghamienſis, mulier proveƈta ætate, primum è mulieribus inter Quakeros auſa viros imitari ac publice concionari. Quo faƈto mox plures, ejuſdem ſexus, in eandem confidentiam atque operam traxit. Eadem poſt aliquot deinde annos cum Foxo tranſmeabat in Angliam novam, ubi cum ſe totam ad hoe opus conferret, multa ab incolis paſſa eſt, tandemque obiit in inſula Jamaica. Verum revertor ad Foxum. In hac Foxi perſeveranti ac flagranti ſtudio concionandi ſane pervaria ejus conditio, & miri caſus, & ſingulares eventus fuere. Quarum rerum aliqua exempla libet referre. Accidit in ducatu Eboracenſi, illo in oppido quod eſt in plaga orientali, *Beverlaci*, ut Foxus magno impetu mentis ingrederetur templum. Ubi primum ſe retinet ac tacet, dein poſt peraƈtam à miniſtro verbi concionem, extemplo, coram univerſo populo, ſuis extemporalibus & exprobrantibus ſermonibus intonat, & mox diſcedit, & inultus impunituſque evadit. Paucis diebus poſt *Crautſikii*, in templo concionatorem, virum magni nominis, quamprimum is textum (id nomen receptum in uſum) prælegiſſet, figit tali oratione, quæ nihil

hil habebat propoſiti præter contemptionem totius viri dignitatis, & ordinis, & religionis. Quod facinus cum eum in extremum periculum adducere potuiſſet, cum vix eſſent, qui non illam tantam audaciam atque injuriam haberent, ut ſe nulla vindicta ſatis digne perſequi poſſe putarent, ſimiliter ipſi impune ceſſit. Dicam paulo prolixius de quadam illius concione corporea. Peragrat is in Leceſtria, ſua patria provintia, rus cum aliquibus amicis. Videt e longinquo urbem, quam quum quæ eſſet neſciret, contatur de ea ex amicis, atque intelligit urbem eſſe *Lychefeldiam*. Illic Foxus e veſtigio ſuo cum animo ſtatuit eo inſtituere iter, & in cives omneis, ſummos, medios, infimos, ſed ſibi qui qualesve eſſent, incognitos, diras enuntiare. Mihi memoria volventi antiquos annales rerum Britannicarum incidit, circum eam urbem, tempore ac furore Diocletiani imperatoris, perplurimos Chriſtianos martyres atrociſſime afflictos, multos exquiſitis tormentis excruciatos fuiſſe; deinde regnante Angliæ Henrico ſexto in eodem Lychefeldienſi agro, in conflictu exercituum regis atque comitis Sarisberienſis, ita fuiſſe pugnatum, ut utrinque ingens ederetur ſtrages, & exercitus regius pene ad internecionem omnium deleretur, atque adeo utraque tempeſtate illam latam humum tot hominum cruore fuiſſe infectam. Jam & Foxi ævo, abhinc paucis annis, in illo funeſto inteſtino bello, quod regem ac populum adeo disjungebat, in iiſdem

campis, & in urbe hac multum humani ſanguinis fuſum, quod Foxum non fugiebat. Igitur huc Foxus iter dirigere, & quum ut urbem, ita viam ad urbem ignoraret (nam dereliquerat jam amicos) impatiens moræ, ſequi modo conſpectum oculorum, ac per lineam rectam, in qua nihil flexuoſum, per loca confragoſa, per ſcrobes, per ſepes, tendere ad urbem. Quo antequam accederet, videt aliquot paſtores ovium, & parumper apud eos ſubſiſtit. Tempus erat hyemale & frigidius, cum tamen Foxus ut ignis ferveſceret. Itaque exuit calceos, eoſque apud paſtores deponit, atque ita diſcalceatus nihilo ſegnius currit in urbem, & ſurſum deorſum curſitans, clamat, *væ! væ! ſanguinariæ urbi Lychefeldiæ*, non addens, quamobrem aut quorſus ille clamor, an quid factum eventurumve, utrum ſignificatio, obnuntiatio, hortatio ad quiritationem vitæque emendationem, aut quæ alia cautio, eſſet. Horum ille nihil, neque tunc, neque tempore conſecuto, poterat interpretari, neque longius progredi, quam quod ſibi id in animum a Deo datum diceret. Illud duntaxat aliquanto poſt Foxus animadvertebat e conjectore amico, quondam in hac urbe & locis circumjectis viſum ſpectaculum ſanguinolentum. Dum vero Foxus ita urbem uſque omnem percurrit vociferando, illum quidem cives ire ſinunt, cenſentes hominem inſanire, & aut irridendum eſſe, aut ipſum lamentabilem. Quare Foxus frigens toto corpore atque omnibus artubus,

Digitized by Google

bus, & e curſura laſſus oppido, oppido excedit, reditque ad paſtores. Quo cum veniſſet, jam igne cæleſti & divino tantoque corripitur pedibus, ut ſua nihil intereſſet, an calceos reſumeret indueretque, nec ne. Tamen admonitu Dei induit, & ab his locis abit. Accidit id ſæpius, ut crederent homines Foxum inſania percitum aut mente captum eſſe, utque idciro illi, ut fas eſt, cederent. Verum non ita ubique Foxi conſtantia atque audacia abiit ſine ejus incommodo. Igitur alibi quidem prohibitus acceſſu, etiam commorandi, & refieciendi ſe ex itinere & fame ac ſiti, diverſorio, ut quandoque cogeretur, etiam noctu, ſub dio in agro inſomnis ac jejunus perſiſtere; alibi cum inopinanter adveniſſet, repulſus ſuperbiſſimis verbis ac minis, & ſicubi eſſet ingreſſus in templum, atque illic nec dicentium linguis, neque ſuis faucibus faveret, non verbis tantum, ſed etiam verberibus, idque interdum crudeliter, repenſus. Contigit id in ducatu Eboracenſi Warnsfortii & Doncaſtri. Balbii lapidibus ejectus e templo & urbe. Ticmontii in ipſo templo inter loquendum adeo cædebatur, ut facies ei ſanguine ſtillaret, ac mox obtorto collo extrahebatur, foriſque baculis amovebatur, quoad aliquam ſe domum, atque inde extra oppidum proriperet. At nullibi tam magna turbulentaque oppreſſio quam in Lancaſtria *Ulverſlonii*. utpote ubi concio, non omnis populus, ſed quatenus conſtabat e viliori & imperitiori populi parte, & juventute ac pube, poſt Foxi pugnax cum eccleſiæ paſtore colloquium, confertim in Foxum irrue-

irruebat, eumque feriebat manibus in templo, dein protruſum foras ita percutiebat, & pedibus proterebat conculcabatque, ut in vitæ periculum veniret, & interim neque ab eorum parcebat verberationibus ac vulnerationibus, ad quas licet conſcientia, nulla tamen facti Foxi culpa pertinebat, uti nec illorum, qui Foxum, dum ita raptaretur & affligeretur, ſolum protegebant ac defendebant verbis, & ipſorum furori ſtudebant eripere. Alibi in eadem provintia Foxo, quum ad eos affectaret iter, turmatim inſtructi armatura levi obviam volabant, & ſuis locis arcebant. Atqui Foxus interea nihilominus pergere, & idem facinus illiuſque crimen in ſe ac diſcrimen omne ſuſcipere, dura ac veluti ferrea patientia. cumprimis poſtquam fodicantibus quandoque his malis ipſius animum, credebat ſibi monitus & hortamenti inſtar eſſe ad cuncta audenda, monſtratas illi à Deo in montis altiſſimi vertice regiones, in quibus Deus ſibi ſelegerat populum peculiarem; & repertum a ſe in quadam montis devexitate fontem, ubi aquæ plurimum ad reſtinguendam ſitim, cum Foxus jam diebus aliquot parum potionis ac cibi guſtaſſet; itemque viſam paulo poſt multitudinem hominum indutorum candidis veſtibus, appropinquantium Deo, juxta fluentum ac lenem decurſum aquarum. Videlicet hujuſmodi oſtenta Foxus accurate ac diligenter notabat deſcribebatque in ſuis commentariis, atque inter amicos communicabat. Jam annus erat quinquageſimus ſecundus ſupra milleſimum ſexcenteſimum, a quo tempore hujus ſectæ

ve-

venit numerandus progreſſus, cum hucuſque fuerit ejuſdem ortus. Solent plerumqueres duæ alicui novo incœpto plus incrementi atque etiam dignitatis adferre, & claritas eorum, qui ad hoc ſtudium confluunt, & loci, in quo congrediuntur facultas atque commoditas. Itaque cum Foxus illiuſque cohærarii & ſocii hucuſque vix præter infimi generis multitudinem habebant ſibi auſcultantem, neque extra homines vulgares aut plebejos, qui munere concionatorio ſungebantur, jam plures accedebant conditione vitæque ſtatu notabiliori aut inſigniori, qui tum auditorum, tum loquutorum doctorumque partes capiebant explebantque. Et cum ad idem tempus hoc illi homines modo qualiacunque ſe in loca congregarent, in oppidis ac ruri, & ſæpe ii qui ſermonem inſtituebant habere, hominum præſentiam aut occurſum obſervarent, in templis, in curiis, in foris, in pomæriis, in compitis, aliis in locis, unde non ſemel, facta a vulgo lapidatione, aut fuſtuario, abigebantur ac propellebantur, interdum in ferrum atque in vincula conjiciebantur, illi nunc convenire in ædes, in iiſque colloqui, & ſua ſacra communia tractare, in quibus nempe tutiores erant, uti a cæteris incommoditatibus, ita ab indomito furore populi. Utrumque ſenſim ac gradatim, alicubi non abſque miris caſibus, evenit. Dixi quæ iſtæ fuerint provintiæ, in quibus Foxus jam nunc temporis præſertim verſabatur, Eboracenſis, Lancaſtrienſis, Weſtmorlandica. At-

qui in ducatu Eboracenſi primus, qui ſe Foxo ſtitit diſcipulum, ac mox extitit collega, fuit *Guiljelmus Dewsburæus*, natus in pago ejus regionis Allitorpio, quondam lanarius in oppidulo Wakefildio, tum tubicen ſub ſignis militaribus Olivarii Cromwelli, Protectoris Britanniarum. Is Foxum audiebat concionantem. quumque Foxus ejus diei veſperi it meditatum in agrum, illic ad eum it Dewsburæus, atque ei indicat, ſe dudum eodem ſtudio, quo Foxus, ſuum animum imbuiſſe, & nunc magis oratione Foxi impulſum eſſe, itaque facere ſe omnino cum Foxo, & loquuntur porro ambo hac de re ferventer. Non multo poſt ipſe quoque Dewsburæus evadit doctor & concionator, ac buccinator jam illius ſectæ, ac munus illud in illa nova eccleſia exequitur cum magna laude ac gratulatione ſuorum. Quanquam ille pleramque vitæ partem egit carcerariam, propter confidentiam & conſtantiam in ſuo illo munere. quam injuriam dicebat, cum propter bonam conſcientiam, ſuumque propter ſalutem hominum ſuſceptum officium pateretur, nunquam ſe animo moleſto, at ſemper æque læto firmoque perferre. Fuiſſe eum aptum ad ſuæ res ſocietatis, & ſatis diſertum, ipſi teſtabantur inimici. Illum ſecutus ſocius in munere hoc *Jacobus Naylor*, olim ruſticus non longe a Wakefildio, deinde aliquot annis miles inter Parlementarios, cujus haut multo poſt tempore mirabilis in ſuo munere ſors fuit, ſicut, cum ad id temporis

vene-

Digitized by

venero, oſtendam. Hos conſecuti, *Thomas Aldhamus*, qui ſæpe colloquendi, aut potius diſceptandi cauſa, adibat viros eccleſiaſticos, & politicos, & quoque Protectorem Cromwellum, cum ſuæ manifeſtandæ doctrinæ, tum viri illius fidei implorandæ gratia, conveniebat, tantum in eo fiduciæ ac ſpei collocans; item *Philippus Scafæus*, miniſter eccleſiæ publicæ in ducatus hujus vico prope urbem Whitbium, cui nomen Robinboodsbaye, ſito ad oceanum. In Lancaſtriæ comitatu, inter primos, qui ad Foxum & ſectam hanc applicabant animnm, erat *Richardus Hubberthornus*, natus in parte Lancaſtriæ ſeptentrionali, loco honeſto, & educatus ingenue, ad id tempus præfectus militum inter Parlementarios cohorti, adeo religioſus, ut perſæpe e loco ſuperiori, more concionatoris, ad ſuos verba faceret. Et hic non diu poſt munus concionatorium adibat inter Quakeros, atque id ita obibat, ut omnes uno ore ſummam ei laudem tribuerent. Id viri ſcripta, quæ reliquit, teſtantur, fuiſſe diſputatorem, non quidem imperitum, at nimis vehementem & aſperum, & interdum amariſſimum ac probroſum. Item *Thomas Thaylor*, ejuſque frater *Chriſtophorus Thaylor*, ambo eccleſiæ publicæ in illo tractu miniſtri. Denique *Richardus Farnsworthus*, auctor libelli, qui tractat de pronominibus Tu, & Vos, docetque exemplis congeſtis e tota S. Scriptura, nefas eſſe,

in ſingularibus allocutionibus uti alio vocabulo quam Tu. In Weſtmorlandia *Johannes Andlantius* ſe primus aggregabat ad ſocietatem hanc, & munus capeſſebat doctoris. Dein *Franciſcus Howgil*, ante ſarcinator Aballabæ ſive Appelbiæ, tunc in quodam cœtu inter Independentes præco ſectarius, qui vir pecuniam, quam ad hoc tempus ab ſua priſtina eccleſia acceperat pro mercede pro ſua opera, illi reddebat, vir inter eos viros non illiteratus & incommodus. Ac poſt hos *Eduardus Burroughius*, juvenis, ruſticus, ſexdecim aut ſeptendecim annorum, at demum par viro, & comparatus ad magnas res. Poſtremum etiam tempore hoc ſe Quakeris adjungebat, ac mox munus doctoris auſpicabatur, *Georgius Withadus*, ad id tempus eccleſiæ miniſter in urbe Lancaſtriæ provintiæ primaria, & tum hominibus doctis notus, & ab eruditione in utraque doctorum lingua, & a probitate ac modeſtia, & adeo hoc ipſo hodierno die celebris, etſi grandævus, ab ingenio & arte diſſerendi diſputandique, ore ac calamo. Aliorum nomina mitto. Id hoc loco dicendum, ex iis, qui Foxum ejuſque doctrinam primo ac præcipue obſervabant & ſequebantur, plurimos fuiſſe, non ſolum in locis memoratis, ſed paſſim in omnibus, tum qui Presbyterianorum eccleſiis adhæreſcebant, tum qui profeſſioni erant addicti eorum quos vocabant Independentes, Browniſtas, Baptiſtas,

ptiſtas, & reliquis ſingularibus nominibus; & inter hos poſtremos fuiſſe aliquammultos ex iis, qui ſub Cromwello & Parlementariis militabant, quorum exercitus maxima ſui parte conſtabat ex illo genere hominum; denique in hac multitudine fuiſſe non paucos ex ipſis antiſtitibus ac doctoribus illorum cætuum, qui tunc ſua autoritate & exemplo multos e ſuis eliciebant abducebantque. Ita quidem prima horum Quakerorum congregatio nil erat aliud quam multitudo collecta ex iſtiuſmodi hominibus, non adeo malis moribus, at religionibus incertis vagantibus, quibus tunc Anglia ſcatebat exagitabaturque. Atque ex his hominibus illi, quibus id præ aliis commodum erat, ſuas dehinc domos commodabant hiſce ſuis inter ſe amicis ac ſociis, ut in eas convenirent, in iiſque ea quæ pertinebant ad ipſorum religionem agerent. Neque excludebant alios alienos a ſua ſocietate, ut non intereſſe, & videre & audire quæ fierent liceret, niſi ſcirent aut ſuſpicarentur eſſe tales, qui ipſis inſidiarentur, & quem dolum atque malum aliquod molirentur. Adhæc jam Foxus non parum laboris impendebat altioris gradus atque poteſtatis hominibus, qui ſi non melius judicare de ejus inſtituto, at plus provehere poterant quam multi alii, & eorum multos alliciebat ad ſe. Quos inter etiam qui gerebant magiſtratum, minorem & majorem. Qui ſicut utplurimum magnates ſunt ma-

magnetes, qui ut hi ferrum attrahunt, ita alios infimates trahunt ad ſe, ſuo exemplo plures ex inferiori ordine hominum trahebant poſt ſe. Et hi quoque illi, quorum exinde domus ſemper patebant Quakeris, illorumque communicabantur conventibus. Imo vero aliud circa hoc tempus ornamentum & incrementum Foxo illiuſque ſectatoribus accedebat in comitatu Lancaſtrienſi, quod non leviter transeundum. Erant illis temporibus Ulverſtonii in comitatu illo celebres nomine religionis & pietatis *Thomas Fellus*, judex ex inquiſitione duodenaria (ſic Angli ipſi ſuum illud vocabulum, quo utuntur in ſua lingua, reddunt Latine) & uxor *Margareta Fella*. His Foxus, poſtquam iis innotuiſſet, ſic ſe probabat, ut illorum illi ædes ſemper paterent, nihilque in iis ipſi inapertum eſſet. Præterea quod ad maritum, quanquam is ſuam Reformatam eccleſiam non deſerebat, & illius religionem per totam vitam vere & voluntarie amabat, etiam cum conventus illius eccleſiaſticos non multum diligebat, atque adeo ſe non adjungebat ad ſectam Quakerorum, tamen non ita ab ea averſus erat, ut arbitraretur, non poſſe ſe eam pati, atque etiam tueri adverſus injuriam. Quare cum Foxus poſtea in urbe Lancaſtria coram judicibus a quamplurimis eccleſiæ publicæ miniſtris accuſaretur, tanquam ſi in concione quadam verba hæc horrenda eſſet prolocutus, docere

Deum

Digitized by Google

Deum fallacias, & ejus verbum, Scripturam S. multa continere mendacia, ubi reprehendebatur, hanc ipſam illorum factorum eſſe calumniam, aut fictam aperte, aut temere effutitam, judex hic cum aliis Foxum non tantum vitæ diſcrimine, in quod erat adductus, verum etiam omni metu abſolvebat, & viriliter & acriter defendebat, ac præterea ab eo tempore gravem ſe adverſarium eorum, qui ſic Foxo Foxianiſque adverſabantur, præbebat oſtendebatque, & illorum conatus identidem repellebat eludebatque. Deinde creſcente eorundem hominum adverſus Quakeros invidia atque odio, Fellus, cum homines illos nec ferre, neque tamen refrænare diutius poſſet, & eoſdem homines ſibi quoque fieri inimicos cognoſceret, raro adiit publicos eorum conventus, fugiens illorum audire voces, quorum diſſonos mores ac ſtudia atque opera diſparia tantopere refugiebat. Hæc maritus. Quantum vero ad Felli uxorem, illa ſe ita noſtrorum cætibus ſubtrahebat, ut in Quakerorum tota tranſiret, ac cum iis vitam omnem tranſigeret. Præterea cum maritus hanc ſuam uxorem impenſe amabat, illiuſque pietatem admirabatur, illa facile ab ipſo impetrabat, ut ipſorum domus communis, ſicuti Foxo, ſic cæteris ſodalibus cederet hoſpitio, quin eſſet pro æde religionis illorum hominum, in quam ad ſua obeunda ſacra publice, quotiens vellent, convenirent.

quo

quo in ſtatu manſit etiam poſt viri mortem, uſque ad mortem Foxi ſecundi Margaretæ mariti. Adhæc Margareta non diu poſt hanc ſuam converſionem, ipſa, omiſſa ſua colu ac foco, munus docendi concionandique in ea ſocietate aggreditur, ac porro non modo viva voce, ſed quoque libellis à ſe conſcriptis atque editis in vulgus, ſuos populares erudit attrahitque ad eandem ſocietatem. Quin extitit ab eo tempore eadem domus atque familia veluti ludus atque officina hujus ſectæ, & auditorum, & ſtudioſorum, & doctorum atque oratorum, cum maſculini generis, tum etiam fœminini. Nimirum procedebat hinc, idque propere, ac fere hoc ipſo tempore, veluti miniſter eccleſiæ Quakerorum, primum in domo hac, deinde per varias regiones, *Guiljelmus Catonus*, juvenis inſigni habilitate & humanitate, & item doctrina conſpicuus, ac flos juventutis, quem pater Fellus aſciverat in ſuam familiam, dederatque ſuo filio majori contubernalem ac ſocium, eo fine ut is filium ſuo exemplo anteiret excitaretque. Qui Catonus poſtmodum inter hos homines valde claruit atque enituit, cujus fama etiam in noſtra adeo percrebuit Hollandia. Neque tantum hoc. Catonum imitabatur, velut ſodalis ſodalem, aut magiſtrum diſcipulus, *Leonardus Fellus*, ille herilis in familia filius, ejuſdemque amor ac delicium, ut qui ipſemet quoque miniſterium huic genti ſacrum mox in do-

domum inſerebat. Sed & filium hunc filius alter *Henricus Fellus*. Et hi ambo dehinc permagni nominis doctores evaſerunt, atque hujus ſectæ peracres defenſores ac propugnatores extiterunt. Poſt quos inter mares, inter femellas ſequebatur, idemque capeſſebat munus hoc *Sara Fella*, ipſa quoque filia familias, quam præcones illius laudis ferunt fuiſſe, præterquam valde bellam atque amabilem, etiam mire felicem ingenio ac memoria, tantaque eloquentia in dicendo concionandoque, & ea in ſupplicando Deo ac precibus efficacia ac vi, ut cunctos in admirationem raperet ac ſtuporem. Quo autem in ſua propugnanda doctrina & vitæ actione tuenda e ſacra ſcriptura, eſſet paratior ac promptior, etiam linguam addiſcebat Hebræam, in eaque eos faciebat progreſſus, ut etiam ea in lingua libellos de ſua religione ſcriberet. Hæc illa familia in quam Foxus poſt aliquot annos totus tranſiit, dum mortuo Fello, marito Margaretæ, viduam hanc duceret uxorem. qua de re poſtmodum ſuo tempore. Nunc redeo ad ordinem & temporum & locorum Foxi ac ſociorum. Dum Foxus verſatur in locis memoratis anno ſecundo & quinquageſimo, in comitatu Cantabrigienſi, extra quidem ordinem locorum, in quibus Foxus jam nunc hærebat commorabaturque, orti inopinanter qui ſe Quakerorum religioni addicebant. Inter quos excellebat *Jacobus Parnelus*, ſtudioſus lingua-

rum,

rum, non obſcuris natalibus ac conditione, agens annum decimum quintum. Cujus adoleſcentis quod memoria facti vitæque fuerit admodum brevis, licebit rem totam loco hoc una ac perpetua oratione abſolvere. Ergo juvenis hic auſus illa ſua ætate tantam rem occipere, ob hanc cauſam a ſuis exædificatur ex ædibus, neque ſolum ab his, ſed ab omnibus neceſſariis exhæredatur. Sic derelictus, & non nimium allevamenti a novis amicis ferens, vitam parce ac duriter tranſigit, remanetque nihilominus in eodem ſtudio ac ſtatu vitæ. Poſtquam vero multum ac diu inter condiſcipulos, & item alios, de illorum & ſua religione diſputaviſſet, exacto biennio abit in comitatum Eſſexienſem, & munus capeſſit concionatoris, idque exequitur in agro. Deinde anno quinto & quinquageſimo petit Colceſtriam urbem, & altero poſt adventum die, illo uno die, celebrat concionem, & in ſuo diverſorio, & in templo publico, & in alio hoſpitio inſtituit diſputationem ac dialogum cum doctore & prælectore publicæ eccleſiæ, qua ſermocinatione Parnelus multos ad ſuam attrahebat religionem. Ubi hic aliquot dies eſſet commoratus, contendit Coghallium, atque illic in templo, poſt habitam à concionatore ad populum orationem, qua oratione ille dogmata Quakerorum acriter perſtrinxerat, iſtam orationem alia oratione refellit. Inde ex templo egreſſus, rapitur du-

duciturque Colceſtriam, atque ibi in arcem ac robuſtum carcerem truditur. Unde rurſus abducitur Chelmisfordiam ad judices juratos, ſive duodenos, qui cum crimen ac cauſam perorare non poſſent, quæſtionem conſiliumque dimittunt. Sic reducitur Colceſtriam atque in idem robur pertruditur, conditurque in cavum altum ac præruptum, ubi diutina inedia, vigilia, algore, torpore, ſqualore, ac poſtremo corporis totius è caſu contuſione necatus exſpirat, & illo fruſtra de ſuis miſeriis deplorante, & amicis nequicquam opem magiſtratus implorantibus. Fertur aliquoties ante obitum dixiſſe, unus ſopor horarius omnes ærumnas meas placabit. Morti vicinus, jam nunc exeo, inquit, inciditque in ſomnium, & ubi una hora interceſſit, evigilat, ac ſimul ſpiritum reddit. Cadaver præcipitatum in carnificinam. Jam hoc eodem anno Quakerorum doctrina atque ſecta e ſupra dictis provintiis, in quibus videlicet Foxus præcipue verſabatur hoc tempore, diffuſa in proximam regionem *Cumbriam*. in qua ex illis hominibus qui erant in majori honore ac nomine, primus ſe ad Quakerorum adjungebat ſocietatem *Thomas Lawſonus*, ad hoc tempus miniſter eccleſiæ publicæ in vico Ramſide in Weſtmorlandia, exinde ſimul paſtorali cura in ſuo hoc novo grege defungens, ſimul exercens herbariam, & poſtquam commigravit Londinum, notiſſimus

per Angliam herbarius. Quem ſequebatur *Johannes Wilkenſon*, paſtor Embletonenſis in Cumbria, poſtmodum præco celebris inter Quakeros in Scotia & Hibernia. Illum omnes ſui auditores prope ad unum deſeruerant, deſciverantque ad Quakeros. Sic deſertus regreditur ad eos. Imo jam in *Cumbria*, & in epiſcopatu *Dunelmenſi*, & in *Northumbria*, plurimi cujuſcunque ordinis viri religionem amplectebantur ſequebanturque illorum hominum. Atque ita nova hæc doctrina ac ſecta diſperſa per omnes plagas ſeptentrionales regni, tendebatque ſenſim in vicinam Scotiam. Interim creſcente uſque adeo horum hominum multitudine, etiam adverſariorum erga eos invidia atque inimicitia creſcebat. Non illi ſolum magno riſu ubique excipiebantur, ſed etiam plurima in eos jactabantur convitia, quin multa prava & impia dogmata atque facinora iis imputabantur. Quare aliis in locis tribunis plebis data poteſtas, ut ſi Quakerum iſtum Foxum, in aliis, ſi Quakerum ullum (namque id nomen nunc illorum proprium erat) offenderent, liberos eſſe non permitterent, & aut tutiſſimæ cuſtodiæ mandarent, aut ſuis finibus ejicerent. Itaque Naylor & Howgil Appelbiæ capiuntur committunturque carceri. Idem Foxo accidit Luguballi ſeu Carleoli in Cumbria, veluti hæretico, blaſphemo, deceptorum & impoſtorum illorum maximo. Et ibat rumor, ire

in

Digitized by Google

in conſilium judices, utrumne ſutorem iſtum propter continuas ſutelas ac fraudes mortis ſupplicio afficerent. Quod tamen longe ſecus evenit, ſiquidem Foxus ſutorio atramento, tantummodo acri admonitione, nulla inflicta infamia, abſolutus ac dimiſſus. Gu. Catonus & Joh. Stubſius in Cantio Maidſtonæ cædebantur flagris. In Lancaſtria variis in locis Quakerorum cœtus multa violentia diſturbabantur. Etenimvero cum Quakerorum ſecta ac doctrina necdum ſatis nota eſſet in reliquis partibus Angliæ, atque Londini, in regni totius urbe principe & capite atque compendio, vix ultra quam per rumores ac ſermones advenarum eſſet cognita, illi, quibus ſumma hujus adminiſtrationis deferebatur, ex iis qui in ſuo numero præ aliis docendi ac dicendi facultate erant præditi, decernunt, qui ſe aliorſum conferrent, atque illic ſuo quiſque officio in compellandis ac convincendis hominibus perfungerentur. Hi vicem ſuſtinebant Euangeliſtarum & Apoſtolorum. Contigit hoc anno quarto & quinquageſimo. Sic primo itum in proximam *Walliam* ſive Cambriam, primo ſeptentrionalem, dein auſtralem, ut & in vicinas regiones, & in urbem remotiſſimam, verum capitalem illam, ac ſedem regni, ut illic recepta res diffunderetur per omnia membra, ac loca omnia penetraret, occuparetque univerſum corpus imperii. Erant tum magna au-

thoritate & fide viri duo, *Howgil* & *Burrougius.* Hi illi quibus præcipue tradita ac demandata provintia excurrendi in Walliam atque Londinium. Tametſi Burrougius poſtea ſolus, huc exſtimulante animo ac deſiderio proprio, iter ingreſſus eſt *Londinum.* Ubi vero ambo in Walliam pervenerunt, ſuæque doctrinæ diſciplinæque ſparſerunt ſemina, orti extemplo qui ea avide ſuſceperunt. Erantque ex iis, qui ad Quakeros tranſibant, etiam in ipſo primordio, varii judices, ut Angli vocant, pacificatores, interque eos *Petrus Pricæus*, exinde uſque ad diem hunc celebris præco illorum hominum religionis. Illud præter alia mirum. *Johannes Upjohannes* Rexamenſis, eccleſiæ Independentium membrum, a ſuo paſtore Morgane Floydo mittitur in ſeptentrionem, ut quis Foxus, illic tunc conſiſtens, qui Quakeri eſſent, quæque ipſorum doctrina, videndo audiendoque intelligeret, ac certum documentum caperet, cum multa fando de iis hominibus accepiſſent. Atqui poſtquam id perfeciſſet, redit totus Quakerus, ac mox in ea ſocietate munus miniſtri capeſſit, ac ſe ſuo priſtino paſtori doctorique & populo, vehementer opponit, redarguendo, ſe ut ſectentur hortando, multoſque ab ipſorum abſtrahit eccleſia. Deinde poſt paucos annos totam Cambriam perambulat concionabundus, circumitque homines, & docet, in oppidis, & agris, in viis

ac

ac plateis, in compitis, cruces ſeu ſtelas circum, idque in nundinis ac mercatibus, in foris, in diverſoriis, Foxo ſe aliquamdiu adjungente, ut conſcio atque teſte. Et quanquam aliquoties mandaretur carceri, tamen liberatus perpetim eodem modo pergit. Cæterum dum Howgil perſeverat in iis regionibus, & alii in aliis partibus rerum ſuarum ſatagunt, in ſuo obeundo miniſterio, Burrougius petit *Londinum*, quo pauci de genere illorum hominum ante eum advenerant, quam urbem ſibi præ aliis cordi eſſe ſæpe ſolitus erat dicere. Quare, etſi dum illic commorabatur, interdum etiam ad alia loca tranſiret, aut raptim accederet, tamen potiſſimum hærebat in hac civitate, donec anno ſexageſimo ſecundo detentus in carcere, poſt gravem morbum, multaque ex morbi gravitate orta mala & cruciamenta, fortiter & patienter perlata, ſuam animam reddidit. Itaque Burrougius heic Londini huc omnes cogitationes curaſque ſuas intendebat, ut quod in ſe munus receperat, & quam habebat ſpem, quamque ſui de ſe habebant exſpectationem, expleret, eoque ſuo ſermone, cumque hoc raro tantum poterat, quantum volebat, libellis circumlatis allaborabat. Et quoniam paſſim locus ac tempus ad dicendum opportuna deeſſent, interdum loca ac tempora qualiacunque arripiebat, ratus nullum locum ac tempus, quæ hominibus ſunt ſalutaria, non opportuna ac legitima eſſe, cujus rei cum ſunt multa, tantum unum exemplum referam. Nota res eſt

iis quibus nota civitas Londinenſis, eſſe id in more atque uſu poſitum multis extremis hominibus, zonariis, ſutoribus, ſartoribus, opificibus, tabernariis, inclinante in veſperam die, extra urbem inter ſe ludere ac contendere luctatione, donec alii alios manu trahendo, aut ſupplantando, in humum proſternunt ac diruunt. Fit ejuſmodi certamen tempore quo Burrougius illac facit iter, atque locum illum præterit. Is accedit, adſtat, ſpectat, exſpectat quorſum tale ludicrum evadat. Adeſt luctator audaciſſimus paratiſſimuſque. Ille unum, alterum, tertium e ſociis excipit atque explodit in arenam. Necdum fatigatus novum ſibi adverſarium depoſcit. Stant omnes attoniti talibus viſis ac voce, neque eſt qui in medium audet progredi, præter Burrougium. Is circum ingreditur, adit hominem apud ſe exultantem, cæteriſque omnibus inſultantem. Ille exiſtimans, velle hunc quoque puglice atque athletice agere cum ſe, ſe colligit ac parat ad pugnam. Ibi Burrougius, vultu ad gravitatem compoſito, ore ſevero, paucis verbis viri furorem ac fortitudinem vincit, ut illi confeſtim animus cum corpore concideret. Dein converſus ad coronam ſpectantium, alloquitur eos oratione, cujus hæc ſumma. *Durum ac dirum eſſe, tali ſe homines exercitio oblectare, quod magis belluis convenit, quam hominibus, quod ne feræ quidem ineunt, niſi irritatæ atque incenſæ. Aliud eſſe certamen, quod & per naturam fas eſt,*

& li-

& licet per Deum, imo quo & naturæ lex, & jus commune a Deo inditum, & Verbum prolatum cœlitus a Deo, vocant, ducunt, trahunt. Id certamen illud eſſe, quo cuncti, ut Chriſti Domini milites, atque inter nos commilites, connitamur certatione animorum ac corporum, ut ſe quiſque, omnes invicem nos erigamus & decertemus præclarum hoc certamen fidei atque pietatis, & in hoc victores evadamus, & vitam æternam apprehendamus. Quibus auditis, quanquam plerique omnes doctorem hunc parum reſpicerent, nonnulli deſpicerent, tamen quidam, arrepti ſubito calore reverentiæ atque obſervantiæ adverſus Deum, & poſtea verba illa majori diligentia recognoſcentes, & quid ſui officii eſſet cognoſcentes, non modo ab ejuſmodi vanis exercitiis & ſpectaculis deſtiterunt, at etiam vitam totam commutaverunt, atque porro juxta doctrinam ac religionem Quakerorum inſtituerunt, aggregantes ſe illis hominibus. Namque ita Burroughius Londini ſua ſedulitate paulatim multorum hominum benevolentiam colligebat, & eos ipſos cogebat, tum in urbe, tum ruri. Quorum hominum multitudo aliquo intervallo poſt valde adaugebatur per Foxum, quum is in ea urbe verſaretur, retractus è curſu ſui operis, & huc ſui purgandi ergò adductus. Quippe Foxus, dum alii in ſua ſtudia toti incumberent, ſuum quoque ſuſceptum negotium perſequebatur, mente, animo, viribus, contemptione laboris ac periculi omnis. Licet dicere, haut

 ullum

ullum in ulla provintia, quam Foxus ad hanc diem adiit luſtravitque, templum, aut ædem locumve religioſum fuiſſe, noſtræ religionis hominum, & aliorum, neque ullum illuxiſſe diem, in quo illi ſuas res divinas facerent, quibus ille non cœtum aliquem hominum a ſe diverſorum ſit ingreſſus, eumque ſuo ſermone aliquo interturbarit. Neque abſtinebat ille à populo militari, qui ſcilicet paſſim ſingulis regionibus erat diſpoſitus, in quo populo quamvis pars maxima haut ſimilis eſſet militum vulgarium, ſatis caſte integreque degens, tantummodo pro libertate & pro ipſa ſua religione arma gerens, tamen multi erant leves, moribus diſſoluti corruptique, amantes plus popinas quam ſacras conciones. Inter hos quoque Foxus ore libero, intrepido, cunctis, coram, in os, multa objiciebat quæ in cujuſque vita privata, non ſolum quæ in religione noverat putabatque reprehendenda. Itaque jam ſua audacia (nam dici ſe audacem atque imperterritum adeo non accipiebat male, ut etiam in ſummæ laudis parte poneret) omnia perrumpebat ſuperabatque. Quin procedebat eo uſque, ut non uno tempore in media frequentia hominum fœminas quaſdam, quas nunquam conſpexerat, denotaret ut ſagas atque incantatrices, idque ſpiritu quem aſſerebat habere ſe excellentem, diſcretionis. In qua denotatione non invenio ullum unquam experimentum artis mulierum obſervatum fuiſſe, aut rem quæſtioni fuiſſe, atque etiam Foxo fidem

dem fuiſſe habitam, niſi ab iis, quibus jam ante perſuaſum erat mulieres tales eſſe. Quare non mirum Foxum ubique tot indignitates hominum incurriſſe, ut interdum etiam plures compacto ac communi conſilio aperte eum aggrederentur, aut clanculum inſidias ac plagas tenderent. Id magis mirum, Foxum totiens quæſitum, deprehenſum, delapſum in manus inimicorum, totiens ſupervaſiſſe ac non perdiu occiſione periiſſe. At agnoſcebat vero Foxus, & gratias Deo agebat, ſibi in his acerbitatibus atque ærumnis nunquam opem divinam deeſſe, & ſæpe ad miraculum adeſſe, contra viſam ſæpe mirabilem Dei ultionem in ſuos hoſtes, atque ejuſmodi facinorum compoſitores incœptoreſque. Ac neſcio an non è multis mirabilibus exemplis hæc digniſſima ſint relatione, prout Foxus ea inter ſuos compluries ac pluribus verbis ſolet commemorare atque confirmare. Ego brevi comprehendam. Olicanæ in ducatu Eboracenſi quidam conjuraverant, ut Foxum interimerent. Igitur intrant conventum in quo Foxus erat. Videntes autem Foxum omnes ita ſtant formidine attoniti, ut nemini competat animus ad ſe movendum. Non multo poſt unus ex illis alium quendam virum vita interficit, atque ut interfector ac reus tanti ſceleris captivus abducitur. Alius de eodem conſpiratorum numero qui aſſueverat præteriens Quakeros, eos exerta prælonga lingua deludere, & ſimul aliis prætereuntibus & illos homi-

nes, & ſe deridendi præbere copiam, cui ad poſtremum lingua adeo extuberabat, ut retrahere in os nequiret, ac per id novo hoc mortis genere extingueretur. Cœpi dicere de Foxi adventu Londinum. Accidit anno hoc Foxo, & Wetſtonæ in Leceſtria, & Londini, aliquid dignum memoratu. Hærebat adhuc Foxus in ea provintia, ac jam in illo verſabatur loco. Ibi, quum in quodam cœtu cum ſuis operabatur ſacris, quidam miniſtri eccleſiarum Independentium ac Presbyterianorum adeunt tribunum militum *Fr. Hackerum*, & petunt ab eo, atque impetrant, ut mittat aliquot de ſuis militibus, qui Foxum in illo conventu adoriuntur, & capiunt, & captivum ducunt ad tribunum, & habita quæſtione aliqua poſtridie abducunt Londinum, ut Foxus illic majori judicio, quam hujus tribuni eſſet, dijudicaretur, & ſi dignus foret, debitum ſupplicium perſolveret. Id Hackerus factum a ſe rogatu & inſtinctu illorum paſtorum, faſſus eſt poſt annos aliquot, & quidem pridie quam habitus reus parricidii regii, damnatuſque, ex patibulo ſuſpenderetur & necaretur. Ubi autem Foxus venit Londinum, etiam ibi in cuſtodiam datus eſt. in qua poſtquam aliquod tempus latitaſſet, deductus eſt ad Protectorem *Cromwellum* in aulam. Quo tempore Protector Foxum, poſt multos ſermones ultro citroque habitos, & multa inditia humanitatis ac benevolentiæ Protectoris erga Foxum illiuſque ſtudium ac conatum, abſolvit, atque illum

illum jubet ire in conclave aliquod amplum ac ſpatioſum. Tunc eo mittit è domeſticis, qui cum Foxo loquantur, atque eum invitent nomine Protectoris, ut apud Protectorem cœnet. Id Foxus abnuit, & veluti adepta jam, quod ei ſummum dari poterat, libertate, abit. Indignus, cui tanta daretur opportunitas ſibi porro tantum virum devinciendi, & ſuas ac totius ſocietatis utilitates promovendi. Et intemperatus, qui quod circa minores tam bene aſſervaret, idem nollet circa ſuperiores. Ad quod Protector iis, qui id de Foxo nuntiabant, *ergo jam nunc gentem ortam eſſe* ait, *quam nullis muneribus ac beneficiis poterat devincire, quibus tamen cunctos homines ſibi reddiderat obnoxios.* In hoc curſu vitæ ac miniſterii, qui non differebat a perpetua peregrinatione, Foxus jam ſuos quoque proferebat libellos, in quibus magis aliarum eccleſiarum religionem deprimebat, quam quæ ſua nova religio eſſet, quam volebat omnes diſcere de ſe ac ſectari, docebat, ſcribebatque complures epiſtolas, tum ad collegas, in quibus eos ſui admonebat officii, tum ad extraneos, illos adhortans, ut ſuam doctrinam acciperent. Et hos libellos, & has epiſtolas, quas itidem ut libellos curabat excudi typis, mittebat per omnes provintias. Interim ut Foxus ita & ſinguli illius facti comprobatores atque æmuli, quotidie fervidius pergebant in ſuo concionandi opere, ſuccreſcebatque ſimiliter numerus hominum qui ſe illis aſſociabant, ut

&

& eorundem fervor atque audacia, ut nulla vel laborum perfunctione, vel perpeſſione moleſtiarum abſterrerentur, quo à Foxi regula ac præſcripto diſcederent. Atque ita omnes ubique congreſſi & ſuos celebrare cœtus, oppidatim in ædibus, potiſſimum veſpertinis ac nocturnis temporibus, & interdiu in agris, in deſertis locis, in montibus, ubi oratori interdum ſuggeſti loco cacumen. Unde cum illi ab his rebus non deſiſterent, magiſtratus, quibus id ægre erat, quo contraveniretur, continuo apprehendi, & abduci in carceres, atque iis teneri jubebant. Quæ dum fiunt Protector Cromwellus edicto Quakeris publice quidem conveniendi poteſtatem interdicit, videns, ſic velle omnes eccleſias publicas, ſed tamen his quoque eccleſiaſticis, atque omnino omnibus hominibus, omnem moleſtiam atque injuriam adverſus Quakeros interdixit, tam diu, quam diu illi nil contra imperium ac regimen publicum mali committerent, ſic eos informans, qui eum ſua cohortatione in homines hos incitabant, inter quos eminebat *Hugo Petrus*, ejus Sacellanus, ille rabula famoſiſſimus, qui ſibi paſtoris munus non videbatur explere, niſi ſua vociferatione ac tumultuatione omnia permoveret ac convelleret: *Futurum, ut ſecta hæc, quo minus agitaretur, hoc magis, atque ſua ſponte, elangueſceret extabeſceretque.* Verum cum neque ipſorum adverſariis unquam deeſſet occaſio, hos homines hujuſmodi inſimulandi criminis, &

Qua-

Digitized by Google

Quakeris idem ſemper maneret animus, quin indies multo animi plus accederet, in ſuis conventibus celebrandis, id quidem mandatum irritum cecidit. Hinc Quakeris quotidie multæ ærumnæ & vincula parata, quæ vincula quemadmodum illi contemnerent, hoc unum exemplo eſſe poteſt. Jam Foxus iterum, propterea quod ſuos libellos ſparſerat in vulgus, & poſthabita juſſione illa Protectoris pergebat in ſuo ſuſcepto opere, & quam ſuum officium deſerere, qualiacunque cruciamenta ſubire malebat, vitamque ipſam pro eo profundere præoptabat, in vincula conjectus erat, in iiſque perannabat *Lanceſtoni* in Cornubia, prout poſtea fuſius dicam. Nam libet nunc non unius Foxi, at gentis totius res ordine porſequi. Atqui illo ſic incluſo, atque eum incolente locum, in quo ſuis nullum poterat adferre fructum, quidam ex ejus amicis ac familiaribus, promptior ad ſui amici, quam ad ſua incommoda, & ſuæ communem utilitatem præferens, Protectorem, inter ſuos ſedentem ſenatores, adit, ac rogat, etiam vehementer, velit, ut Foxus ex illa captivitate & ſervitute eximatur, atque in ejus locum vicemque ipſe ſuccedat, ſe ſuppoſiturus reum illius crimini. Quam rem Cromwellus etſi negabat, tamen ſummopere mirabatur, & intuens ſenatum, *nunquis veſtrum* inquit, *ſic boni viri officio fungi vellet, ſi ad magnum commodum conduceret amici aut rei publicæ?* Non defuiſſe autem adverſariis atque hoſtibus horum hominum

cauſam

cauſam vel anſam eos criminandi & accuſandi tumultuationis, & rebellionis contra magiſtratum & imperium ſummum, ejus rei hoc eſt exemplum. Cum eſſent per totam Angliam multi ſtupidi & ſtulti homines, qui ſua fatuitate in miris motionibus atque geſtibus corporum animos occupabant, & hanc appellabant pietatem ſanctitatemque, itemque multa eſſent turbulenta & importuniſſima ingenia, paratiſſima ad perdendum aut innovandum quæque omnia, tum religionis, tum regiminis cauſa, harum & ſimilium capitalium rerum, quotiens acciderent, mox accuſati Quakeri, ſaltem ut talium facinoroſorum ſocii & adjutores. Verum hanc infamiam Quakeri ita diſcutiebant ac diluebant, ut ab hoc crimine omnibus ſe judicibus eximerent. Præterea erat hoc re quidem vera ſic, neque negabant id Quakeri, eſſe quoque inter ſuos, ſaltem illud proferentes nomen, homines ineptos, incommodos, moroſos, neque ita moratos animo ac converſatione, ut ipſorum doctrina ac profeſſio poſtulabat; curſitantes per vias, perreptantes plateas, vociferantes, homineſque multo clamore ac ſonitu hortantes ad ejuſmodi conaminia quæ ipſi ignorabant, & quædam incivilia aggredientes. Sed pernegabant id proprium eſſe ſuorum ſectatorum omnium, & ſuæ diſcipliuæ, & vero reprehendebant illi, qui hac authoritate pollebant, pergraviter, caſtigabantque ſevere eos, qui quicquam cum his aut ſimilibus rebus delinquebant, ac niſi redirent in viam,

eos

Digitized by Google

eos pellebant a ſe. qua de re paulo poſt dicam copioſius. Incidit in hoc tempus natæ Quakerorum eccleſiæ nova variorum virorum in eam tranſitio, & functio in ea miniſterii, qui quoniam dehinc plurimum inter eos homines excelluerunt, imo vero non ſolum ipſi ſuum, ſed etiam illorum hominum omnium nomen atque exiſtimationem valde illuſtraverunt, non modo per Britannias, verum etiam per noſtras provintias, videtur de iis hoc tempore ac loco dicendum, ſed ſummatim ac breviter, ne opus inſtituto prolixius evadat. Ergo hujus ætatis fuit *Guiljelmus Ameſius*, vir acri ingenio, & rara induſtria, qua docendo dicendoque, qua ſcribendo, quem qui ſunt in Hollandia de numero iſtorum ſectatorum, non dubitant pleniori ore laudare, ac pene ut perfectum doctorem prædicare. Is natus in comitatu Somerſetenſi, prope Briſtollium, aſt ab infantia male feriatus, nihil ad vitam inſtituendam tuendamque agens. Itaque ignavus & moribus diſſolutus, vixdum depoſita prætexta, cum jam otio ac petulantiæ aſſueverat, applicat ſe, ita ut aſſolet, ad militiam, illam apud pleroſque fugam laborum, ac operimentum nequitiæ, ſequiturque exercitum regium, quo vix quicquam erat perditius illis temporibus. Sic prima merebat ſtipendia in his caſtris, uſque ad mortem Caroli regis. Dein militabat ſub Principe Ruperto mari, & quidem in ipſa navi prætoria, in qua navi cum multi eſſent navitæ natu ac ſermone Hollandi, ille

illo

illo uſu eandem linguam addiſcebat. Inter hæc rediit ad mentis ſanitatem, cepitque duci pœnitentia vitæ rerumque geſtarum. Quanquam vero illam militarem conditionem duram & aſperam aſpernaretur, tamen, cum nullam calleret artem, qua ſibi victum quæreret, animum, non ſtatum omnem, mutat, petitque copias militares Parlementariorum, quæ tunc erant in Hibernia, ratus, eſſe in iis multos milites pios, & diſciplinam militarem, in iiſque in legione Ingoldsbiana, ſub quadam alicujus cohortis turma fit decurio. Et cum in eadem multitudine bellatorum eſſent plures, & præfecti & milites, de illo genere hominum, quos vocant Baptiſtas (quorum inter & Presbyterianorum religionem hæc ſola aut præcipua erat diſcrepantia, quod illi ſuæ eccleſiæ membra poſt editam fidei confeſſionem ſponſionemque immergerent aquis) & Ameſius de iis optimam haberet ſpem, ille illorum ſe adjungit eccleſiæ ut membrum, ac brevi hujuſmodi evadit, ut fiat ſenior, mox paſtor eccleſiæ. Accidit autem, quum Ameſius haberet ſtativa Waterfordiæ (urbs ea Momoniæ) ut Fr. Howgil, & Ed. Burrougius, poſtquam trajecerant in Hiberniam, illic loci convenirent Baptiſtas, quos homines Quakeri opinabantur præ omnibus aliis eſſe accommodatos ac præparatos ad ſuam religionem, utque ad cœtum illorum accederent, atque coram illo haberent orationem. Ibi Ameſius eos audiens, ac continuo ſuas illis patefaciens aures, adhuc ani-

animum fodicante cura vitæ anteactæ, & mente fluctuante incertaque de ſua religione, paulo momento a ſuis deſciſcit ad Quakeros, & non multo tempore poſt pro tali viro collectaneo, ſolummodo in illa cohorte Quakerorum purum, cum multa dignatione ac caritate eorum, munus concionatoris occupat & obit. Scripſit Ameſius ipſe tractatum, cui nomen, Declaratio teſtis Dei in homine, in quo exponit & explicat quæ fuerit ab ineunte ejus ætate, uſque ad hanc morum inſtitutorumque mutationem, luminis divini in ſe reprehenſio, & ſua adverſus lumen illud repugnantia. Huic tempori ſuppar fuit *Stephanus Criſpus*, vir in ſcribendo & acutiſſimus & politiſſimus, qui ſi ad promptitudinem ingenii ſtudium attuliſſet literarum artiumque, dictarum liberalium, mirabile ſpecimen eruditionis dediſſet. Hic degens in oppido Eſſexiæ Colceſtria, atque ibi texturam lanarem exercens, hac opera omiſſa aliquot annos ſequitur militiam Parlementariorum, minus bellandi amore quam tuendæ libertatis ratione, adeoque militiam nequaquam convertens in malitiam, verum honeſte gerens ac peragens; à qua revocatus faſtidio aſſiduitatis, rediit domum ad ſuam textrinam, factus interea Baptiſta. Eo tempore Jacobus Parnelus, & quidem primus, e Quakeris urbem ingredirur, habetque concionem inter notos, ac mox diſputationem, eam nempe quam ſupra memoravi, quem quum Criſpus cum ſuo patre audiviſſent, ambo tran-

ſeunt ad Quakeros, Criſpus vero Filius munus inter eos concionatoris aſſumit. Obiit is Londini, menſe Septembri anni præcedentis. Eodem tempore fuit *Thomas Grenius*, in viridi juventa auriga, deinde, etiam hoc tempore præſenti, negotiator Londinenſis; & *Johannes Higginſius*, ſutor Doverenſis, uterque bono ingenio, & magno apud ſuos honore; itemque *Johannes Crocius*, nobilis Bedfordienſis, reconciliator ſeu judex pacis, vir multiplici eruditione conſpicuus, & cum in dicendo, tum præcipue in ſcribendo, in primis Quakerorum diſertus & nitidus & accuratus. Ejuſdem temporis fuit *Joſia Coalius*, Briſtollienſis, nobili gentilitate, qui cum juvenis cum ſuis ſodalibus cœtum Quakerorum, eos ridendi atque exhibilandi cauſa, adiiſſet, ita eorum ſermonibus capiebatur, ut à propoſito deſiſteret, ac deinde ſic monitu duorum è Quakeris concionatorum commovebatur tenebaturque, ut & in eorum familiam tranſiret, & idem cum ipſis munus docendi alios auſpicaretur, jam tum natus annos viginti. Exegit magnam vitæ partem peregrinando, etiam in novi orbis partes varias ſuam quocumque doctrinam circumferens, neque ullam ullius periculi, etiam capitis, rationem habens. Ferunt in orando & ſupplicando ea efficacia, & gratia, & modulatione vocis fuiſſe, tamen ſine affectatione, ut facile omnes æquales ſuperaret. Hac quoque tempeſtate fuit *Iſaacus Penningtonius* junior, itidem nobili ac ſplendido genere, cujus parens præ-

præfectus civitatis Londinenſis, inſignis virtutis vir, & ut in ſummis muneribus civiliſſimus, ita acceptiſſimus civibus omnibus, ſi non conſenſus in ſui regis necem interceſſiſſet. Conjunxerat hic Penningtonius filius à prima adoleſcentia, cum ſplendore natalium ſtudium bonarum artium exercitationemque doctrinæ, non ut iis viveret, at ut vitam, quam & ample ac copioſe degebat, ut poterat degere, his magis ornaret, & ſuis adjumento eſſet. Itaque illam ætatem non, quod multi faciunt adoleſcentuli, quibus lauta res & ſpes magna, otio, aut inerti ac turpi negotio, neque ventris ac gutturis vitiis & inquinamentis hujuſmodi tranſigebat, ſed ſtrenuo & impigro labore ingenii, atque iis operis, quibus & ſibi & etiam pluribus bonis poterat prodeſſe. Et ſcripſerat jam atque ediderat diu antequam nomen Quakerorum eſſet notum, varia opuſcula, in quibus cum ſcientia eloquentia certabat. Poſtquam autem ceſſit in familiam Quakerorum, multa ſcripſit Theologica, oratione Scripturaria, ſtylo gravi quidem at perſpicuo. Poſtremum horum æqualis *Carolus Marſchallus* Briſtollienſis, etiam hoc tempore celebris medicus Londini. Hi illi viri qui non ſolum Britannias percurrerunt, ſed quoque in noſtras excurrerunt provintias, non ut emiſſarii duntaxat, verum ut duces. Neque enim nomino *Camios*, *Balaos*, *Smetios*, alioſque. Dixi de his viris, non juxta numerum ac punctum cujuſque temporis, ſed prout ſinguli & ipſorum Quakerorum, & etiam meo

judicio, habuerunt nomen,& etiam heic terrarum noti ac celebres fuerunt. At vero non prætereundus hic ſilentio *Samuel Fisherus*, ille vir, quem hi omnes viri ut decus ac lumen ac columen ſui ordinis habere,& nunquam indictum præterire ſolent; ſane vir ſingulari doctrina, quam cumulabat mira eloquentia, hauſta ex antiquitate Græca ac Latina, quæ etiam poſt hanc vitæ ejus commutationem ita ei propria manſit, ut in iis quoque ſpiret ſcriptis, quæ deinceps edidit, credo ſecus quam ipſius voluntas ferebat, certe præterquam natura & conſuetudo & inſtitutum moreſque ferunt illorum hominum. Illum deſtinaverant parentes miniſterio eccleſiæ publicæ, ſive Anglicanæ, atque puerum ablegaverant ad ſcholas atque academias, in quibus ille ſic enitebatur, ut facile pleriſque æqualium ſtudio atque induſtria antecelleret. Adhinniebat autem inprimis ejus animus, præterquam ad ea ſtudia, quæ ante alia habebat excolenda, ad eas ſcientiarum partes, quas vocant eloquentiam, & artem oratoriam, ut & Poëticam, unde cum omnibus fere muſis (ita loquuntur iſti Romanæ eloquentiæ ſtudioſi) rationem ac commercium habebat, id eſt, omnes oratores ac poëtas volvebat terebatque. Abſoluto hoc ſtudio atque occupatione academica, fit eccleſiæ Anglicanæ presbyter, & aſciſcitur ac præficitur paſtor eccleſiæ in ædibus cujuſdam prænobilis ac præpotentis, nec non magna pietate ac virtute præditi viri, in cujus muneris functione ita ſe gerebat, ut celebrita-

te

Digitized by Google

te famæ eos, qui poterant de ipſius doctrina atque habilitate ad res majores judicare, ipſumque ad gradum ampliorem promovere, excitaret, ut dignum aptumque exiſtimarent, qui in comitatu Cantio obtineret locum, unde quotannis ipſi provenirent aliquot centipondia ſterlingiana, quæ vocabula popularia gentis. Cum hic verſaretur, quidam, neſcio quis, Howardus, ejus familiaris, eum ſolicitat inquietatque multis ſermonibus, ejus religionis ac profeſſionis, multorumque in ejus cœtu rituum ac cæremoniarum cauſa. Ita Fisherus dubitare & fluctuare quid ſibi fieret, quid de ſuis auditoribus faceret. Acceſſit ad eum eopſe tempore unus è Baptiſtis (vir ſine doctrina, ſaltem ea quæ eſt vere doctrina numeranda, verum rugoſa fronte, magniſque ſuperciliis, & triſti obtutu, & lingua, non quidem inprompta, ſed blanda atque fallaci, quæ multa aliis attribuebat vitia, atque ea, quæ penes ſe ſuoſque erant, aut reticebat, aut mire elevabat, virtuteſque exquiſitiſſimis poterat pingere coloribus ac lenociniis) & cum ſic demum fluctuantem perplurimis verbis bellulis ac ſpecioſis, & iiſdem vocibus eandem rem ſæpe iterantibus, eo impellit, cum illius orationem diutius ferre ac ſuſtinere non poſſet, ut, quod non inſolenter videmus evenire, quum homines objectiones adverſariorum nequeunt diſſolvere, ac retundere falſitatem, deſciſcunt à veritate, ſuam religionem deſerat, & ſe ſuo munere abdicat, & quod ab epiſcopo ad ſuum curandum

 randum

randum munus diploma acceperat, epiſcopo reddat, atque in partes atque eccleſiam Baptiſtarum ſecedat, fiatque dibaphus, ſeque denuo aquis immergi jubeat, ac ſic vere, ut opinabatur, civitate Dei donari, atque aſciſci in populum Dei peculiarem. Sic deſtitutus tot opum proventu, & contentus parvo & ſuo, agri paululum in proximo conducit, ac rem innoxiam & voluptuoſam & fructuoſam, quantum ſatis eſt ad victum, agriculturam & operam paſtoritiam exercet, imo paulo poſt una paſtoris hominum inter Baptiſtas munus adit. Dein Catonus & Stubſius in hanc oram deſcendunt, adeuntque Fisherum, qui extemplo eos ſuam domum recipit, & cum ante vix noti fuiſſent, nunc ut amicos & intimos excipit. Quibus abeuntibus, neque adhucdum id quod cupiebant oppido urgentibus, ne illi in decernendo libertatem feſtinatione præriperent, aſt non multo tempore poſt redeuntibus, & tunc ea quæ antea volebant, ſæpe repetentibus & inculcantibus, ille rurſus primum nutare, deinde re communicata cum ſuo collega Hammondo, illo autem collega indignante, & expoſtulante cum eo de hac re, etiam publice coram concione, hac quoque ſecta Baptiſtarum, & functione hac inter eos ſe abdicare, & interpoſito aliquo tempore, ſe dictorum Quakerorum, cum in profeſſione, tum in prædicatione, ad omne munus æmulum atque imitatorem præſtare. Scripſit opera multa in defenſionem doctrinæ Quakerorum,

rum, inter quæ excellit liber cui fecit nomen Ruſticus ad Academicos, in quibus omnibus ſæpe multis facetiis atque argutiis verborum & ſententiarum ſuorum adverſariorum argumenta refellit. Tantum de hoc viro. Quia vero monui poſtremum de illius viri ſcriptis, id cognoſcendum, illos viros omnes quos ab initio operis uſque adhuc nominavi, varios libellos, quoſdam ingentia volumina, ſi congerantur in unum, condidiſſe, quæ poſt ſingulorum mortes publice prodierunt. Solent enim Quakeri poſt uniuscujuſque celebrioris ſcriptoris obitum, ejus ſcripta colligere ac conjungere, atque ita conjunctim edere, iiſque inſtar præfationum præmittere aliorum auctorum teſtimonia de mortuorum integritate ac probitate, ut hoc pacto, ubi hoc animali ſpiritu deſierunt, virtutis porro memoria vivant. Cæterum ex his novis miniſtris ac præconibus, quemadmodum & cæteris, quos non nominavi, quidam peragrabant Angliam, aut ſoli, aut ſociati, pars alias regiones adibant, ac ſuam ponebant operam in ſollicitandis ac conquirendis hominibus, cum interim Foxus, ut primus & caput ac princeps, non nomine ſed re, in Anglia in ſuo miniſterio nullum tempus intermitteret, quin indies etiam atque etiam ulterius pergeret, ſine metu, imo parato ad omnia perferenda animo. Habebat autem Foxus ab hoc tempore morem, quum ad aliquam urbem, aut oppidum; aut vicum iter intenderet, ut multum ante per epiſtolas vel emiſſa-

 rios

rios denuntiaret & tempus & locum ſui adventus ac commorationis, quo quicunque vellent undique concurrerent, & Foxo adventante eum audirent. Factum id anno quinquageſimo ſexto ac ſeptimo per provintias Somerſetum, Wiltoniam, Dorceſtriam, Devoniam, ac finitimas regiones. In Somerſetenſi comitatu *Briſtollii* in arbuſto uno tempore concio erat incolarum & accolarum ejus loci plus mille. Paulo poſt ultra millia duo in tractu quodam *Wiltoniæ*. Adeo jam religio ac ſecta quaquaverſum diſperſa, habebatque jam Foxus agmen infinitum conſectaneorum ſe concorporantium. In quibus multi, non modo ex quoquo genere atque ordine, ſed clari ac conſpicui viri, etiam proceres populi, qui exinde ſuam poteſtatem illam cum honore deponebant, quidam miniſterium concionatorium capeſſebant. Et quanto in hac concurſatione & religionis concelebratione ac cultus, plus iis obſiſteretur atque obviam iretur, quanto illi plus perſiſterent ac pertinacius inſiſterent. Itaque conſtituti qui illos obſervabant, oppoſitæque excubiæ atque cuſtodiæ in viis, in compitis, ad ædes, quo applicituri exiſtimabantur. E quibus quotquot capiebantur, conjiciebantur in carceres, tanto numero, ut raro eſſet, ut non de tentorum incluſorumque mille numerarentur. Jam Foxus proponebat animo proficiſci Londinum, atque illic in tanta omnium hominum copia & affluentia iis tendere lucem ſuæ doctrinæ ac religionis, putans id maxime ejuſdem pro-

Digitized by Google

promotioni conducere. Dum autem eo dirigit iter per Suthrioniam, atque hic illic parumper ſubſiſtit, ne quod tempus aut aliquam occaſionem dimitteret, etiam in cauponis ac tabernis, in quibus diverſabatur, cæteros diverſores qui aderant, alloquitur, monetque de ſua cujuſque religione, ſibi ut bene attendant, ac mittit qui ejus nomine alliciant & invitent, ſi qui eſſent qui Deum venerabantur, venirent ad ipſum in diverſorium, & audirent loquentem, aut cum eo diſſererent. Quibus in rebus quemadmodum Foxus quandoque ab hominibus fuit eluſus, quandoque ſui eludendi facultatem præbuit hominibus, documento eſſe poſſunt hæc duo exempla, prolata, non ſolum illorum hominum, qui intererant, loquacitate, ſed etiam ipſius Foxi apud ſuos de iis rebus commemoratione, & annotatione in ejus libellis, tanquam commemorabilibus apud poſteros, abſque quo ego fabuloſas putarem indignas noſtro opere. Foxus *Farnhami*, poſt habitam alicubi oratiunculam, divertit ad quandam cauponulam, jubetque cauponi, ut indicet, ſi qui homines pii eſſent, ad Foxum venirent in tabernam cauponiam. Accedunt multi, partim honeſti, partim magis aſtuti, quam boni, viri. Hi Foxum audiunt concionantem magna profluentia verborum. Ubi Foxus concludit, plerique diſcedunt, at remanent alii, & hi cauponi mandant, ut in eodem illo auditorio ſtruat ignem, propterea quod pars anni erat frigida, ac potum adferat. quo

facto illi reliquum diei perpotant ac ſe focillant, Foxo nequicquam, ut faceſſant, obteſtante, aut ſe homines demonſtrent probos obſécrante, & abeuntes ipſi non ſolvunt quod debent, verum dant in ſolutum nomen Foxi, ut qui eos ad ſe invitaverat. Ibi tum caupo petere à Foxo, Foxus, qui toto tempore ſobrius & ſeverus ac triſtis fuerat, recuſare rem adeo iniquam, & multis rationibus contra diſputare. Caupo, cui nulla ratio pluris erat quam pecunia, durius poſcere. Poſtremum Foxus, qui lingua certare ac vincere nolebat, neque poterat, ſolvere totam ſummam, & epiſtolium, ſcriptum multa indignatione, mittere ad magiſtratum, eoſque docere, *viderent, quales cives haberent, & quinam eos a tanta inſolentia revocarent.* Poſtera die Foxus cum ſociis, qui cum eo iter faciebant, *Lemnani* ingreditur diverſorium, oppletum hominibus theatralium operarum, ſymphoniacis, pharmacopolis circumforaneis. Illic Foxus ac ſocii, ſimul atque equos duxerant ad ſtabulum ac pabulum, ſeque expediverant, inter ſe quædam problemata conſcribunt de morborum natura, & ope medecinæ, eademque ſub veſperum offerunt illis hominibus, eorumque diſquiſitioni ac reſponſioni ad ea ſubjiciunt, loco horiſque, dum in domo hac diverſarentur. Atqui vero iſti homines horum hominum dementiam ridere, ac ſtrepere, atque theſes illas remittere ad ſuos autores, hi vero remurmurare, & curare, uti, poſtquam eſſent digreſſi, theſes
deli-

deligarentur pilæ fori, atque iſthic publice examini exponerentur. *Londini* Foxus adeo fervidus non erat, neque publicas conciones adiens, nondum conciens, neque ullibi turbas aliquas concitans, & ubique magis caute quam cupide agens. Conceſſerant jam ante in ea urbe, miniſterio atque opera Burrougii, multi viri magnis ſuorum laudibus celebrati in ſectam Quakerorum. Et hi ſæpe conciliatione ſuæ religionis commeabant in unum. Inter hos Foxus crebro in conferta frequentia concionabatur. Cæteroquin quantaſcunque conferebat curas, paucos de novo ad ſe traducebat, neque quicquam dignum profectione hac efficiebat, contra ſpem atque opinionem, ſiquidem ſibi de ea re longe aliud ſpoponderat. Unde porro ita potiſſimum adhuc ſe continebat ac verſabatur in hac urbe, in qua tam multa poterat audire atque cognoſcere, ut quaſi quæ in regno univerſo fierent illic perciperet, ut quæ ubique terrarum de ſe ſuaque religione illiuſque progreſſu exiſtimatio eſſet, ſpecularetur & obſervaret. Atque ita ad extremum illo illius civitatis ſtatu præſenti contentus alias luſtratum regiones demigrat. Magna quoque tunc temporis in Wallia multitudo erat hominum, qui indole antiquitus inquieta intentaque in novas rerum converſiones ac mores, relicta priſtina religionem acceperant Quakerianam, idque opera ac ſtudio Howgilis, Upjohannis, Wilkinſonis, aliorumque. Huc Foxus nunc iter inſtituebat, etiamſi gentes lin-

guæ

Digitized by Google

guæ ignarus. Quippe quæ lingua, habita lingua priſcorum Britannorum, non parum diſcrepat à lingua Anglorum hodierna ac communi, quum ſolam Foxus callebat. Quare Foxus primo, quum ſeparatim à ſociis ageret, parum fructus ſui laboris ferebat, ſæpe coactus facere ſilentium, quando videlicet eſſent, qui ejus dialectum non habebant cognitam, aut quorum ipſi lingua erat incomperta. Sed neque poſtea, aſſumptis jam in ſocietatem ſuæ ſectæ hominibus de iſta regione, multum in ſuo negotio proficiebat, niſi quod inter eos, cum quibus congeneris neceſſitudo erat religionis, interdum quaſdam oratiunculas haberet, quas oratiunculas ſocii iis, qui non intelligebant Anglice, reddebant Wallice. Plus efficiebant hi qui Foxi erant ſocii atque interpretes. Quorum in numero excellebat Upjohannes, is, qui dudum in has partes, in iiſque in hoc ſtudium homines convertendi excurrerat, ad ſeque traduxerat perplurimos cujuſcunque generis mortales. Hi nunc Foxi erant anteceſſores, & ſequutore Foxo, ruri, in oppidis, vicis ac plateis, homines obſervabant exciebantque ſuis ſermonibus & conciunculis, atque ita ubique commovebant, ut innumeram vim ad tranſitionem in ſuam ſectam pellicerent adigerentque, adeo ut exinde longo tempore nullus in Anglia tractus intantum atque hic frequentaretur horum hominum copia ac cœtu. Atque ad hunc modum Quakerorum ſecta & doctrina ac religio, tam brevi ſpatio temporis,

ris, pervagatæ univerſam Angliam, uſque ad annum octavum & quinquageſimum. Quo anno iſti homines eouſque audaciæ procedebant, ut in comitatu Bedfordienſi, in domum Johannis Crocii ampliſſimam ac capaciſſimam, *conventum generalem* è toto regno edicerent, velut oſtendentes, ac ſuis inimicis objectantes, quam jam copia, & animorum ac virium magnitudine, aucti eſſent, & cum antea de rerum ſuarum progreſſu & incremento non deſperaviſſent, nunc etiam de perfectione ſpem haberent, & omnino bonis animis eſſent. Eo conveniebant legati ſingulorum cœtuum particularium, concomitante magna caterva eorum, qui non dictionem, at ſolum ſpectionem habebant. Actum de ſacris ac legibus communibus, celebratumque concilium integrum triduum. Docui non multo ante quemadmodum Howgil atque Burrougius primi in *Hiberniam*, & quidem Waterfordiam, Quakerorum dogmata introduxerunt. Factum id anno quinquageſimo quinto. quo eodem anno viros hoſce ad idem opus hoc inſecuti, vir unus, *Lancelotus Wordallus*, & tres mulieres, *Rebecca Warda*, *Eliſabeth Fleſchera*, & *Eliſabeth Marsballa*. Atqui hi longo tempore adeo nihil proficiebant, ut fere univerſe nomen ipſum Quakerorum, ſaltem præter nomen, cætera ignotum eſſet, quæ religio illorum hominum foret. Jam in *Scotiam* primus excurrerat intuleratque placita hæc idem modo nominatus Burrougius. quem paulo poſt ſubſequebatur *Alexan-*

der

der Parkerus, ſuetus ante novum munus hoc lanionium opus agere. Quod accidit anno quarto & quinquageſimo. Atqui his doctoribus ac ducibus major in Scotia viſa hominum ad Quakeros acceſſio, & hinc congreſſio inter ſe. Cui cum proceres ac magiſtratus, ingenio ac more gentis, haut facile alienam religionem admittentis, ſe opponerent, illi intentius & inſtantius id facere, donec inſecuta perſecutio, & immiſſi in ædes, qui conventus diſturbarent, & homines mandarent carceribus, ac nonnullos diu magna moleſtia afficerent. Qua de re propter propoſitam brevitatem plura non addo. Illud adhuc de Foxo. Verſabatur is anno ſeptimo & quinquageſimo in Cumbria attingente Scotiam. Sic ad eam pergit, non ignarus, ignarus linguæ quod eſſet, ſed confidens ſociis, quos ſecum aſſumebat, & quos illic reperturus erat, illis uſurus ut internuntiis. Hic cum amicis conjunctione religionis ſæpe loquitur in ædibus, ſæpe inter eas concionatur, ac porro omnia loca circumit, quærens ſi forte plures ſecum conſentientes inveniret, aut faceret. Quod cum ut conquiſite multoque labore ſtudebat, ita non aſſequebatur, interdum dimiſſis nuntiis, & conſtitutis loco ac tempore, homines convocabat ad ſe ac concionem, ſed ita, ut quandoque ne unus quidem homo præſto foret. Adhæc paſſim in foris, in hominum concurſu, occaſionem captabat homines alliciendi, ſed pari eventu. Etiam ad Scotos ſeptentrionales, homines illos mon-

montoſos, ſylveſtres, & aſperos atque duros Foxus cum paucis affectabat viam. Qua re illis nuntiata, illi illis obviam deſcendunt, & ſuis furcellis repellunt. Inter hæc Foxus proficiſcitur *Edinburgum*, ſedem regiam. Quo cognito Concilium ſupremum, cui Foxi intemperantia demum nota erat, proſpiciens eum non deſiturum etiam illic immoderati quippiam aut aliquem ludum facere, jubet Foxum venire ad ſe, & placide mandat, ſi illi nihil negotii in provintiis his eſſet, inde faceſſere. Foxus diſcedit, minime citato curſu, at greſſu teſtudineo, interim alia adeundo oppida & loca, & homines tentando, ſi quos ad ſuam neceſſitudinem adjungeret, ſed, ut dixi, abſque fructu. Id Foxus cum ſociis tempore illo, quo in Scotia trahebant moram, operam dabant, ut eccleſiæ Scoticæ doctrinam ac fidei articulos, tum libellis, quos Foxus cum ſuis adſtipulatoribus adſcriptoribuſque conficiebat, tum ſuis declamatiunculis, hominibus quam inviſos & odioſos redderent. Qua in re illi ita ſe tractabant, ut Scoti nihil ſatis de illorum virorum impudentia, & maledicentia, & fallacia dici poſſe exiſtimarent. Quippe qui viri iſtiuſmodi fidei articulos, nominatim de divina electione & reprobatione, & providentia Dei circa hominum peccata, juxta ſuas ſine judicio opiniones, & confarcinatas conſequentias, illius eccleſiæ miniſtris affingebant, & doceri ab illa eccleſia ſuis perſuadebant, quos eadem eccleſia non modo nequaquam

quam docebat, ſed quos etiam abhorrebat. Præterea cum Scoti, ſimiliter atque Angli, nec non plures Reformati, diem Dominicam, qua die Chriſtiani ſuis quotidianis operibus abſtinentes divino vacant cultui, vulgo, ut verba valent uſu, appellarent diem ſabbati ſeu quietis, ſecundum appellationem ſabbati priſcæ gentis Judæorum, & cum evidentiſſime appareret, Scotorum eccleſias omnes illam diem religioſam ſtricte obſervare, ac ſe eo toto tempore ſuis operibus abſtinere, quam poterant reverenter ac fideliter, Foxus & ſocii ſcribebant, & ubique concionabantur, Scotos ſabbati diem nefarie polluere nundinationibus, multiſque aliis negotiis quotidianæ ac magnæ operæ ac laboris. Quod cum cogerentur explicare, ſic exponebant, Scotos operas iſtas facere die ultima hebdomadæ, at vero eam diem ſabbati diem eſſe, ſecundum præceptum Dei traditum Judæis. Cæterum habebat Foxus hoc in toto curſu ſui miniſterii ſuæque peregrinationis, uſque ad hoc tempus, quocunque in loco, quocunque tempore ac parte diei, alicubi conſidebat, ac loquebatur cum ſuæ ſectæ hominibus, etiam ſi duo aut tres adeſſent, atque illi modo inter ſe conſalutarent, hoc nominabat, habuiſſe ſe, inveniſſe ſe, conventus, quaſi hominum ad obeundam ipſorum religionem, & excreviſſe uſque adeo numerum ſuæ gentis. Quod ſi ex auditoribus erant qui non obſtrepebant, qui attenti erant, qui quid ſumebant ad conſiderantam

dum, hos nominabat convictos & conſociatos. Quandoque, ſi qui erant qui eum aliqua ingenioſa & acuta reſponſione aut quæſtione aut argumentatione urgebant, quum ad rem propoſitam viciſſim reſpondere, aut quæſtionem ſolvere, aut infirmare argumenta nequibat, diſcedebat, aut ſic evitabat, hanc excuſationem adferens, quod gravis & periculoſa diſquiſitio eſſet, quod eſſent qui inſtituebant rixari, & quod ipſe id diffugeret, quod ſe diſtæderet, cum iſtiuſmodi hominibus loqui. Cum in numero eorum, qui ad Foxum ac Quakeros tranſibant, etiam non pauci erant de magna illa turba diſſidentium ab eccleſia Anglicana publica, etiam qui concionatorum munere fungebantur, & horum quidam homines erant viles, tabernarii, etiam caupones, Foxus faciens ſuos certos de ſuis inter homines progreſſibus, hos omnes indiſtincte uno eodemque ſemper nomine appellabat profeſſores, presbyteros, doctores, cæteriſque nominibus, quæ vulgo indi ſolent publicæ eccleſiæ membris ac miniſtris, haut levem invidiam ac maculam illi eccleſiæ inurens. Atque hæc omnia Foxus ſedulo annotabat in commentariolis, & ad ſuos perſcribebat amicos, qui cuncta credebant & probabant ac proferebant. Inter hæc Foxus quoties de negotio aliquo conjunctim à ſe ac ſociis peracto faciebat mentionem, ſi quod in eo bene geſtum, nullius magis quam ſuum nomen memorabat, ac ſuarum rerum præſertim grandis pronuntiator

 erat.

erat. Hæc pluribus non perſequar, ut neque aliquandiu hiſtoriam Foxi, ut omnino brevitati ſervitum eſſe appareat. Illud ordo & rei & temporis videtur poſtulare, ut quæ fuerit occaſio & cauſa & origo, quamobrem tot homines, tam repente, quod difficillimum, à ſua quiſque ecclesia ac religione ad horum Quakerorum deſciverint, copioſiore oratione oſtendam. Hujus rei præcipua videtur fuiſſe ratio, quod homines, inter quos ſane multi cupidi religionis & pietatis vitæque vere Chriſtianæ, exiſtimarent, ſe videre ubique tantam corruptionem, ſi non in doctrina, at in ritibus, certe in moribus omnium cœtuum, qui volebant haberi ac dici Chriſtiani, & quidem Proteſtantes, ut ſi quis in uno eorum perſiſteret, ei de ſua ſalute eſſet diffidendum ac deſperandum, & vero aut nullam eccleſiam hac tempeſtate eſſe, aut eſſe hanc, quam iſti novi doctores prætendebant, qua quis ſe ſervare ac ſecurum reddere poſſet atque deberet. Et tametſi multi, qui ſe ad novam ſectam hanc adjungebant, non adeo exactas ſuarum cogitationum affectionumque rationes proferrent, tamen illi, qui plus, quam cæteri, ſapere atque intelligere comperiebantur, ſuas ſe hujus diſceſſionis & novæ conſpirationis certiſſimas rationes dare poſſe arbitrabantur. Et cum illi, qui nunquam ſuæ patriæ vel regionis terminis exceſſerant, adeo de ſuis duntaxat Anglicanis eccleſiis male opinarentur, hi, qui etiam exteras nationes adierant luſtraverant-

verantque, idem de reliquis iis eccleſiis judicium ferebant. Itaque hi primo ac inprimis incuſabant tantæ depravationis ac labis eccleſias Anglicanas. Ex his vero maxime reprehenſabant eas, quæ ad hoc tempus ſub regibus publica authoritate valuerant, quas ab ſuis auctoribus atque rectoribus epiſcopis appellabant *Epiſcopales*. Scilicet adeo illi arguebant perſtringebantque illam hierarchiam, ſive potentatus & ordines & gradus ſacratos, & imperia, & herilem juriſdictionem, pro diſciplina & correctione fraterna, imo duritiem atque tyrannidem in eos, qui à ſua religione diſcrepabant, aut videbantur verſari in errore, qui tamen nulla obſtinatione, at ſolum animorum teneritudine ac conſcientia, non poterant ſe iis accommodare; & magnificentiam, & pompam, & tum antiſtitum, tum omnium illorum clericorum, ſeu miniſtrorum verbi divini, qui iis ſuberant, pingue otium & remiſſionem & mollitiem; porro in templis ac ſacris ipſorum communibus tantum choragium cæremoniarum ſeu rituum, & concentum lectionum & cantionum & precum, ad ſuas quarumcunque formulas aſtrictarum, & obſervantiam feſtorum; denique univerſi populi inter hæc ignaviam & incontinentiam laſciviamque in verbis ac factis. Quas ob res non Quakeri demum, ſed plures alii cœtus hominum, diu ante natos & notos Quakeros, ſe à communitate illius publicæ eccleſiæ ſegregaverant. Sic illi animo triſti & irato, quicquid

ſuſpicionem pravitatis iſtius eccleſiæ poterat movere, congerebant, & omnes mortales in invidiam atque odium erga eam implacabile vocabant. Jam ut homines hi hac nota ac virgula cenſoria præcipue perſtringebant Epiſcopales, & tam vehementer ac ferociter in eos invehebantur ac intonabant, ita proxime perquam ſeveris & aſperis modis accuſabant illos, qui veniebant nomine *Presbyterianorum*, qui tamen à multo tempore ipſi quoque ſe Epiſcopalium regimini & ordini & ritibus atque moribus non ſolum ſubtraxerant, verum etiam oppoſuerant acriter, & jam poſt abrogatum epiſcopatum, & ſublatum omnem illum cultum ritualem, & poſt Regicidium, ac deletam propemodum regalis nominis memoriam, graviter reformationi totius incumbebant eccleſiæ. Hos agnoſcebant à primordio ſuæ eccleſiæ haut pravos Chriſtianos fuiſſe, & quoſdam excelluiſſe, & extitiſſe tales, quales ſemper debent eſſe omnes, & fide & inſtituto vitæ, at vero deinde paulatim magis magiſque fuiſſe immutatos, & jam aliquamdiu nequaquam illam curam & attentionem ad Dei Spiritum, ac ne quidem ad verbum, qualem quidem obtenderent, tum vero nimis magnam confidentiam ac ſpem certitudinemque in ſuis operibus iiſque externis, inter ipſos inveniri, & reperiri inter multos multas magis adumbratas quam expreſſas virtutes Chriſtianorum, & plura vitia colorata ſpecie virtutum. Jam quanquam omnium benigniſſime exiſtimabant

Digitized by Google

bant de iis *Independentibus*, quos vocant *Brouwniſtas*, imo & de illis, quos *Baptiſtas* appellant, tamen & his objiciebant, habere quidem pro ſua religione magnum amorem, magnamque animoſitatem, verum hærere iiſdem defectum ingentem ſpiritualis & veri affectus erga Deum, & inter ſe conjunctionis ac concordiæ, & in extraneos multum moroſitatis & temeritatis, & interdum crudelitatis ac ſævitiæ. Nam cæteros, qui ſe itidem volebant haberi Independentes, habebant tanquam ſimulatores, qui religionem gerebant in vultu ac lingua, quique dum multa vitia magna perſpicientia viderent, & magno ſupercilio ac ſtrepitu animadverterent in aliis, ipſi intercutibus, iiſque peſſimis vitiis laborabant. Cæterum cum Quakeri adeo graviter ſentirent de eccleſiis Anglorum, illi graviſſime querebantur de iis, quos hæ eccleſiæ reſpiciebant ut ſuos *anteceſſores* & *doctores* paſtoreſque. Quin ejus totius calamitatis originem & ſtirpem & ſemen ſtatuebant eſſe penes illos. Nimirum ipſos, dum ad munus illud docendi ducendique homines ſuam profiterentur operam, & viderentur ſe totos ad idem tradere, eſſe alios deſertores ſui muneris, alios deſides ac negligentes, alios publice quidem ſuo officio defungi, & ſæpe magna voce, at privatim nullam ſui officii rationem ducere, ac ſolum ſuæ utilitati ac commoditati conſulere & inſervire, eamque communi totius eccleſiæ ſaluti anteponere, atque ita plebem ipſorum quidem dictis

aures paſcere, at ſimiliter inhærere moribus illorum, atque id, quod fit illorum exemplis, eorundem doctrina honeſtum aut non illicitum eſſe putare. Præſertim res duæ erant, quas hi homines in illis publicarum eccleſiarum *antiſtitibus* ac *miniſtris* ferre non poterant. Quarum una hæc erat, quod illi pro ſua opera in annuntiando Euangelio ac ſuo inter ſuos peragendo munere, non modo mercedem acciperent, quod quidem patiebantur, ſed certam, conſtitutam, de compacto, fere ſemper magnam, aliquando majorem, nonnunquam maximam ſummam, non ſolum è reditibus publicis, verum etiam è privatorum proventibus, idque etiam eorum, qui vix pedem ubi ponerent de ſuo, aut eſſe cum cuperent, quod eſſent, haberent, è frugibus, è pecudibus, è ſervitiis, è functionibus anniverſariis, matrimonialibus, puerperis, funebribus, aliis, quodque, ſi non peræque omnes, at quidam, in cogendis illis proventibus eſſent adeo duro ac firmo pectore, ut inopes ad mendicitatem redigerent, habentes nolenteſque, quos ratione non poterant adducere, vi domarent, quos igitur ſola mercede atque emolumento dicebant impelli, atque ita ſuo miniſterio vivere, pejus quam geruli ac remiges ac ſimiles terræ filii, & indeſinenter appetere, & totiens, quotiens poſſent, adire alios cœtus hominum, tanquam fundos, eos potiſſimum, è quibus ſperabant ſe plurimum utilitatis eſſe percepturos. Altera res, ſuper qua

qua magna & gravis horum hominum erat indignatio & querela, hæc erat, fuiſſe, & eſſe etiamnum, inter illos viros, qui alios, etiam ſuos populares atque cives, à ſe in religione diſſentientes, etſi dociles paratoſque meliora monentibus obtemperare, alii non ferant, atque ejiciant atque exterminent, alii vexent, infeſtent, variis modis multent, idque facere eos, qui ob hujuſmodi ſævitiam ipſi Deum homineſque ſunt conteſtati, ac ubi potuerunt jugum illud à cervicibus ſuis depulerunt, & libertatem hanc ſummum à Deo donum habuerunt, atque adhuc habent. De quibus duabus rebus Quakeri eo magis querebantur, quod illæ res duæ eos hac tempeſtate maxime tangerent atque affligerent. Quibus accedebat poſtea querela & lamentatio ſuorum ſociorum & amicorum in nova Anglia, eſſe illic Browniſtas, qui ſuos multis modis violarent, & quoſdam privaſſent ipſius vitæ uſu. Itaque hæc ea quæ homines hi ſpeciatim vituperabant, & uſque adeo arguebant in eccleſiis ſuæ patriæ Angliæ. Quæ autem tum in iiſdem, tum in exteris omnibus Proteſtantibus, ac proinde *generatim* atque univerſe, carpebant, hæc erant. *Hanc quidem cunctorum illorum, qui tam ſpecioſo nomine appellantur, eoque appellari ſe amant ac geſtiunt, eſſe doctrinam & fidem & profeſſionem: ſublato per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & exortum jubar Euangelii, diſcrimine quod erat inter caram Judæorum gentem, & reliquos mortales, quos ſingulariter ac nominatim vocabant Gentes, gratiam*

 Dei

Dei illuxiſſe omnibus hominibus , & debere hunc Chriſti adventum , ac nuntium illum exoptabilem & ſalutiferum, prædicari jam per totum mundum, & hoc unum omnibus eſſe propoſitum , qui Chriſti atque Euangelii ſunt participes, ut qua verbis, qua operibus piis ac juſtis, cæteros, qui adhuc agunt ſine Chriſto, ſine Deo, ſine ſpe , lucrentur , ſiſtantque Chriſto ac Deo, ſuæque æternæ ſaluti. porro & hoc omnes velle ac docere : ſublata è populo Dei per Chriſtum Jeſum circumciſione, quæ quondam aſſervabātur in gente Judæorum , & everſo illo cultu externo iſtius populi, cui eadem circumciſio innodabat, nunc hos eſſe circumciſos , qui habeant illud , quod circumciſio præmonſtrabat tunc , & is cultus externus repræſentabat, & quod tota lex atque Prophetæ præſignificabant pollicebanturque, futurum & allatum iri per Chriſtum , & quod oportebat etiam tum habere eos qui vere audirent Judæi, & fœdus haberent cum Deo , atque hos jam nunc veros Judæos eſſe, Deum pie ac grate colentes, & hos vere Chriſtianos, aſcitos à Chriſto, & coagmentatos Judæis iſtis antiquis , Deo tantopere affixis ac proinde acceptis, qui Deo ſerviunt Spiritu, & gloriantur in Chriſto Jeſu, & non confidunt in carne , & hanc jam nunc eſſe religionem mundam & incontaminatam coram Deo ac Patre, ſuam frænare linguam, neq; quem rodat, vellicet , deſtruat, verum proximum ex amore doceat, ædificet, adjuvet; præterea inviſere ad orphanos ac viduas, & alios egenos ac miſeros calamitoſosque, quantum pote, opitulari, & inter hæc ſeſe intaminatum conſervare à mundo. At enim hic

hi

hi homines ſe opponebant, & clamabant ac vociferabantur, nil minus quam horum unumquodque præſtari à Proteſtantibus, neque verebantur dicere, illam omnem multitudinem modo corpus eſſe mortuum, aut vivum cadaver, tantum nomen referens. Atque hoc ita ſe demonſtrare ajebant, pertendentes, *Proteſtantes omnes, anteceſſores, membra quælibet eccleſiarum, tam parum de eo eſſe ſollicitos, quæ ſit illa gratia Dei, quæ eſt allata per Chriſtum, & quotidie affertur per Chriſtum, & offertur per Euangelium, ita ut vix ſerio de ſua ac nequaquam de aliorum hominum ſalute cogitarent, & aut defugerent quicquam agere, aut agerent quam poterant leviſſime, quod faciat ad inſtruendum ſuos, ad revincendum alienos, ad convincendum exteros, ad longinquas & remotas nationes ac gentes, quibus ſpiſſa ignorantia mentis & obſcœnitas vitæ noctem efficit, illuminandum, & eripiendum è media morte, ad deſtruendum imperium Satanæ, promovendumque regnum Chriſti in omnibus partibus terrarum, veluti ſi ſuum ſibi nomen, quod perhiberentur Chriſtiani, ſufficeret, ac vita illa beata ſibi privata ac certa quadam lege conceſſa atque alligata eſſet, & aliis ſibi de ſe proſpiciendum foret. Præterea omnes in illis rebus, quæ pertinent ad rerum divinarum notitiam atque obſervantiam, ſequi, non Spiritum ſanctum, verum ac genuinum magiſtrum ac ducem, quem ne quidem norint, at tantum ſuorum aliorumque inſtitutionem, aut ſuam intelligentiam ac perceptionem, hauſtam, ſi tam bene accidit, è ſola ac*

nuda lectione Scripturæ; porro in hoc ſibi blandiri, quod Chriſti nomen, illiuſque communionem, & ejus beneficia præferrent ore, at in eo miſere allucinari, quod quis ſit Chriſtus, quæ Chriſti communio, quæ beneficia, neſcirent, neque intelligerent quid loquerentur, aut nequaquam ea quæ dicerent, loquerentur ex animo, neque quæ faciunt, quæve iis contingunt, ea agerent, aut experirentur è principio, & motu, inſtinctuque interno, ac porro in cæremoniis, & ritibus externis, & ſacramentis, & exercitatione corporali, publica aut privata, quæ nil prodeſt, fiduciam ponere, atque ita umbram ac ſpeciem amplecti, rem ipſam negligere; poſtremo omnes, omiſſo mutuo amore, & prætermiſſa commiſeratione & ægritudine ob res fratrum ſociorumque adverſas & ærumnoſas, inter ſe diſtrahi atque dimicare, tum privatim, diſceptationibus & rixis & contentionibus, idque ſæpe ob res nullius momenti, ſæpe & propter unius opinionis diverſitatem, tum publice bellis ac vaſtationibus, & id nonnunquam ob res inanes, & quandoque propter religionis repugnantiam, & adhinnire & accommodare ſe omnes ad honores, ad opes, ad voluptates, ad vanitates cujuſcunque generis, atque ita minimum ad hominum mundanorum ſimilitudinem configurari, neque Chriſti Jeſu diſcipulos ac ſectatores veros atque ſinceros poſſe cognoſci. Atque hæc illi tam clara & aperta dicebant eſſe, ut ſi quis inter illos homines verſaretur, is modo opus haberet ſuas aures ſuoſque oculos interrogare. Adhæc objiciebant dabantque vitio illud, *vix inter hoſce Proteſtantes veſtigium cerni illius*

illius veteris diſciplinæ eccleſiaſticæ, *tam ſuorum antecesſorum ac miniſtrorum eccleſiæ*, *quam totius eccleſiæ reſpectu*, *& ita ab iſtius uſu pravam deſuetudinem omnes detorſiſſe*, *ut modo quis doctor publice in ſuggeſtu ſuum illud opus non prorſus indiligenter aut indecenter agat*, *ſit paſtor bonus*, *e reliquis*, *dummodo aliquis religionem confiteatur ore*, *& ſerviat umbris atque imaginibus pietatis*, *etſi deditus mundanis ac vanis cupiditatibus atque ſtudiis*, *hic bonum eccleſiæ membrum habeatur*, *& facile ad quavis myſteria admittatur.* Poſtremo hinc pergebant ad *doctrinam*, ac cum in ſingulis multa ſpeciatim redarguerent, hoc generaliter reprehendebant in univerſis, quaſi eſſet commune ac vulgatum dogma, *Chriſtum pro homine feciſſe omnia*, *& homini illud duntaxat agendum eſſe*, *ut cum quiſque in vita maxime peccat*, *Chriſtum*, *Medium fidium ac Servatorem apprehendat*, *ac ſibi vendicet fide abſque operibus*, *atque tunc det operam ut in vita Chriſti ſequatur præceptum atque exemplum pro modo virium ſuarum*, *ſic unicuique ubique bene eſſe*, *& quando quis oppetit mortem*, *atque ex his corporis cuſtodiis evolat*, *patere vjam in cœlum ad eam vitam*, *in qua ævo ſempiterno*, *ubi abunde omnia ſunt*, *atque id totum*, *quod ad iſtud punctum erat conſummabile*, *nunc ſit conſummatum*, *fruatur.* Denique hi viri aſcendebant perveniebantque ad academias & ſcholas, illa ſeminaria miniſterii eccleſiaſtici, & futura fulcimenta eccleſiæ, de quibus omnibus hæc ipſorum querela erat; *habere ſe eas quam poterant vitioſe*, *& eſſe fere mo-*

rem

rem hunc ſtudioſorum omnium communem, ut aut nihil, aut parum agerent earum rerum, quæ huc conducerent, & aut ſoli, aut inter ſe, quantum in ipſis eſſet, ſequerentur voluptates, aut illi, qui ſeſe ſtuderent præſtare reliquis, tantum remotioribus & ſubtilioribus meditationibus, & diſputatiunculis, & declamandi viis atque artibus inhærerent, iiſque animum erudirent, neque domeſticam ſui animi doctrinam & diſciplinam exercerent, & vera illa & abſoluta ſcientia & uſu pietatis & vitæ ſpiritualis mentem & affectus omnes imbuerent; quin hujuſmodi occupationes atque inſtitutiones alicubi pro nihilo haberi, aut videri alienas ab ejuſmodi ſtudiis ac præceptionibus ſcholaſticis, poſitas infra curas ac negotia hujuſmodi ingeniorum ac locorum eruditiorum atque eminentiorum. & hinc tales ſe accingere ad functiones eccleſiaſticas, & eo pervenire, alios per emendicata ſuffragia, alios per alias artes, quorum ſcilicet difficilem promotionem tarditas ingenii, aut debilitas linguæ faciat, alios, in dicendo optimos magiſtros, ob præclaram vocem, & conſpicuos ornatus oratorios, etiamſi haut alia re ulla commendabiles, & ſic populum quidem, aliqua, alicubi multa doceri, verum non ita, aut incurius & negligenter, quæ maxime erant inculcanda, quæ faciunt ad fidem ipſam, ad vitæ emendationem, ad ſanctitatem, & ita populum hoc tanquam ſibi debito fructu fraudari. Cæterum tametſi Quakeri his ac tot vitiis omnes Proteſtantes arceſſebant & condemnabant, nihilominus concedebant priores, eſſe inter eos omnes, cujuſcunque profeſſionis, qui reliquis

erant

erant integriores, & ſe illis corruptelis opponebant, & ſuos fratres atque ſocios quam intelligenter & placide commonebant, ac tantam contagionem & morbum eccleſiæ ſtudebant emendare ac ſanare, & ad hoc ſuum conſilium & auxilium & ſolatium adferre. At dicebant hanc diligentiam & intentionem ac ſtudium ad paucos recidiſſe, & obſtare multitudinem, & extemplo contra loqui & obſtrepere, & ferire frontem, & illos male audire, & exiſtimationis & muneris ſuarumque conditionum diſcrimen ſubire, & ſic circumcluſos retentoſque eſſe, ut fruſtra operam conterant, ac neque poſſint neque audeant ultra ſe commovere. Ita eo jam ventum, ut citius ac levius vitia ac mala omnia, quam remedia, homines poſſent ferre, neque reſtare aliud, quam ut ii queis ſua ſanitas ac ſalus cordi eſſet, cum eſſet tanta plaga, tam inſuperabilis ac mortifera, ſe ſubducerent atque exirent. Igitur hinc hiſce Quakeris ille dolor, hinc illæ lachrymæ, primum Anglicarum eccleſiarum cauſa, cumprimis Epiſcopalium, deinde aliorum Reformatorum, & hoc maxime propter regimen, & ordinem, & diſciplinam, & hominum vitam ac mores, non adeo propter doctrinam, tum ita, ut tamen ipſi agnoſcerent, eſſe in iis ipſis eccleſiis multos doctores, qui multa, quæ Quakeri tantopere carpebant, reprobabant, deplorabant, eademque cupiebant & allaborabant emendare, ut res, quam hi Quakeri optabant, minime eſſet deſperata. Et hæc

cauſa

Digitized by Google

cauſa horum hominum ſchiſmatis, ſive ſeceſſionis ab eccleſia, & ex odio incendium atque excandeſcentia in eccleſiam univerſam Anglorum, deinde poſt cæterorum Reformatorum, tandemque omnium Proteſtantium. Quam cauſam illi ſic arripiebant, non, ut conſiſterent quique in ſuis eccleſiis, non iis, quas cæteris ſatebantur incorruptiores eſſe, atque illic reſtituere res niterentur, tanquam reformatores conſtituti, qui debebant, & ſciebant, & volebant, audebantque, veluti potentiſſimi ingenii, & patientiſſimi laboris, & quoque injuriarum, ſed ut continuo cunctas eccleſias deſererent, & quaſi quas non poſſent mutare aut renovare, convellerent, neque quicquam caritati, & ſpei, & tolerantiæ, ut ſæpe malos vincit pertinax bonitas, relinquerent. Sed & poſtquam ſic eccleſias illas reliquerant, multi illa vitia eccleſiarum non dolenter, non miſeranter commonſtrare, neque ut Chriſtianos decet, manſuete, ſcite, errantes commonere, & cum ſemitam non ſaperent, comiter in viam reducere, ſed quam invidioſe, & acerbe, omnia referre, & omnia convicia facere illis eccleſiis, & homines veluti bello aggredi, & ſe invicem in illius belli ſocietatem trahere, & adunare, etſi nequaquam læſi, non laceſſiti, ne verbo quidem duro affecti, nempe ut ita omnes ab talium eccleſiarum communitate & aditu ipſo proterrerent, iiſque exempla, quæ quam longiſſime fugienda erant oſtenderent, ut de iis, qui ita ef-

fer-

Digitized by Google

ferveſcebant, dubium non eſſet, quin plus amore & ſtudio novitatis ac gloriæ, quam animo ſincero ac pio agitarentur. Adeo ſemper qui aliorum opera taxat, ne ipſe decipiatur a ſe cavere debet, videreque, ne dum remedia adhibet malis, mala alia naſcantur è remediis. Scilicet ita ante multos annos præiverant Brouwniſtæ atque Independentes, ſe primum ab eccleſiis Anglicanis, propter plurimos abuſus & defectus, ac poſt ab cæteris eccleſiis Reformatis, ob ipſarum quoque indignitatem atque indiligentiam, quas putabant in iis videri, ſegregantes. Atque ſic nunc Quakeri, opinantes ſe habere eaſdem rationes & cauſas, eandem rem indipiſcebantur, & quidem ad illum modum, ut exiſtimantes illos anteambulones non feciſſe ſatis, novum ſchiſma occiperent, & prorſus novam inter ſe doctrinam, & viam vitæ, & eccleſiam, conſtituerent ac conſectarentur. Has ſibi eſſe cauſas teſtabantur, quoties de ſuis incœptis loquerentur, aut congrederentur cum aliis, aut coram judicibus, idque verbis apertis ac planis. Et ſcribebant ea de re varii libros, & libellos, ac libellulos (nimirum in tali re multo magnis operibus efficientiores, & efficaciſſimos) inter quos præcipui erant editi ab inventore & inceptore harum rerum Foxo, & Howgile, & Penningtonio, & Withado, qui tamen poſtremi tres viri multo in his ſcriptis mitiores erant quam Foxus, ut alios mittam. Quæ opuſcula etiam transferebantur in alias linguas, & diſperge-

ſpergebantur per regiones alias. Situm fuit in in hoc, ut hæc de his hominibus copioſius enarrarim. Et quoniam de ea religione vitæque inſtitutione dixi, quas hi homines ibant ſublatum, & id opportunum ac neceſſarium fuerit, ut quæ, quas ipſi (poſtquam jam immenſum aucti eſſent, & ſub tot magiſtris ac doctoribus tantopere exculti inſtructique) exſtruebant tunc, & quas tenent jam omnes ſequaces, fuerunt doctrina ac vita, diſtinctius ediſſeram. Erat enim doctrinæ conditio eadem quæ aliarum, ut illi, qui eam inveniſſent, a levibus initiis, tractu temporis, magis in ordinem redigerent atque expolirent. cumprimis, quod principio magis deſtruendæ religioni aliorum, quam novæ alicui exordiendæ eſſent intenti, quodque, ut etiam hoc tempore, plus dediti eſſent vitæ activæ, quam contemplativæ, quam iſti quæ conſtat multa meditatione, & inquiſitione, & vi intelligentiæ, ſic ſecum reputantes, Chriſtianum eſſe, non alta ſapere, neque magna loqui, at vivere. Unde ut olim, ita nunc quoque non aliter cum hiſce hominibus comparatum eſt, quam cum pleriſque, profitentibus ſuam quibuſque religionem, ut ſit iis major amor ac zelus erga ſuam religionem, quam illius cognitio, ne quidem multis Quakerorum illorum doctoribus exceptis. Nihilominus fuere quoque ab initio, ut hodie ſunt plurimi, qui optime ſuæ religionis rationem reddiderunt, & eam explicaverunt. Jam conſiſtebat *doctrina* horum

rum hominum è quatuor potiſſimum generibus, quorum primum erat principium religionis, alterum ſubjectum divinorum beneficiorum, tertium illorum complexus, quartum atque poſtremum modus communicationis. Igitur primum genus erat quod pertinet ad principium atque fundamentum veræ ac ſalutaris cognitionis. Id illis clara ac diſtincta revelatio Spiritus ſancti, vel abſque verbo ſcripto, nempe alloquio, aut aliqua apparitione, aut inſomnio, vel verbo ſcripto; eoque vel illo, quod nos appellamus ſacram Scripturam, vel quodam alio, vel etiam modo quodam, qui ſit inſtar verbi. neque enim illis Scriptura ſacra, ut nos id vocabulum capimus, perpetuum atque abſolute neceſſarium medium, & ſola atque tota formula ac norma fidei ac morum. Atque heic, quantum decedebant ab iis, qui, dum Scripturam admittunt, Spiritum eliminant, atque in ejus locum ſubſtituunt rationem, quantum ab his, qui & Scripturam, ut neceſſarium, atque ut unicum inſtrumentum, & ut ſolam regulam agnoſcunt fidei ac morum, & Spiritum requirunt, ut quis indubitatam habeat notitiam voluntatis divinæ, atque eam peragat, in promptu eſt cognoſcere. Secundum caput continebat ſubjectum, in quod conferuntur Dei beneficia, de quo ſic cenſebant ſtatuebantque. Univerſum genus humanum, unius Adami lapſu ac culpa, omnino depravatum & perditum eſſe, adeo deſtitutum viribus, & à ſe ipſo deſperatum ac relictum,

Digitized by Google

ut etiam ad cogitandum bonum imbecillum ſit. At vero Deum univerſe idem hominum genus uſque eo dilexiſſe, ut ſuum Filium Jeſum Chriſtum dederit, atque is ſe reconciliatorem pacis Dei cum hominibus ſtiterit. Hinc Deum impertiiſſe cunctis hominibus novam genituram, ſemet ipſum, ſuum Filium, ſuum Spiritum ſanctum, lumen & verbum internum, eoque ipſorum animos, ſingulos ſuo tempore, ac modo, & menſura ſingulari, ita commovere, ut ſentiant atque intelligant ſuam miſeriam, eoque excitare, ut Deum denuo quærant, ſeſeque ad Deum convertant. quod tamen lumen interdum conſequeretur verbum externum, & expreſſa prædicatio de Jeſu Chriſto. Id autem lumen ac verbum tunc recipi dicebant ab hominibus, quando homines divinæ operationi non obſtant, at eam admittunt, & impulſi à Deo, ipſius inſtigationi ipſi dant operam. Atque hic, cum nullus eſſet, cui nota erat de hoc capite doctrina puriorum Proteſtantium, & dogma eorum, qui proximant Pelagianis, aut aliqua parte in illos propendent non incognitum erat, qui non opinaretur, etiam Quakeros tale quid, atque hi viri poſtremi, aſſequi aut imitari, hi Quakeri reclamabant, hunc nimium aberrare, cum illi quidem velint, vel non adeo vitiatum eſſe mortale genus, vel remanſiſſe aliquod lumen naturale, quo ſe ex illa vitioſitate extrahant, & vero Deum facientibus quod eſt in ſe, ſe illis adjungere, & opem ferre, ut adeo non

ſit

ſit mera gratia Dei, at quodammodo merita ab homine, & huc aliquod conferri, vel verbum, vel quid aliud à Deo, cumque Quakeri nihil ejuſmodi cogitarent. Alter ab hoc articulus conſtabat ex illis beneficiis, quæ propria ſunt illorum, quos ſupra dictæ illuminationi dicebant non obſiſtere, verum obſequi. Etenim & hoc articulo cognito, cognitoque, quid de hac re tota docent ſinguli Proteſtantes, nemo inficiabitur, plurimum interfuiſſe inter Proteſtantium ſingulorum ſententiam, & horum, de quibus nunc ſeparatim loquor, hominum. Namque id hi volebant, Chriſtum, præſtita obedientia, & obita morte, acquiſiviſſe hominibus omnibus indiſcriminatim, ut collocentur in eum ſtatum, in quo ſtatu ſint capaces Chriſtum recipiendi in ſe; quod cum fit, jam in eo Chriſtum, qui totus eſt ſanctus, & juſtus, exiſtere, & vivere & operari, ac per id eundem hominem, juſtitia Chriſti exiſtente & operante in illo homine, ipſum juſtum evadere; nempe dediſcere ſenſim, ac deponere depravationem ac malitiam, majoreſque indies profectus facere in juſtitia ac bonitate, ita tamen, ut ſemper poſſit peccare, & deficere ac recidere in priſtinas tenebras; ſed & poſſit quoque ad eam perfectionem pervenire, ut prorſus non peccet, neque poſſit illa in bono conſtantia excidere; & cum nemo ſit beatus, niſi qui ſe ſciat eſſe, illius felicitatis hominem hunc jam tum ſibi omnino conſcium eſſe. Ultimus locus ex iis, in quos

horum doctrinam diviſimus, hic erat, qui conſiſtit in modio ac mediis percipiendorum horum beneficiorum, in quibus quam iterum ab iis quos dixi, hi homines diverſi eſſent, hinc judicatu eſt proclive. Quippe haut alia media ac ſubſidia agnoſcebant, quam attentionem & vigilantiam animi ad lumen illud, quod in cujuſque hominis corde reſplendet, & ad Spiritus S. in Scriptura eloquia, aut monitiones atque hortationes hominum ſpiritualium. Et ſic quidem miniſterium admittebant ac ſuſcipiebant Euangelii, verum quod unuſquiſque Chriſtianus debeat obire, quanquam gradu diſtincto, ſolo huc impellente S. Spiritu, ſine vocatione hominum, ſine pretio ac præmio, neque tamen in docendo excludi ipſas mulierculas. Jam id volebant atque expoſcebant, debere ſingulos Chriſtianos ſæpies convenire ſuis certis locis ac temporibus, eo fine, ut fraterna unanimitate Deum ut patrem venerentur, & ſe invicem ad Dei atque hominum jura, & virtutem atque modeſtiam inſtituant & admoneant, aſt non ſic, ut cultus iis locis atque temporibus aſtringatur, ita ut neceſſarie peragatur, inchoetur & finiatur, ibi & tum, juxta placitum ac definitionem illorum hominum, ſiquidem is cultus fieret ſolo impulſore & adjutore Spiritu, qui nullis ſpatiis alligatus libere agit. Jam ſacramenta ſive ſigna ac ſigilla gratiæ Dei, quæ occurrunt in ſenſus, nulla admittebant; unde id ſumebant, Baptiſmum ac ſacram Cœnam eſſe quid internum & ſpiri-

ſpirituale, & viguiſſe quidem in eccleſiis Apoſtolicis illos ritus externos, ſed ut figuras, ad tempus, quoad ipſam rei ſubſtantiam obtinerent. Multa Quakeri ab exordio ſui generis loquebantur & ſcribebant de Deo, de Chriſto, ut eſſent in hominibus, homineſque ſubſiſterent in iis, pendebatque fere omnis ex hoc illorum ſermo, verum ſic, ut magnum, quin impoſſibile eſſet, intelligere, quid eo vellent, atque efficere, ſi hoc alius quiſquam intelligeret. In hoc procedente tempore ſuam opinionem magis aperuerunt, atque dogma illud politius expoſuerunt, in eoque ſuæ totius doctrinæ quaſi fundamentum poſuerunt, id quod alio tempore aptius dicetur. Ergo hæc eorum doctrinæ prima forma atque deſcriptio. Atqui uti horum hominum doctrina ac fides, ita *vita* ac *converſatio* eorum ſingularis & admirabilis erat. Conſtabat autem ea hac potiſſimum abſtinentia & continentia. Omnia bella, publica, privata, dicebant lege divina prohibita, fugiebantque omnem vindictam, atque etiam repugnantiam, neque, ubi aliquod iis negotium eſſet cum hominibus, etſi coram magiſtratu, ulla religioſa affirmatione, nedum juramento, ſuam fidem aſtringebant, & tales ſermones omnino ajebant eſſe vetitos. Dein ſibi temperabant à voluptatibus, & cultu & amictu corporis delicato, & ſuperfluo, & odio habebant artificia & quæſtus, qui miniſtri ſunt vanitatum atque oblectamentorum, & ſpectacula, & theatra, & nugas, & ludos, & genus omne jocandi,

& cachinnos, tum vultus, voces, geſtus, motus, ſalutationes, blanditias, obſequia, ac ſimilia, qualia vulgo in ſocietate ac congreſſibus hominum obtinent, & nomina virtutum, aut civilitatis morum & elegantiæ, ſubeunt, & id requirebant, ut quiſque conſiderate, prudenter, parce, ſobrie, graviter, ſevere, hoc omne, quod dignitas, & decus & excellentia hominis Chriſtiani poſtulat, videat, tueatur, præſtet, in verbis factiſque, ad eamque vitæ rationem ſe componebant, ut poterant. Hunc vivendi modum Quakeri ab ſuo initio uſque in diem hunc conſtanter tenuerunt. Et hanc quidem ſuam Theologiam illi ſic commendabant, quaſi hæc demum, ac nulla alia, conveniret conſtitutioni ac conditioni novi Deum atque homines inter Fœderis, illiuſque inſtrumenti Teſtamenti novi, & quaſi ſola apta eſſet ad convincendos & traducendos ad fidem Chriſtianam omnis generis hominem & ad ingenerandam veram pietatem erga Deus, homineſque. Et quod ſpectat illorum vitam ac mores ſingulares, ſentiebant ipſiſatis, quam eſſent ob ſuam ſeveritatem & auſteritatem, adeo oppoſitam hominum converſationi, & tanquam exprobratricem ſtultitiæ cunctorum, inviſi mortalibus hujus ævi, & ludibrio, ac veluti ramento purgamentoque; verum ut hoc infortunium magna conſtantia ferebant, & ſe nil dicebant fugere, nil timere, præter quod revera eſſet peccatum, vel adverſus Deum, vel contra homines, ita regerebant & hoc, id omnes probos, qui fatentur, orbem Chriſtianum du-

dum

Digitized by Google

dum tot tantiſque vitioſitatibus & ineptiis & hiſtrioniis ingemiſcere, atque fatiſcere, virtuti ipſorum debere gratulari, quod auderent tam communem & inveteratam pravitatem perverſitatemque, cum ſuo maximo incommodo, confringere ac perrumpere. Quanquam hi homines non negabant, prout experientia nunc quoque cogit confiteri, neque ſe cunctos tales eſſe, quales & ſeſe & homines omnes volebant vel optabant eſſe, & vero fuiſſe initio, & eſſe hodie, in tanta horum hominum ubertate, qui ſe callide & occulte in ipſorum inſinuant ſocietatem, & magis ipſorum dicta quam facta ſequuntur, & non ſolum limites illius tantæ ipſorum gravitatis ac ſeveritatis tranſeunt, ſed etiam ea, quæ conferunt in alios, vitia ipſimet committunt, & inprimis in ſuis congreſſionibus cum hominibus, & negotiationibus, fraudulenter ac malitioſe agunt, & ſuam profeſſionem habent venalem, & perſonis non officiis ſerviunt, ac ſe modo accommodant temporibus. Verum cujuſmodi homines illi ſibi dicunt eſſe indignationi, & odio, & deſpicatui, imo ſibi ſordere, & ſe de iis diligenter, ſæpe vehementer, judicare, & ſi intelligunt, eos nolle ſe revocare ac reſipiſcere, his tum acres caſtigationes, & ubi necdum reſipiunt, foras ſua communitate ejectiones eſſe conſtitutas. Cæterum, ut dudum incœpi dicere, tantus hominum ad primos illos Quakeriſmi inventores atque incœptores confluxus, & poſtquam ſe huc contuliſſent, omni

tempore pro ſua illa religione, & ſecta hac, ſeu vitæ ratione fervor, contraque adverſus eos homines aliorum hominum æmulatio atque contentio erant, ut utrinque videretur certari, qui alteros magis fatigarent ac vincerent, qua de re nunc porro latius inſtitui dicere. Illud illi homines profitebantur de ſe, ac tale iis teſtimonium dabant illi, qui ſe quotidie ad eorum adjungebant communionem, eſſe ſe, & revera fuiſſe ex illorum hominum numero, quibus ingens deſiderium atque amor ſingularis inerat in Deum, ac ſuam ſalutem. Quapropter ut pares facillime cum paribus congregantur, ex omni multitudine cujuſcunque religionis, maxime iſti, quibus maxime hærebat pietas erga Deum, & maxime cordi erat ſua animorum beatitudo, quibus nil homini optabilius, ſe ad eorum ſocietatem conferebant. Confitebantur ſe ſentire ac deplorare, quanta inertia & ſocordia, vel torpedine ac perverſitate Deum ante quæſiviſſent, ſuæque incolumitati, pro qua omnia fuerant agenda, ſtuduiſſent, & cupere ſe nunc vitia hæc tanto majori & enixiori diligentia bonitatis compenſare. Hinc crebro conveniebant inter ſe, ut conjunctis animis, verſis ad Deum, ſe Deo ſiſterent, atque alii alios ad idem excitarent. Sic nihil æque quam ſuos conventus amabant, & illa mutui officii exercebant, & potius quidvis pati, priuſque mortem ſubire, quam id non agere ſtatuebant. Jam & aliorum ſe cunctorumque miſeriam, & exitium commune,

ne,

Digitized by Google

ne, propterea quod nulla cura, nulla cogitatione ſuæ ſalutis tangerentur, miſerari affirmabant, neque aliud velle, quam eos tanto animarum diſcrimine atque periculo eripere. Hinc multus iis ſermo ad eos, quos putabant in tali periculo verſari. Unde multi quotidie illiciebantur, quin multi nullo verbo, ſolo exemplo, captabantur. Cum autem ſic idem omnium eſſet animus, nulla rarave inter eos diſſenſio erat orationum, nulla cujuſquam ingenii, habitudinis, donorumque deſpicientia. Sic quilibet, ut pollebat aliquo dono, ita alteri alter id impertiri, & diſpenſare, ac dividere inter omnes, quæ profecto communio vera ſanctorum. Sic quoque juniores conſtantis ætatis muneribus fungi, & etiam virgines ac puellæ, neque tantum mulieres, uſitata ad hoc tempiis viris officia obire, & publice docere, ac more concionatorio agere. Quamobrem plures utriuſque ſexus indies impulſi, ut ſe huc conferrent, quo qui eſſent oſtenderent, inprimis mulierculæ, partim mobilitate naturæ, partim exuberantiore amore ac zelo religionis, partim ſe publice probandi cauſa, atque etiam erudiendi viros, coram eccleſia, qnod unum in ſumma licentia fœminarum in illa regione terrarum, adhuc videbatur deeſſe. Quin uti illic tributum huic ſexui, ut apud ſuos plurimum ſuis blandimentis atque gratia valeat, hinc illarum opera ſæpe plures adductæ familiæ, ut ſe hiſce Quakeris aggregarent. Quanquam illi in recipiendis & admittendis

dis hiſce hominibus non tam faciles erant, & ſingulos, quanta poterant diligentia, diſcernebant, & etiamſi, cum initio minor eſſet numerus virorum, ac poſtea, & impræſens, major copia acceſſerit, jam nunc illa mulierum conſuetudo docendi ac diſſerendi palam, etiam atque etiam minutatim, hodieque fere univerſim in deſuetudinem abierit. Jam & cœtus illis, & cultus, quem in iis præſtabant, abſque impenſis erant, & ſi qui, illorum nomini addicti, eſſent tenuiores aut pauperes, hos pari ſecum loco atque honore habebant, & his, prout ferebant opes ac facultates, ſubveniebant, prorſus ut ſemota arrogantia & ambitione, virtuti ſoli æqualiter ſuum pretium atque præmium, & tantummodo ſua cuique probitas ſui commendatio eſſet. Quare multi, qui inter ſuos vel tanti non fierent, vel non ita ſublevarentur, confugiebant ad hos. Inter quos tamen non pauci reperti, qui juxta vetus ac pervulgatum malum, modo religionem ſuæ humilitatis & obſcuritatis tegumentum, ſuæque inertiæ alimentum habebant. Atque cum ita cum hiſce hominibus eſſet comparatum, illi aliorum odia atque acerbitates haut effugiebant. Verum etiam longe major erat cauſa. Profecto nulla res adeo religioni ac pietati adverſa, adeo inimica rationi, & ſenſui communi, & humanitati, quam in iis rebus quæ pertinent ad religionem, velle imperare hominum conſcientiis, multoque maxime, violenter homines cohibere, quo minus ſuam,

am, quam putant haberi à Deo, religionem ſequantur, & cogere atque adigere, ut quam religionem averſantur ac fugiunt, eam amplectantur, & ſi horum neutrum velint, vexare, opprimere, & verſari ac ne eſſe quidem inter homines ſinere. Aliud enim, ſi ſint, qui non deſinunt aliis moleſti eſſe, eos fallere, eorum religioni ac ſacris maledicere, eos interturbare, infeſtare, ipſorumque eccleſias perdere ac deſtruere ſatagunt, & hi ſi refrænentur ac corrigantur. id quod non facere, & tales tolerare, cumprimis ſi ſunt qui id opinantur ad ſuam pertinere religionem atque eccleſiam, religiones atque eccleſias eorum inter quos vivunt, evertere, idem eſſet, atque ſcienter prudenterque ſibimet inſidiari, & parare viam ac ruere ad ſuum voluntarium interitum. Et ſenſerant in his regnis, anteactis temporibus, innumerabiles homines hujuſmodi perſecutionis immanitatem, ſenſerantque innumeri Chriſtiani optimi ab iis ipſis, qui ipſi immenſam tyrannidem illam perpeſſi erant antea ab aliis. Atqui quemadmodum cum Quakeris in his regionibus, ab hoc tempore ſuæ religionis ſuorumque morum & factorum, fuit comparatum, & quo jure, quave injuria illi homines, poſthac ſuam adeo ſortem deplorabant, paulo diſtinctius videtur oſtendendum. Etenim cum horum hominum doctrina adeo doctrinæ aliorum adverſabatur, hinc eadem plurimis accuſationibus, & convitiis, & etiam calumniis ubique excepta, cumprimis ab his, qui, ut fit, ſolum

ſolum vulgatos ſermones ſequebantur, & interim ipſius doctrinæ iſtorum hominum erant ignariſſimi. Et cum ratio vivendi uſque eo conſuetudini & moribus omnium è regione eſſet oppoſita, & ſpeciatim illi in viis ac congreſſionibus, ore ac inceſſu oppido triſtes, quidam & veſtitu admodum horridi, ac rurſus omnes nullius ſermonis, aut magnæ parſimoniæ linguæ eſſent, & ubi loquerentur, multis verbis aliis non uſitatis, & iis lentis & minutis, & quaſi punctis, uterentur, & inprimis, ubi de rebus ſeriis agerent, hujuſmodi cunctationes, & hæſitationes, tractuſque verborum adhiberent, ac ſingula ſyllabatim efferrent, & non modo non in viis, ſed neque in acceſſu ad homines, neque in diſceſſu ab iis, quenquam hominem ſalutarent, è quibus rebus, veluti ſignis hujus ſectæ, fere cognoſcebantur, hinc inviſi atque exoſi omnibus, cum quibus aliquid negotii habebant. Præcipua res, quæ iis magnam invidiam & calamitates multas conciliabat, erat hæc. Prima, ipſorum vehementia & incurſio atrox, cum ſermonibus, tum ſcriptis, in aliorum doctrinam ac fidem, nominatim eorum, qui ſe publicis adjungebant eccleſiis, etiam propter nomina ac verba, uſitata ab tota eccleſia, idque ab omni memoria, & ſi non iis literis tradita in Scriptura, attamen & re convenientia & conſonantia verbis ac nominibus Scripturæ aliis, at vero ſibi viſa inepta. Altera erat res, temeritas atque audacia in judicando, in condemnando, in contriſtando,

do, in execrando omnes ac ſingulos, qui ipſis non aſſentirent de ipſorum rebus, idque cæteroquin incognitos, inauditos, indefenſos, adeoque iis inſontes injuriæ. Quibus in rebus eminebant illi, qui in gente hac Quakerorum locum habebant ac tuebantur principum. Huc accedebat perplurium, ſed quibus diſpar conditio, atque id proprium erat, parum ſapere, & nihil conſiderare, imprudentia atque impudentia, uti in locis publicis, in media frequentia hominum, genere aliquo clamatorio, verum ingrato ſtridore, aliquem ſermunculum inchoarent, & etiam in templis (quæ templa jam cuncti Quakeri contumelioſe vocabant ædeis pyramidatas) inter ſacra exercitia tecto capite perſiſterent, interdum inter ipſas conciones miniſtrorum ac preces communes (at quas illi ſua lingua Anglicana appellabant divinationes, ſecum ipſi repugnantes, ac quid dicerent neſcientes) interdum finitis iis, derepente verba quædam incondita expromerent, ac nulla præmiſſa ratione, priorum facta redarguerent, imo tanquam dira ac nefaſta deteſtarentur, ita ipſi ea committentes, quæ tantopere culpabant in aliis. Erant qui ſcurrili & mimico veſtitu geſtuque corporis, quaſi facta hominum refertis foris aut depingebant, aut deridebant, aut fata inſtantia præſignificabant. Hæc fere cæteris ingenio ac fortuna inferiores, & præſertim mulieres. Et hæc ipſi quidem, qui hæc patrabant, ſe facere dicebant inſtinctu Spiritus Dei, & juxta exempla Prophetarum &

Chriſti

Chriſti, & Apoſtolorum, quibus contendebant in more fuiſſe, iſtiuſmodi res palam in turbis hominum, in repleto templo, inque iis locis, unde fama ad omnia loca poſſet pervadere, incipere, neque fuiſſe unquam ullam legem conditam in Anglia, quæ talia prohiberet, ſic inſuper ſuis argutiolis, & etiam juridicialibus, ſeſe defendentes. Cui alii quoqne ex iis, etiam primores, ſuum calculum adjiciebant. Alii nec probabant nec culpabant. Verum tempore procedente hæc illi omiſerunt, & vitaverunt omnes. Atque hinc quod cuncti homines non modo à talibus hominibus eſſent alienati, ſed & peſſime erga eos animati, & totiens, quotiens tale quippiam auderent, fieret in eos impetus & vis magna. Quanquam illi tamen nequaquam ſic deterrebantur, at continuo eadem repetebant, ſuam ſibi opinionem pro muro firmiſſimo habentes, neque in eo & Chriſti Salvatoris, & illorum ſanctorum virorum, dicta ac facta reſpicientes, ut caveamus nobis ab hominibus, neque vero eos laceſſamus, atque ita quæ poſſimus declinare, ea admittamus, & adeamus ipſi periculum. Jam ubi Quakeri protraherentur in judicium, & agerentur in eos quæſtiones, illi non caput aperire, non appellare judices nominibus venerabilibus (quales honores hominibus exhibere illicitum arbitrabantur, & eſſe cultum, qui pertinet ad ſolum Deum) & cum quaſdam res rogarentur, quam ſolenniter & prudenter & placide, multi huc atque illuc tergiverſari, aut ea quæ ne-

nequaquam ad rem propoſitam ſpectabant, reſpondere, & cum ſic ſæpe indicta cauſa, excepta hac, truderentur in carceres, iidem ſuos judices coram deſpicere, ac criminari, uti latores iſtiuſmodi legum, ut quod Deus ac conſcientia dictabant, omitterent, aut ei contrarium facerent, & alii de eodem genere ſuis ſermonibus ac libellis eos magiſtratus ubique apud omnes, omnibus convitiis proſcindere, & omnia mala imprecari, ac veluti juſſu Dei obnuntiare, immemores & monitoris & auctoris illius ſententiæ, ut ne in tali caſu cunctemur profiteri noſtra omnia, & ut etiam inimicos diligamus, iiſque bene & dicamus, & faciamus, ita futurum, ut ſimus perfecti, quemadmodum pater noſter qui eſt in cœlis, eſt perfectus. Unde non ſolum iſti, qui ſic ſuo merito dimittebantur à judicibus, verum etiam illi, qui ita ſuorum pertinaciam defendebant, pluribus ac majoribus malis onerabantur, & eadem res nonnunquam in totius multitudinis redundabat caput. Verum & horum quoque immoderationem illi, qui moderatiori erant ingenio, reprobabant. Cæterum in Anglia, Scotia, Hibernia, nullo unquam tempore interregni ac Cromwelliorum, Quakerorum vexatio & oppugnatio ſive perſecutio univerſalis facta eſt. Nulla quoque particularis, inſtituta publica auctoritate, niſi ſi hi homines pergerent parum caute nimiſque audaciter ſuas congregationes coire, aut publicos cœtus aliorum interturbare ſuis conciunculis,

aut

aut ſuis invidioſis atque invectivis orationibus ſcriptiſve aliorum exiſtimationem offendere, aut ſimile quid ore aut geſtu agere. Neque eorum quiſquam aut publica poteſtate, aut tumultuoſe à vulgo ipſo, facto morte eſt punitus atque interemptus. Alioquin illa quidem temporis inſequentis fuit ſeveritas, & calamitas horum hominum, ut juberentur omnes per omnia loca ſuis conventibus abſtinere, & cum contenderent, ſe propter conſcientiam eam rem non poſſe facere, atque idcirco neutiquam facerent, tum quantum poterat fieri, in univerſos non unius generis perſecutio gravis inſtitueretur, & in ſingulos, quotquot novi aut turbulenti quippiam inciperent in templis, in locis aliis; huc eo deinde delicto accedente, quod dare coram magiſtratu juramenta, quod miniſtrorum decimas pendere, & quæ plura, ea agere aut pati nollent, propter ſcrupuloſam & anxiam in his mentem ac timorem Dei. Quod cum fieret, etſi nullus unquam Quakerorum mandato magiſtratuum per maleficorum punitores, lictores ac carnifices, publice aut clam neci datus eſt, tamen multi ita excepti carceribus, atque ita plagis ac vulneribus affecti a nefariis ac perditis hominibus, ut ex iis miſeros mors fuerit conſecuta. Imo vero cum ea horum hominum eſſet audacia & conſtantia, ut quodcunque inciperent id pertenderent, ac nihil eorum, quæ antea dixi, omitterent, & quo magis corrigerentur, hoc magis ſuis cenſoribus caſtigatoribuſque inſur-

Digitized by Google

ſurgerent & efferveſcerent, erant hæc quotidiana, ut publice a magiſtratu alii carceribus, alii pecunia, pars exilio multarentur, & a plebe multis magniſque opprobriis exciperentur, & pugnis & calcibus & fuſtibus ac lapidibus ejicerentur è locis in quibus erant. Neque vero ullus è doctoribus ac ductoribus populi, qui non aliquoties vincula captiva ſuſtinuit. Sæpenumero dum una eſſent, eſſentque delati per indices, miſſi accenſi, lictores, ſatellites, qui ſpecie officii, omnes, quotquot præſentes erant, ruerent, raperent, tunderent. Rurſus perſæpe homines privati, plebei, vulgus, nati & educati inſtitutique ad facinus & prædam, aut iiſdem, quos dixi, ducibus venire, nimirum quo etiam abſque hoc ſua ipſos rapacitas duxiſſet, aut ſoli ac ſponte inſtar latronum prædonumque, eo effundi, ubi ſperabant ſibi ex populatione ac direptione plurimum venturum, & ædes effringere, & primum homines raptare, exuere, cædere manibus ac fuſtibus, & diſſociare ac diſſipare omnes, ac tum quicquid exportari non poterat conficere, inque nihilum redigere, reliqua furtivis manibus compilare, ac ſuam quiſque domum efferre. Quo furore illi amentes ac ſcelerati ſæpe pariter tenuiores ac locupletiores omni facultate domeſtica, quam illi multis annis acquiſiverant, & omni ſupellectile quæ ſupererat, uno momento orbaverunt, ut ne pauperculis quidem ſua frivola, atque ea inſtrumenta, quæ iis uſui ad operam ac vitam,

reliquerint. Accidit interdum, ut quidam tempore veſpertino, dum homines hi non occultiſſime convenirent, & iſti homines nequam ex occulto in mediam concionem inſilirent, lucem accenſam extinguerent, & quos apprehendebant, alios crinibus extractos, alios manibus pedibuſque conſtrictos abducerent in agros, & abjicerent, ubi homines pernoctabant cum periculo vitæ. Atque ita multi cum in carceribus, per ægritudinem & indigentiam rerum neceſſariarum, & ſqualorem, & cætera incommoda, tum in ſuis ædibus ex ærumnis, per rabiem ac vim hominum acceptis, tandem exſpiraverunt. Neque tamen hæ res ſingulæ ſimul, at ſenſim, & aliæ poſt alias homines hos iuvadebant. Interim Quakeri omnia hæc à ſuo primordio, omni tempore, tanta patientia & firmitudine animorum tolerabant perferebantque, ut non modo multos ſuorum hoſtium fatigarent, ſed etiam plurimos homines excitarent ac pellicerent ad ſuam communionem, ita ſecum reputantes, neque velle neque poſſe homines tam intolerandam moleſtiam ſubire ac ſuſtinere, niſi de illarum rerum, pro quibus hæc patiebantur, veritate plane cum ſuo animo certi forent. Quemadmodum & ipſi Quakeri hanc ſuorum pro ſua fide tolerantiam, quam in martyrii vertebant gloriam, junctam cum vitæ morumque ratione ſingulari, præcipuum ſemen eſſe ſuæ eccleſiæ & illo & omni tempore prætendebant. Quin audivi ex iis prædicantes, futurum ſat

certo,

Digitized by Google

certo, ut ſua religio ſit nova reformatio & inſtauratio mundi, verum hanc longe diſſimilem fore illius reformationis quæ ſeculo ſuperiori accidit, utpote, cum illa partim brachio mundano fuerit ſuſtentata, cujus id ſit futurum proprium, ut ſola fide & patientia ac tolerantia ſuorum peragatur. Interea querebantur Quakeri inprimis de miniſtris eccleſiarum publicarum, ut & de Independentibus, maximeque de Baptiſtis, quibus Baptiſtis ipſis magna tum data libertas dicendi faciendique quodcunque vellent, eos præ aliis in ſeſe eſſe injurioſos, & adverſus ſe, & magiſtratum inclamare, & plebem, etiam formidoloſiorem, concitare ad ſuam perniciem, idcirco quod ipſorum dignitatem ac copiam ſuo quaſſu & attrectatu magis quam aliorum diminuebant. Dixi de his rebus generatim. venio ad ſpecimina ſingularia, uti in quibus ſolis rerum teſtimonia, & probatio, & veritas verſantur. Etenim non negabant Quakeri, plurima eſſe quæ ipſi in aliorum doctrina ac religione reprehendebant, verum objiciebant, adeoque & hoc carpebant graviter, multa magnaque opprobria & maledicta in ſuam doctrinam & converſationem à quam plurimis ingeri, atque hinc ſibi ubique inſignes fieri injurias. Sane recenſent Quakeri varios libellos ſupplices, ab ſacerdotio publico (licet mihi uti verbis publicis illius gentis) exhibitos illis qui erant poſiti in publica poteſtate, qui eo ſpectabant, ut Quakeri fugarentur è ſuis quique locis, ob eas

cauſas, quæ ſi fuiſſent veræ, Quakeri fatebantur, ſe dignos eſſe ita de Chriſtiana religione meritos, ut non modo ex una provintia, aut regno univerſo, ſed ex totius univerſi finibus, atque ex numero viventium ejicerentur, ſi, quod hi homines negant, humanæ poteſtati fas eſſet, ullum facinus adeo ſevere ac vehementer vindicare. Ejus generis illa ſupplex obſecratio anno ni fallor quinquageſimo primo à multis eccleſiarum paſtoribus & civibus atque incolis comitatus Weſtmorlandiæ oblata provintiæ ejuſdem judicibus pacificatoribus, qua petebant, *ut Jac. Naylor, & Georg. Foxus, & Fr. Howgil, & reliqui ſocii, homines, quos ſibi inquiebant generatim eſſe incognitos, unde eſſent, ubi habitarent, quid rerum agerent, & quos ſuapte auctoritate dicebant in hæc loca veniſſe, & cunctos mortales miſerrime diſtraxiſſe, & mutuis ſimultatibus & iracundiis & diſſenſionibus impleviſſe, & homines multos magna efficacitate à vera religione in periculoſos, & pernicioſos, & horribiles, & damnatorios errores ac ſemitas ſeduxiſſe, in eumque deduxiſſe ſtatum, in quo omnem pacem, & regimen omne reipublicæ perverterent, cum interea loci ipſi, quaſcunque contra rationes egregias & etiam divinas obtendant, ſint homines impii, impoſtores, miniſtri Satanæ, hiſce ſedibus moveantur, & imperentur in ſuas regiones demigrare, & ſe ſuarum rerum ac munerum ſuorum finibus in illis continere.* Quarum ſupplicum precum vis effectuſque illi fuerunt, ut & Naylor & Howgil ducerentur in carcerem. quanquam

è ju-

è judicibus unus Gervacius Benſonus adverſus ſuos collegas palam teſtabatur, Nayloren haut promeruiſſe, quamobrem hoc, quod fecerat, crimen blaſphemiæ haberetur, atque is ut reus, de violata lege contra tales ac tantos maleficos, ejuſmodi pœna admoneretur fatigareturque. Cui addendum illud, eundem judicem *Gervacium Benſonum*, & alium illa in re judicem *Antonium Pearſonem*, poſtea ipſos Quakeros factos eſſe, & multa pro iis hominibus ſcripſiſſe. Aliud exemplum hujuſmodi petitionis erat libellus, poſt duos inde annos datus Conſiliariis Status (ſic vocant) à multis nobilibus, à judicibus ſeu arbitris pacis, à miniſtris Euangelii, & civibus, Lancaſtrienſibus, in quo libello ſic erat Scriptum: *G. Foxum, J. Naylorem, & eorundem aſſectatores & comites, non prætermittere vincula divellere cum cunctorum generum atque ordinum hominum inter ſe, tum populi atque Dei, & eo agere ſuos, ut ſinguli, mares, fœminæ, pueri & infantes, in ſuis conventiculis miris ac ſcurrilibus motionibus agitarent, ruerent, tremerent, ſpumeſcerent, intumeſcerent ventriloqui, & quoſdam ex illis doctoribus non dubitaviſſe de ſe ipſos dicere, præter alias abominandas hæreſes, eſſe ſe pares Deo.* Huic ſcripto adjunctus erat index hæreſium cum chirographis teſtium, his verbis: *G. Foxum* faſſum eſſe, & perſiſtere in hoc, *eſſe ſe Deo æqualem, & unicum mundi judicem, & Chriſtum, & viam, & veritatem, & vitam, ut &, ſi quis in concione coram populo textum quendam Scripturæ* ex-

explanet, eſſe eum incantatorem, & ejus prædicationem incantamentum, & Scripturam eſſe carnalem; Jacobum Melverum confeſſum eſſe, ſe eſſe Deum, & Chriſtum, & eundem edere has prophetias, inſtare diem judicii, neque futurum porro judicem in Lancaſtria, & ſe brevi magnam Synagogam Parlementi à radicibus concuſſurum; Leon. Fellum profeſſum, Chriſtum nunquam aliud habuiſſe corpus, quam quod eſt eccleſia; R. Hubberthornum dixiſſe, adventum Chriſti in carnem modo figuram aut typum fuiſſe. Atqui licet Quakeri ita inter ſe ſtatuebant, hæc quæ iis vitio vertebantur, talia eſſe, ut etiam ipſis tacentibus res ſe ipſa convelleret, tamen, ut nihil eorum, quæ ipſis objiciebantur, relinquebant, ita hæc quoque ſuis ſcriptis, atque ejuſmodi rationibus, confutabant, ut perſpicuum eſſet, eos qui iſta finxerant, improbos homines eſſe, & qui crederent, fore vecordes, exceptis vaticinationibus Milveri, in quibus libenter orationis vanitatem agnoſcebant & redarguebant. Imo cum id his hominibus perpetuum foret in omnibus judiciis, ut iis præter ſuam doctrinam, ac præter ſuos mores vivendi, multa dogmata ac facta, plena dedecoris ac probri, objicerentur, illi non unis libellis illa objectamenta diluebant, & quæ unaquaque de re ſua ſententia, quis uſus eſſet, exponebant, & libellos hos mittebant ad judices omnes, atque etiam ad Protectorem Cromwellum, & inſuper pervulgabant in vulgus, quo omnes ac ſinguli ſe in ipſorum doctrinam & vitam

tam: cauſaſque penitus inſinuarent, & res ipſas, quæ poterant venire in controverſiam, plane expenderent, & ſi quæ ſuſpicio ſe quorundam mentibus inſinuaviſſet, eam evellerent, neque porro hujuſmodi falſis criminationibus eos inquinarent. Etenim ſive id ex hujuſmodi imputata culpa ſit profectum, ſive ex impugnata nimis vehementer, qui nimo impudenter & prave, miniſtrorum verbi divini doctrina ac fama, *Hubberthornus* ab hoc tempore non unam ſuſtinebat captivitatem Ceſtriæ, & Norvici, uſque ad annum quinquageſimum quintum. * Sed hoc breviter atque obiter. Extant exempla horum hominum, qui ab ſuis adverſariis accuſati de falſitate, tum ubi illos adirent, quo ſe illa ignominia exolverent, aut provocati, ut aliquo in loco ſiſterent ſe atque audirent, qui iſti accuſatores rem certam facerent ac probarent, poſtquam ſui copiam feciſſent, aut improviſo ac confeſtim, aut poſt orationem futilem, illaqueati verbis aliquibus, abripiebantur in carceres. Accidit id *Guilj. Dewsberrao* in oppido Northamtoniæ Willingburgo. Fit ei obviam quidam miniſter verbi divini in illo oppido (nam quis, cujuſque eccleſiæ miniſter eſſet, prætereo, parcoque his, ut parcam ordini ac dignitati) id temporis, cum jam properaret ad templum, atque concionem ad ſuos haberet. Compellat virum, increpat, & ut deſiſtat decipere homines, prius quam divino ſupplicio afficiatur, acriter monet. Ille, quæ ea res ſit, in qua decipiat

Digitized by Google

hominès rogat. Ad quod miniſter, docere Dewsberræum, nullum eſſe peccatum originale, & ſciſcitante Dewsberræo, nunquando miniſter hoc eum dicentem audiviſſet, ille, ſeu ab animo, ſeu à tempore parum præparatus ac præpeditus, tacens abit pergitque in templum. Eum ſequitur pone Dewsberræus, & ſervans ſuorum illud ſolenne, toto tempore, quo miniſter vacat orationi ac precibus, capite tecto ibi hæret, exſpectatque & illius ſermonis exitum, & ſuam dicendi opportunitatem. Ergo ubi miniſter deſcendit è ſuggeſtu, accedit prope, petitque, ut is nunc coram populo probet atque demonſtret, quod paulo ante ſibi dixerat in os. Aſt & heic miniſter diſcedit,& relinquit hominem in media turba ſuorum. Sic Dewsberræus, ratus ſuas jam eſſe partes loqui, ibi infit aliqua oratiuncula uti ad populum,in qua oratincula inquiebant dixiſſe, eſſe populi miniſtros omnes mercenarios, qui ob quæſtum duntaxat ſuis auditoribus ſuam operam præſtent. Ita is raptus, primum adjudices, deinde in carcerem, & conditus inter fures & ſicarios & homicidas. Quo in loco poſtquam pene menſes ſeptem delituiſſet, adducitur in judicium generale quod celebrabatur tum Nortamthoniæ, in urbe capite provintiæ, præſide Eduardo Atkinſio, viro magna animi moderatione ac modeſtia prædito. Cum vero præter unum nemo accuſatorum adeſſet, & jam legato quæſtorio ſua jurata dicenda eſſet ſententia, ille controverſiam dirimit hac oratione,
quam

quam ad verbum ex Anglico convertam. *Eſt quidem fama communis bona accuſatrix, at non ideo bona probatrix. Et hactenus quidem mihi a te ſatisfactum in iis quæ audivi. Nihilominus quoniam vulgari rumore es delatus, eſſe vos populum periculoſum, & perturbatores pacis publicæ, prorogo tibi captivitatem, niſi velis ſatiſdare, te bene temet eſſe geſturum, & appariturum in proximis comitiis.* Quum autem Dewsberræus, id, ut ſatiſdaretur in tali re minime oportere duceret ac diceret, rurſus traditus eſt in carcerem. Et cum in proximis comitiis, quibus præerat Haleſius, eadem iſti intenderetur actio, & tamen nullus teſtabilis etiam hic adeſſet, etiam hoc loco judex eum abſolvit injuriæ, & tamen reduci in priſtinum locum, ac reſervari in aliud tempus jubet. Hujus modi rei hoc quoque exemplum erat. Mancunii quidam è Quakeris ſua inter ſe exercebant ſacra. It intro ad eos quidam publicæ eccleſiæ presbyter, provocatque omnes qui ſecum agant, oſtenſurum ſe ipſorum ſpiritum ſpiritum eſſe diabolicum, atque & locum & tempus dicit, quibus, ſi velint, audiant ipſum hoc argumentis demonſtrantem. Adfuerat quoque *Leonardus Fellus*, cui cum præcipue ejuſmodi objectio atque exprobratio fuerat gravior quam poſſet audire ac ferre, is pollicitus erat ſe præſto futurum, & aſſumptis aliquibus ſociis, ſe ſiſtit loco ac tempore præſtituto. Illic presbyter ad rem magis animatus quam paratus inſtructuſque, negotium protrahit differtque in tempus aliud. Iſti etiam

tunc ſe exhibent, veniuntque in rem præſentem gnaviter. Quod dum fit, nonnulli homines audaces ac petulantes irruunt, & acri animo magnaque vi ac multis verberibus in eos faciunt impetum, & eripiunt eos, trahuntque non modo extra ædes, ſed etiam extra urbem, obſtendentes ſe miſſos ad id à cuſtodiis urbis. Beverlaci quidem viri pravi *Iſaacum Lätum*, cum ſuis habentem ſermonem, in ædibus adoriuntur, clamantes obtrectare eum laudibus ſuorum paſtorum, & capillis domo extrahunt in publicum. Perlongum ac pene infinirum eſt, narrare, quot numero cœtus diſturbati, quot homines, quibus quantiſque calamitatibus affecti in ipſis ſuorum ædibus, quot multati & emuncti pecuniis, fatigati carceribus, locis ſuis prohibiti, & ejecti in exilium, tantum eam ob cauſam, quod ſua agerent conventicula, quidam quod loca illa circumſiſterent, quidam quod ad ſuos ſocios inviſerent atque amicos, ut ſe & invicem nominabant, & appellabant apud alios, etſi cæteroquin liberi à delicto omni, & tametſi nullum ſectatorum genus erat, excepto papali, cui non ſua eſſet libertas, quantum vellent, conveniendi commeandique. Lex eſt antiqua Anglorum, qua cautum, ut ſi quis tanquam homo operarius, ſe conferat aliquo ad parandum victum, ac quis ſit, unde ſit, quo tendat, & in quid intendat animum, literis ſubſcriptis manu alicujus judicis non oſtendat ac probet, is, ut homo erraticus & nullius rei aut male-

feriatus

Digitized by Google

feriatus & maleficus, in hominum improborum ac pernicioſorum cuſtodias includatur, atque illic ad ſatietatem operam carcerariam ſuumque quæſtum faciat. Itaque quotiens è Quakeris, dum una congrederentur, reperirentur, atque inde protracti coram magiſtratu apparerent, minus noti, aut magis tenues ac nequaquam ſolvendo, hi pœna hac affecti. Et hæc quidem viſa juſta querela Quakerorum de ſuis erga ſe adverſariis. Enimvero vetus præceptum eſt, depromptum ex ipſo juris adyto, quod ſibi quis non vult fieri id alteri ne fecerit. Eſtque hæc aurea ſententia Servatoris repetita è lege ſanctiſſima Dei & prophetiis, quodcunque quis ſibi vult fieri ab hominibus faciat hoc illis. Quare falſo queritur de facta ſibi injuria, idem qui facit alteri. Eſtque periniquum minimeque ferendum, denegare alteri, ſibi quod quis cupit tribui. Proinde cum Quakeri adeo veterum legum ſeveritatem, & priſtinam religionem ac fidem Chriſtianam requirentes & implorantes, tam multa quererentur de duritia illorum, quos reſpiciebant ut ſuos adverſarios & inimicos, utique illi negare non poterant, non paucos ſuorum ſæpe ſic verſari ac gerere ſe erga illos, qui eos pariter ut ſuos inimicos habebant, de quibus uſque adeo querebantur, ut ſi ſua querela non injuſta foret, etiam ea, quam ipſorum adverſarii de iis faciebant querimoniam, juſta ac legitima eſſet, & cum iſti homines prorſus innocentes vellent exiſtimari, anſam darent ſtatuendi,

tuendi, eſſe quoque inter eos homines pravos, qui ſe improbis artibus tenerent, & qui ſignificarent, quidnam, ſi facultas ad voluntatem accederet, effecturi eſſent. Hujus rei documenta hæc erant, ſcilicet multorum contumeliæ & maledictiones conjectæ in miniſtros verbi divini, atque eorum eccleſias integras, eopſe tempore, quo illi ſuis, & quidem ſanctiſſimis religionibus operarentur, ac concitatæ ex iis in ſe, imo totam ſocietatem, magiſtratus acerbitates, & populi iræ, & utrorumque inſecutiones atque impetus, adeo ut jam pauci iſti cæterorum omnium afflictores & proditores totius multitudinis ſuo merito haberi poſſent. Quarum importunitatum exempla cum illi ipſi qui erant illarum auctores actoreſque, certe eorundem amici atque amatores, ſuis libellis, editis in lucem, nobis prodiderunt, nempe gloriantes ejuſmodi rebus geſtis, certe quin ea, quæ ego ex iis carpam ac delibabo, ita ſint, ne tenuiſſima quidem ſuſpicio ſubeſſe poterit. Hanc viam primus præmonſtrabat ac quaſi muniebat reliquis anno quarto & quinquageſimo *Boswel Midleton* ſutor alutarius in urbe *Eboraco*, acclamans concionatori Eduardo Bouleſio in media ad populum oratione, omnibus audientibus: *tu miniſter es Antichriſti, & tales tuus cœtus.* Cujus rei mox damnatus in vinculis. Tale imprudentiæ atque audaciæ exemplum editum eodem anno *Oxonii* à duabus mulierculis, *Eliſabetha Havenſia*, & *Eliſabetha Fletchera*. Hæ primum

in

in viis, deinde in eccleſiis publicis, tum in academia, ad ſtudioſos, ſuo orationis genere prolabuntur, majore quam exiſtimaverant, & tamen facile putare potuerant, periculo ac malo. Quippe hi, quaſi pellecti hujuſmodi politis facetiis, illico multo facetius excipiunt, aut ut ſerio ac vero dicam, uti petulantia & ludificatio omnis maxime horum eſt adoleſcentium, trahunt in ædeis ſui collegii ſtudioſorum, ac poſitas ſub antlia infarciunt aquis, ac tum colligatas abjiciunt in ſentinam, ac rurſus deinde unam, Eliſabetham Fletcheram, conjiciunt in ſepulchrum, apertum ad imponendum funus, ea vi, ut è caſu id incommodi caperet, ut poſtea ex eo moreretur. Hic hoc malo liberatæ iterum adeunt templum, & tacente una altera palam verba facit. Sic ambæ raptæ conjectæque in carcerem inter flagitioſos ac facinoroſos homines, ac poſtmodum, ubi judicium delatum ad urbis præfectum, & idem ab eo datum civitatis aliquibus judicibus & academiæ rerum magiſtro ſupremo, ut illi in eas ſtatuerent quod ſibi videretur, horum juſſu expulſæ ex urbe veluti mulieres erraticæ. Cum autem hujuſmodi exempla inſolentia longe plurima extant, neque uno in loco, neque tempore uno edita, haut deterius erit ea commemorare, quæ in urbe *Briſtollio* tempore hoc continuo acta ſunt ab his hominibus, & prodita memoriæ ab eorundem ſociis ac defenſoribus certiſſimis, veluti præclara acta & pulchra; cumprimis quia in re-

relatione hac etiam alia quædam horum ſimilia, item alia non omittenda, ſe offerunt. Erat hæc urbs, poſt prolata in eam regionem horum hominum dogmata atque inſtituta, tanquam ſeminarium & receptaculum perfugiumque horum ſectatorum, & veluti theatrum ac ſpectaculum illarum rerum, quas his hominibus & agere & pati erat proprium atque ſingulare. Quæ res perquam ſtimulabat cunctos omnium religionum mortales, quorum urbs erat referta. Et quum hi ipſi homines in ſuis religionibus, ac multis aliis negotiis, miro ac fere capitali odio inter ſe diſſentirent, tamen hac in re, ut ſe Quakeris opponerent, conveniebant inter ſe. Hac tempeſtate Joh. Andlandus & Joh. Cammius, ac mox deinde Fr. Howgil & Ed. Burrougius, illic nota & cara nomina, veniebant in urbem. Andlandus & Cammius brevi poſt tempore abeunt. Aliis duobus permanentibus, magiſtratus eos citat ad ſe. Illi adſunt. Jubet magiſtratus eos ex urbe faceſſere. Illi negant, adduntque, ſi magiſtratus velit pro poteſtate agere, ſe quicquid id ſit iis nolle reſiſtere. Inter hæc tota civitas adeo infeſta agitataque & exacerbata erat in Quakeros, ut ubicunque adſpicerent, præſertim ubi illi ſe congregarent in unum, atque eo accederent aut decederent, omnes, prope omnis ordinis & generis & ætatis homines, deriderent, illuderent, fœdarent, impeterent lapidibus, manibus calcibuſque ferirent. In hoc rerum ſtatu Quakeri nihil magis

Digitized by Google

magis reprimebantur reflectebanturque à ſuis incœptis. Quin quidam, perinde ac ſi ad id ipſum ſe applicarent, quemadmodum hominum in ſe ac ſuos omnes iram ac ſævitiam augerent atque intenderent, etiam alia nova incœptabant conſilia ac facta, è quibus non ſolum nil boni ſperari atque effici poterat, ſed quibus illi facile poterant cognoſcere plus etiam ad ſe mali rediturum eſſe. Sic quidem *Eliſabetha Marſchalla*, quo tempore miniſter eccleſiæ Rodulphus Farmerus totuſque eccleſiæ conventus una erant ad prædicandum audiendumque verbum Dei, & Deo ſupplicandum, & celebrandum euchariſtiam, toto tempore ſiſtebat ſe exadverſum Farmero, & quum is ſe accommodaret ad adminiſtrationem Cœnæ Dominicæ, exclamat: *va, va, va! à Domino tuo Farmere capiti, qui verbum Domini ſumis in tuum os, quum Dominus te nunquam miſerit.* Quibus verbis omnibus commotis, & plurimis incenſis, hi vehementer invehi, & illam trudere mulierem, & trahere præcipitem è templo, & foris pueri petere lapidibus, & propulſare, uſque dum intra ſuas ſe abripit ac penetrat ædes, atque ibi immunis à pluribus incommoditatibus deliteſcit. Id facinus magiſtratus cum graviter potuiſſet ulciſci, maluit aut obliviſci, aut differre in tempus aliud. Atqui illa, quaſi re bene geſta, proximo die dominico ſimile facinus occipit, atque in eodem templo in concionatorem Johannem Knowelum, poſt impertitam populo benedictionem,

hanc

hanc mittit vocem : *hoc verbum eſt Domini ad te Knowelum. ego præcipio tibi ut pœniteat te tui operis, utque attendas ad lumen conſcientiæ quod eſt in te.* Sic iterum multis verberibus excepta & excuſſa è templo, primum ab excubitore in liberam, deinde, juſſu magiſtratus, in publicam cuſtodiam ducitur, neque graviori ſupplicio punitur. Unde propemodum cujuſcunque modi genus civium excandeſcere, & clamitare, homines hos nil aliud ſuis inventis atque incœptis quam cauſas contumeliarum & perturbationum confuſionumque, ac proinde inimicitiarum erga ſe & vendicationum occaſiones quærere. Jam Andlandus & Cammius reverſi erant in urbem. Qui cum tenderent extra urbem in locum verſus in quo Quakeri inſtituerant celebrare conventum, à manu puerorum in ſummum veniunt periculum. Et actum fuiſſet, ſi non cura quorundam procerum fuiſſent exempti. Quod poſtquam vulgus ac huic ſimiles cognoverunt, opinantes illos proceres haut conſentanie ſuo feciſſe officio, illi ſe effundere, quidam magiſtratui minari, & efferre clamores, *jam dudum nouam & fœdam, & partim flagitioſam ac perditam hanc Quakerorum gentem fines verecundiæ tranſiiſſe, atque proceſſiße eo, ut nil amplius poſſet ad eorum impudentiam atque audaciam addi; & hæc videre & ferre magiſtratum, cujus id fidei ſit commiſſum, reipublicæ, cujus gerat perſonam, dignitatem & decus tueri, ac cavere, ne quid populus univerſus, ſaltem in religione, capiat de-*

trimenti; adeo, cum tanta nunc res agatur, leges obmuteſcere, conticeſcere judicia, requieſcere ſupplicia, jacere humana ac divina omnia, inſtare fatum extremum libertatis ac religionis civitatis; ita jam tempus eſſe, quo populus ipſemet evigilet, ac cunctante magiſtratu, hi quorum id maxime intereſt, ſibi ſint magiſtratus, & ſuam ſalutem, quam cæteroquin non impetrent, quæſitum eant; id ſi alias non licet, nunc tali tempore, licitum eſſe & æquum, & oportere, & opus eſſe ut fiat; tamen prius quam id aggrediantur, cupere ſe, ut de re tota referatur ad Cromwellum defenſorem juris & libertatis communis. Nec mora. Quippe mox fuere, qui ſua de hac re deſideria mittebant ad Cromwellum. Ita dum iſti viri ſeſe mirificos agere cives, imo velut interreges ſuo judiciali munere optime fungi exiſtimant, magiſtratus in his connivere, aut deſpicere, inprimis quod res in eum locum erat adducta, ut ne præſidii quidem militaris, quod erat diſpoſitum in urbe, quicquam nomen ac terror valeret. Perdurabat tumultus hic totum biduum. Ex eo ſponte ſedatus. At eccum, dum magiſtratus, propter tantam inſolentiam ſuorum, tantam atrocitatem temporum ſtudet mitigare (unde neque tempore conſequenti capita perduellium promebat) alius Quakerus, *Henricus Warren*, malebat exagitare, & in ulcere hoc civitatis tanquam unguis exiſtere. Quippe qui ad eam cupiditatem eamque audaciæ magnitudinem progrediebatur, ut in templo, inque maximo conventu, præ-

coni verbi, poſtea quam is finem ſui officii atque operis fecerat, in os mitteret hanc vocem: *preces impiorum ſunt abominatæ Deo.* Qua opprobratione, qua nulla poterat eſſe contemptior, omnes commoti atque irritati, violenter hominem è loco religioſo expellunt, & abducunt ad præfectum ac conſules civitatis, qui ut ne inultum ferret, jubent detrudi in carcerem. Atqui tanta hominibus his aviditas & deſideratio inerat hujuſmodi locutionum in his locis, tantaque ejus gloriæ, quam in iis ponebant, titillatio, ut de hac re inter ſe deliberare atque cum judicio decernere viderentur, non deſtituros ſe id facere, quantumcunque ſibi ac ſociis & odii & moleſtiæ & mali conſtitueretur. Itaque jam non uni at plures huc prorumpebant, qui ergo identidem proripiebantur vehementiſſimeque verberabantur, & quidem in turba vulnerabantur, donec protrudebantur in carceres. Ad poſtremum magiſtratus quæſtionem, quam ad id temporis, excuſatione temporis & neceſſitatis, omiſerat, de hiſce captivis omnibus exercet, aſt ita, ut hic quoque, cogitans, poſſe aſpera multa leniri non nimium animadvertendo, aut ferendo, placide, leniter, clementer ageret. Verum cum iſti captivi ſe nihilo remiſſius atque etiam vehementius multo ſuis reſponſionibus magiſtratui opponebant, & quotiens iis ſuum objiceretur delictum, illi nullum delictum volebant agnoſcere & confiteri, & id quod egerant licitum ac decens eſſe ſumma ope defendebant,

debant, neque ſe illa feciſſe juxta ſuam voluntatem, at Dei, & inſtinctum & admonitum Spiritus Dei, & exempla virorum ſanctorum, vicit horum hominum pertinacia ac durities. Quare judices criminum eos ob has inquietationes & perturbationes, & mores præfractos atque obſtinationem (non alias ob cauſas, quas hi homines, more accuſatorio, allegabant) retineri jubebant in vinculis. Adhæc erant jam uniquique è populo ita invidentia & iracundia ac ſævitate irritati & exaſperati, ut paſſim Quakeros adorirentur, prehenderent manibus, pulſarent, tunderentque ac protererent, utque nonnulli irruerent in ædes, & homines inde deturbarent, & cuncta in iis diſturbarent, neque quicquam omitterent, quo ſuo incenſo animo morem gererent. Aderant jam in urbe Andlandus & Cammius, & Howgil & Burrougius & Naylor, & quem primo loco oportuerat nominare, Foxus, ſemper primus aut in primis, perinde ac ſi advocatum eſſet concilium, in eoque advocatio fieret rerum graviſſimarum. Quod ubi ſenatus reſcivit, quoniam rumor erat ad eos allatus, quin quidam jurati dederant teſtimonium, adveniſſe Roma Londinum quoſdam monachos Franciſcanos, qui ſe nomine Quakerorum occultabant, & cum ſimplicibus hominibus fraudulenter agebant, & eſſe in hac ipſa urbe Briſtollii complures, qui ſimulatione Quakerorum latebant, & ſuis artificiis homines pervertebant, is viros hos coram ſe jubet ac-

cerſiri. Atqui illi pronuntiant, ſe neque ſcire, quid de iſtorum Franciſcanorum adventu ſit, neque quicquam cum id genus hominibus atque ſtudiis & inſidiis commercii habere, & queruntur graviter, ſe hac fœda ſugillatione & invidioſo crimine gravari, ſibique viris honeſtiſſimis, qui adeo ſe iſtis inertibus monachis totique papatui ſubtrahebant, hujuſmodi turpiſſimas perſonas affingi. Ita dum judices plura ex cognitione hac veritatis, quam ex ſermone aliorum audiiſſent, illi dimiſſi. Quoniam tamen opinio hæc plerorumque civium inhærebat animis, certum eſſe, tales homines fallaces hiſce locis inerrare, cuſtodes urbes, nec non multi è plebe, circumcurſabant, & loca omnia inveſtigabant ac perſcrutabantur, ſi forte aliquos de novo hoc hominum genere offenderent. Quæ res uno die recidebat in plures Quakeros, inter quos Joſia Colius nobilis ejus regionis. Atqui vero heic eodem die hoc *Chriſtophorus Birhead*, incola oppidi, naupegus aut nauclerus, pro tempore atque opportunitate, vir, ut iſti homines ſolent, rudis & aſper, tanquam ſi ſuos populares, demum adeo concitatos, & omnia obſervantes, etiam amplius agitare atque inſectari voluiſſet, & potius quam illum fervorem extinguere, eum ſufflare ac frigidam ſuffundere, petit templum, & ſtat ceſſatque inter preces capite aperto. Quod ubi unus è civitatis rectoribus conſpicit, noſcens quis homo eſſet, curat eum è templo ſuam abduci domum, metuens

tuens ne quam tumultuationem ederet. Ille continuo revertitur, & finitis omnibus, exclamat magna voce, deſignans verbi miniſtrum, *heu te filium arrogantiæ.* Et perrexiſſet, ſi non aliqui apprehendiſſent. Ergo hi verberonem deducunt ad præfectum urbis, qui eo quidem tempore ſinit abire, at poſtridie jubet venire ad ſe, & ubi veniſſet, rogat, qui heri adeo inſigniter fuerat impudens. Is non impudenter at recte feciſſe ſe reſpondet, idque multis duris & horridulis verbis, ſed & ambagibus, ut minime veniret ad rem, defendit, ac perpetuum provocat ad ſuum ſpiritum Ajum. Tanta erat clementia judicum, ut & illi, & huic pertinaciæ hominis ignoviſſent, ſi quod depoſcebant, promiſiſſet ac recepiſſet, ſe tale quid impoſterum non repetiturum. Ad quæ cum ille ſuos judices diu, multiſque aliis verbis inverſis, detineret atque illuderet, & nihil magis benignitate quam minis moveretur, judices tantam impudentiam ac duritiem impunitam diſcedere nolebant, ideoque hominem retro abduci jubent in carcerem. Etenim cum hæc horum hominum acta jam uſitata atque ordinaria evaſerant, alii, iis non contenti, alios inuſitatos & extraordinarios modos actioneſque comminiſcebantur. Ita quidem *Thomas Murfordus*, inter flocci ac nullius pretii homines aliquis, & non imprudens ſuarum rerum, verum inter ignaros aliarum rerum omnium, ſibi veſtem fecerat cilicinam, conſutam è villis hircorum atque ovium, eaque amictus inambu-

laverat ac circumcurſaverat, oſtentui faſtus in cultu atque ornatu corporis ſuorum popularium, ſignoque futuri à Deo ſupplicii, ni iſthæc dimitterent. Simile amiculum mulier *Sara Goldſmita* ſibi curat fieri, ea fine, ut induta eo, paſſis crinibus, poſito ſuper caput limo, ſic bene ſordidata, adiret ſingulas portas urbis, tranſiretque plateas omnes, ac poſtmodum conſiſteret in foro in conſpectu omnium, atque ut in foro veritas, illic veridicam cauſam totalis & certæ iræ Dei ageret, ad eamque averruncandam omnibus exiſteret exemplum, idque ſeptem diebus continuis. Ita primo die primo dilicúlo, aſſumptis duabus comitibus, adit portas urbis, tranſitque varias plateas, at excitatis & inſequentibus compluribus hominibus, deflectit domum, deinde hora admodum nona procedit in forum, comitata una è duabus quas dixi amicis, perquam magna ſequente copia hominum, perſtatque ut lapis dimidium horæ, nullum verbum proloquens. Accurrunt omnis generis homines, maxime pueri, ac pro ſua quiſque opinione mirantur, conjiciunt, ſciſcitantur, quid mulieris illic eſſet, quid novus veſtitus, quid ſitus vellet ac quæreret, ac mox homines inferiores, ac præſertim pueri, pro ſe quiſque cum lingua manus movent, ac figuram hanc, adeo exornatam atque inſtructam ad excipiendos impetus (ut is quondam harum veſtium uſus inter caſtra ſequentes) ita eludunt atque excipiunt, ut quid ageret, quo ſe verteret, neſciret. Tandem

dem prodit vir quiſpiam, qui omnes adhibens machinas, abducit è foro ac turba in officinam, unde per lictores ducitur in curiam. Ibi mox adſunt quidam è ſenatu, qui poſt examen, ob quid rem adeo ridiculam, ſimilem fabulæ, incepiſſet, ac reſponſum, obtemperaſſe ſe lumini conſcientiæ, mulierem, quum ſine ulla dubitatione inſanire ac delilare videretur, ut minime mentis compotem, neque libero permittendam cœlo jubent occludi carcere. Id factum horum hominum Quakeri iterum defendebant exemplis ſanctorum veteris Fœderis, qui juſſu ipſius Dei variis mirìſque notis populum ſua peccata atque divina judicia edocuerant. Poſt hoc intervallum Quakeri denuo ac veluti certatim concionatoribus in templis obloquebantur, quidam in media concione interloquebantur, ex his poſtremis agmen claudente *Benjamino Maynardo* his verbis; *nomine Dei, tu præco ſilebis.* Adeo qui ante paucorum fuerat impetus, nunc plurimorum fiebat habitus. Et hi omnes conjecti in carceres. Quibus tamen carceribus quidam non ita conterrebantur, ut non & illic ſuam loquacitatem ac maledicentiam proderent, ac ſuis epiſtolis amariſſimis magiſtratus, ac paſtorum eccleſiæ, nomen & famam ac fidem, congeſtis multis convitiis ac probris, laceraren. Horum ſimilia etiam in regionibus aliis ſpectabantur. Et hæc Quakeri iſtius temporis ut facta inſignia ac luculenta, & imitanda aliis, collaudabant, contraque ea, quæ illi homines

ob iſthæc paſſi erant, ut criminoſiſſima maximeque cruenta adverſariorum facinora efferebant ſuis libellis publicis. Enimvero hæc homines animo parvo ac non optimo, quos licebat appellare idiotas. Neque enim omnes, non qui erant ingenio ac conditione cultiori, non anteceſſores atque antiſtites, excepto forte uno & item altero, imo excepto ſemper Foxo, hujus generis actiunculas aut committebant aut commendabant. quemadmodum hodieque cuncti quicquid iſtiuſmodi cavere poſſunt non agunt atque admittunt, & cum talia de ſuis audiunt dici, ſe tales actiones dicunt habere, veluti impulſiones ac motiones ſingulares illorum hominum, ac tanquam flagrantes ſcintillas zeli atque amoris aut ſtudii, cujus generis ſpecimina eccleſia & antiquiſſimis temporibus, & quoque patrum noſtrorum memoria, plura tulerit. Acta hæc anno quarto quintoque & quinquageſimo. Cæterum eo poſteriori anno Eveshami in Vigornia quidam Quakeri coibant in ædibus *Thomæ Cartwrigti*, peragendæ ſuæ religionis gratia. Eo cognito decurio quiſpiam irrumpit in ædes, abducitque & Cartwrigtum, & una opera Humfredum Smithum, ad judices quoſdam, congreſſos in una domo cum eccleſiæ miniſtro Haphinſio. Hi poſt longam diſceptationem, & ex ea altercationem, ita ſe viros dimiſſuros promittunt, ſi illi reſtipulentur atque dejerent, ſe iterum conventuros non eſſe. Quum vero negarent velle ac poſſe ſe, ob cauſas tam juſtas

con-

convenire, & ullas ob cauſas quicquam juramento adſtruere, judices hi, exiſtimantes ſe actionis habere ſatis, eos tanquam alligatos perturbationis pacis rebellioniſque jubent tradi in carcerem. Atqui ita certi Quakeri moti ſuorum captivorum amicorum miſeria, & memores eorum, perinde ac ſi ipſi captivi forent, ſe conferunt ad carcerem, ac cum introire fas non eſſet, circum taciti hærent, ſi ſaltem precibus ac ſuſpiriis apud Deum aliquid opis poſſent adferre. Sive autem Smithus aliquo ſigno accepto illorum præſentiam cognoſceret, ſive ultro huc impelleretur, is eo tempore in carcere clara voce precatur Deum. Quod cum cuſtos, atque alii, qui aderant forte, miniſtri carcerarii exaudirent, advolant, & demum ad infeſtandum hominem præcipites, iſthinc rapiunt, ac pellunt in locum alium ſubterraneum. Illi qui ſunt extra idem altero die agunt, & cum ante ſuum illum cœtum tranſegiſſent ſilentio, nunc unus ex iis Thomas Woedrenus incipit fari. Hoc percepto idem cuſtos perfurens ad eos egreditur, horriſonoque fremitu mandat, ſe omnes inde amoliantur. Id illi agunt, non ob ejus vocem, at proprio arbitratu, redeuntque paucis horis quam diſceſſerant. Quod ſimulatque Smithus reſciſcit in ſua caverna, eos appellat atque alloquitur, & colloquuntur inter ſe. Dies erat, quo oppidani ſuæ in templo religioni dabant operam, & hora qua illinc regrediebantur domum. Ita quidam iſtorſum hac, ubi

 erant

erant Quakeri, tranſibant, atque eos Woedrenus affatur de ſuis rebus. Atqui ſic quidam tribunus prehendit ducitque eum ad prætorem, deinde prætoris juſſu in carcerem ad Smithum. Tanta vero magiſtratui huic inceſſebat indignatio atque ira in has congreſſiones, ut interminaretur, ſi illi iterarent factum, patibulo defringere caput. Et quoniam metuebant, ne Quakeri in ſuo illo inſtituto perſtarent, opponunt excubias. Verum illi ſic tamen pergunt ſuo more agere. Itaque ergo & his carcer ſupplicio datus. Erant Smitho libelli quidam Quakeriani. Hi erepti, & in foro in conſpectu populi concremati. Jam pridem lex lata erat autore Protectore Cromwello, qua grandi pœna ſancitum erat, ut ne quis reperiretur ſacrum habere profanum, ac ſpeciatim, non modo falſum, ſed neque facile ac nulla de cauſa jurare, ac nomen Dei ullo pacto temerare. Ea conſtitutio populo prælecta erat, verum non, ut conſuetudo erat, affixa loco publico. Querebantur Quakeri, eſſe inter judices hujus civitatis, atque adeo ſuæ gentis, qui ipſi non uno modo contra conſtitutionem adeo ſanctam, quam vehementer peccarent. & inveniri enim alium, qui tam leviter homines adigeret ad juramenti dictionem, cum neſcire non quiret, quanta eſſet nequitia multorum hominum, & quam non pauci non majori conſcientia ad perjurium quam ad mendacium officioſum perduci poſſent ac ſolerent; alium, qui ipſe nulla religio-

Digitized by Google

ne teneretur, quin ſingulis vicibus rem jurejurando affirmaret; alium qui eſſet ebrioſus. Quare Quakerus quiſpiam illud Protectoris decretum omnibus legendum figit in curiæ poſte. Id alius inde avellit. Quakeri de his rebus omnibus mittunt libellum ad Protectorem, deinde ab præfecto urbis epiſtola, ſubſcripta ſuorum quadraginta manibus, contendunt, ut quod eſt jus ſibi fiat, utque Cromwelli decretum, quo ergo tam in ſuis quam alienis vitiis juſtitiam exerceant, executioni mandetur. Verum iſti quidem irritis precibus unius obſtrepebant aures, atque ita alterius irritabant animum, ut & ſibi novum infortunium auferrent, & etiam ſodalium neceſſariorumque cauſam redderent difficiliorem, atque eorundem caſus inſuper aggravarent. Unde porro ſe minimo motu atque periculo maluerunt continere. Hujus anni parte extrema, & anno ſequenti pene toto *Georgius Foxus*, nec non *Eduardus Pyotus*, vir ante cohorti militari præfectus, ſua vernacula jurisprudentia & diſſerendi arte per quam exercitus, & *Guiljelmus Saltus*, quod ſuos de ſuæ ſectæ religione ac diſciplina libellos diſtribuiſſent, *Lanceſtoni* in Cornubia vitam in carcere duram ac moleſtam agebant. Nam cum ſingulis comitiis recuſabant detegere capita, & dare juramentum fidelitatis erga præſens imperium, licet ſe eam animo complecti aſſererent, atque nudis verbis declarare non refugerent, ſolum ſcrupuloſa atque anxia cura conſcientiæ, judices ob parvula

hæc

hæc momenta totiens aſſervari jubebant in conventus comitiales proximos. Querebantur captivi vehementur de injuriis juſticiarii ſeu irenarchæ regionis, cujus juſſu in hunc locum pervenerant, ſua facta ac dicta ejus perinſigni captatione contorſioneque & calumnia ſupra modum gravari. Interim quaſi carcer non ad continendos homines, ſed ad puniendos haberi deberet, cuſtos carcerarius, homo in humanus, ſed nunquam humanitatem doctus, verſatus ſemper inter fures, atque ob id ſtigmaticus, quo nemo aptior huic muneri ſervili viſus erat, hos ſuos captivos omni tempore pluribus iniquis atque inimicis modis accipiebat excipiebatque. Neque enim ſolum eos defraudabat alimentis, & ipſorum amicos prohibebat, ne qua cibaria adferrent, quod idem poterat videri atque occidentis, ſed etiam ſatur atque onuſtus potu, concitus inſania, pugnis ad eos volitabat, invehens, inſultans, intentans plagas, & necem ipſam minitans. Continebantur & multi alii Quakeri hoc eodem carcere, quidam propter eam cauſam, quod ad detentos loco hoc & impeditos amicos viſerent, alii quod libros vetitos ſuæ gentis aut ſecum gererent, aut tribuerent aliis, inter quos erant J. Naylor & G. Balæus, nonnulli quod ſuum nudare caput coram judicibus noluiſſent ſuis ipſi manibus, nam quidam jam eo pervenerant (utique parum congruenter ad ipſorum doctrinam atque inſtitutum, cum nihil intereſt, utrum quis faciat ipſe, an ipſe

pa-

patiatur fieri de ſe) ut, cum ipſi detrectabant ſuis ſe pileis exuere, permitterent, ut accenſi, lictores, alii, illos auferrent. Et hos Quakeros idem cuſtos fere eodem modo quo cæteros tractabat. Quum vero homines hi judicibus hæc, quo in loco ſuæ res eſſent, indicarent, & apud eos de ſuis his injuriis quererentur, atque cuſtos non modo rem omnem negaret, ſed etiam actionem omnino contrariam intenderet, tanquam ſi captivi ipſum cum tota familia ſtuduiſſent opprimere atque necare, huic, non illis, habita fides, & ille quidem impunitus ac liber abit, at hi arctioribus incluſi vinculis, & pluribus plagis affecti ſunt, ita ut quidam præterquam inopia, & fœtore & fœditatibus aliorum captivorum lutulentorum ac perturpium (erat enim carcer communis, repletus fœditatibus quas niſi præfato honore, non licet nominari, intra annum non evacuatus) etiam novis miſeriis morbum contraherent, & unus ex iis *Johannes Ingramus*, nimio morbo implicitus, obiret mortem. Ad extremum cum Quakeri quererentur, ſic judicum animos eſſe occupatos, ut nulli ſuarum lamentationum eſſet locus, nullus veritati adytus, & vexatorem iſtum cuſtodem ſuo pro lubitu agere, Generalis *Disboræus* (hoc ſolo nomine virum notant ac deſignant Quakeri, qui hiſtoriam hanc copioſe deſcripſerunt, in hoc parum arguti, aut civiles atque officioſi, quod viri in ſe officioſiſſimi, & patroni unius ne nomen quidem explicitius reddiderunt) ſe con-

tro-

troverſiæ & cauſæ dictioni interponit, & omnibus exploratis, ita negotium dirimit, ut ſtatuatur, cuſtodi nil nocitum iri, & datum iri Quakeris poteſtatem laxiorem vivendi. Dein non multo poſt illi vinculis his atque ærumnis exierunt. Hac quoque memoria in tanta horum hominum multitudine non deerant, qui ſuis levitatibus atque ineptiis & ſibi, & toti ſocietati, magnam invidiam & moleſtiam & afflictationem conſciſcebant. Ita Londini mane alicujus diei viſi quidam ex illis, ſed viles & abjecti, ſeminudi, aut ſolo induti induſio, ſua inſomnia hominibus prædicantes. unde nata ſuſpicio & ſermo & fama & accuſatio, eſſe Quakeros omnes ejuſmodi homines vagos, intectos, nugigerulos, inſtar veterum Monaſterienſium Anabaptiſtarum, & occaſio & cauſa, non ſemel in eos, ut iſtiuſmodi inquietos & turbulentos, ſevere vindicandi. Præterea cum temporibus hiſce non pauci eſſent extra Quakeros, qui vix ipſi ſcirent qualem quintam monarchiam novumque ſolius Chriſti principatum, qui deſtrueret omnia regna humana, exſpectarent, & ſe ad id pararent, & ſua ad invadendum regnum hoc arma haberent in promptu (cujuſmodi hominum genus etiam noſtra patria atque eccleſia è ſe ortum vidit, & nos probe novimus & commeminimus) etiam nonnulli reperiebantur inter Quakeros, qui ſive ſcienter, ſive imprudenter, aliquid tale, quod talem imperioſum modum referebat, incœptabant. Unde rurſus Quakeri inducti

omnes

omnes in ſuſpicionem, ipſos quoque de hoc genere hominum eſſe, & hinc nomen iis datum, ſi non univerſis, at multis, Monarchicorum & armigerorum, & ſi quis talis caſus inter eos incideret, graviter in eos animadverſum. Atque ut hoc obiter dicam, certum, etiam in noſtris regionibus præcipuos doctores tales errores Quakeris attribuiſſe & aſſcripſiſſe, neque potuiſſe inde depelli, quantumcunque Quakeri, voce, calamo, iſtam illis opinionem de ſe extorquere conabantur. Etenim ut hujus quam dixi rei exempla alia levioris notæ præteream, libet ex vero narrare hiſtoriam *Jacobi Nayloris*, quam quidam retulerunt non ut hiſtoriam, at ut fabulam, ſoliti quoſcunque rumuſculos aucupari ac narrare. Incidit hiſtoria in annum ſextum & quinquageſimum, habetque ſe ſic. Militaverat Naylor, primum pedes, deinde eques ſub Parlementariis. Ubi hujus vitæ tædet, circumſpiciens vitæ conditionem tranquilliorem, & patriam urbem, & ſimul ſe in Quakerorum conſociationem ac communitatem recipit. in qua cum exiguo tempore cum magna ſcientiæ laude magnam gloriam probitatis conjunxiſſet apud ſuos, omnibus perquam carus extitit. At quæ plerorumque omnium mortalium imbecillitas atque fragilitas, ut aliorum plauſum atque ſtudium optent & appetant, eademque immoderate ferant adepti, Naylor, poſtquam ſuorum in ſe amorem ac voluntatem conſpiciebat, nimium his tenetur duciturque.

Invita-

Digitized by Google

Invitaverant eum per epiſtolas in ſuam urbem Briſtollium ac ſua hoſpitia Johannes Strangerus & uxor ejus Anna, itemque Thomas Simmonſius cum ſua uxore Martha. in quibus epiſtolis eum ornaverant his ipſis elogiis, quæ nemo non ſcit cui, ac cui ſoli indantur, quod eſſet, *Pulcherrimus ſupra myriades*, *Filius Dei unigenitus*, *Propheta altiſſimi*, *Rex Judexque Iſraëlis*, *juſtitiæ Sol æternus*, *pacis Princeps*, *Jeſus, in quo Iſraëlis ſpes poſita.* Tendunt Naylor cum paucis comitibus Briſtollium, vehentes equis. Sic hi amici de ejus profectione atque adventu inaudientes, ſicut & alii quidam viri atque mulieres, dum reliqui præſtolantur in urbe ac ſua domo, extra urbem Naylori obviam læti atque alacres occurrunt, partim equites, partim pedites, atque illum, cum ante, tum poſt pedes iter facientes, deducunt in urbem, iis, quas dixi mulierculis, nec non Dorcade Erburæa, partem veſtimentorum ſternentibus in viam, ac vociferantibus illam ſententiam, qua uſam fuiſſe turbam ſacra ſcribit hiſtoria, acclamantem Servatori noſtro, Hieroſolymam ingredienti; *Hoſanna Filio Davidis. benedictus, qui venit in nomine Domini.* item, *ſanctus Jehova exercituum.* interim alio de numero fratrum, Juriano Witgerlæo, increpante & accuſante reliquorum in colendo homine incogitantiam intemperantiamque. Naylor ita comitatus invehitur urbem, intratque ædes duorum virorum, qui jam ante in ejus ſodalitatem atque amicitiam intraverant.

Illic

Illic à cunĉto conſeſſu multiplex ei honos datus, atque Anna Strangera cum paucis aliis, dum in excipiendo viro omnes profundunt vires, ſe ad ejus ſubmittunt genua, ac ſupplices ad pedes tendunt manus, eoſque exoſculantur. Quæ omnia Naylor, tantum abeſt ut aſpernaretur, ut cum voluptate ampleĉteretur. His cognitis per urbem, faĉtoque concurſu ad ædeis ex tota undique urbe, miſſi è veſtigio à magiſtratu qui Naylorem, ceu præſens imperium, non impune violabile, contemnentem, aut affeĉtantem novum, atque illius apparatum & ſigna coram adducentem, abripiunt in carcerem. Atque ut præteream media, & reliqua quoque brevi dicam, mittitur Naylor Londinum ad Parlementum. Illud cœtum è ſuis ad perquirendum negotium ſeligit. Naylor arreptus in quæſtionem, rogatuſque de epiſtolis ac titulis, ipſi in epiſtolis datis, item de mulierum ſubmiſſione ac ſupplicatione, cum faĉtum negare nollet, de modo ac ratione, quatenus eæ res potuerant ſibi attribui, conſtanter ac fortiter reſpondebat, nimirum, non ut erat creatura, at prout Chriſtus habitabat in ſe, defendebatque eatenus Deum id injunxiſſe illis hominibus, ac ſe idem, ut de ſe fieret, permiſiſſe. His tranſaĉtis, judices ſeleĉti ipſum exhibent reum ipſi Parlamento. Quod cum rem judicatam ſumma cura ac diligentia recognoſcit, Naylorem reum peragit horrendæ blaſphemiæ in Deum, ac ſeduĉtionis hominum, ſtatuitque tantum ſcelus

 hu-

hujuſmodi pœna expiandum. Poneretur Naylor in vico novi palatii Weſtmonaſterienſis in ſuggeſtu theatrali, exerto per foramen capite, conſpiciendus à prætereuntibus, ad horas duas, ac tum ex eo loco duceretur ad forum vetus mercatorum, quam appellant burſam, atque locis intermediis bene cæderetur loris, & tunc biduo poſt hoc quoque loco in theatro totidem horas omnibus ſpectaculo perſiſteret, ipſiuſque lingua graphio ignito pertunderetur, ac fronti illius litera B. quæ ut nota ac macula blaſphemiæ ſemper appareret, inureretur, ac porro ita affectus Londino remitteretur Briſtollium, atque illic in foro mercenario impoſitus equo, ſed retrorſus, nudo corpore, itidem corrigiis feriretur, poſtremum denuo mitteretur Londinum, atque inibi traderetur in ergaſtulum, & illic, ſi vellet habere quod ederet, id manuum labore ſibi pararet Naylor primo die excipitur trecentis verberibus, adeo ſævis, ut latera totuſque medius venter dilacerarentur ac dilaniarentur, ac viſcera interiora propemodum emicarent foras. Etenim ea die, qua ſupplicium hoc ſumptum de Naylore, legati variarum provintiarum Parlemento libellos ſupplices offerebant, orantes, ut Quakeri, tanquam homines importuniſſimi & intolarabiles, qui ubi eſſent, quaqua venirent, perturbabant omnia, magis comprimerentur. Contra multi amici Nayloris certi in hac re incerta hac eadem die idem Parlementum petunt, vellent eo eſſe animo, ut

quæ

quæ ex eorum decreto Naylori plura eſſent patienda, ipſi condonent. Hi id obtinent, ut quæ altero die pœna fuiſſet ſumpta protenderetur. Mittit cunctum hoc concilium ad Nayloreni verbi divini miniſtros quinque, quorum unus Eduardus Raynoldus, poſtmodum epiſcopus Norvicenſis celebris, tentatum animum Nayloris, & adductum eum, ut quod fecerat agnoſcat & confiteatur, & idem revocet. Verum is pari fortitudine ac conſtantia, qua in ſe defendendo uſus erat antea, nunc quoque in eadem perſeverat ſententia. Unde quum alioquin inire ab Ordinibus gratiam potuiſſet, nunc eorum juſſu reliquas meritis ſuppliciis pœnas luebat. Inter hæc de amiculis illis Nayloris, & viris & mulierculis, Exoniæ in carceribus datæ pœnæ, quum & illi ſinguli ad eundem fere modum, quo Naylor, ſuis frivolis excuſationibus atque exceptionibus crimen objectum à ſe repellere conarentur. Sed ut redeam ad Naylorem, eo tempore, quo is ſecundo conſiſtebat in theatridio, è maxima multitudine ſpectantium Robertus Richus, Nayloris amator maximus, cum duabus mulierculis conſcendunt eundem locum, ac Naylorem circumſiſtunt. Dein Richus chartulam promit è ſinu, ac ſuo imponit capiti, in qua ſcriptum erat, *hic rex eſt Judæorum*. Richus è loco hoc deturbatus, cum mulierculis, quæ ſe comites illius inſaniæ præbuerant, cum jam Naylori ſtigma in fronte inureretur, non jam ſponte currens, at tractus in theatrum,

Naylorem, dum ei nota ſtigmatis inuritur, tenet manu, ac mox vulnus, veluti ſacrum ac religioſum, lambit ſua lingua. Tametſi vero Naylor ſemper ſe excuſabat, ſe nil malo animo ac fine feciſſe, aut ſibi ut fieret tuliſſe, tamen & omni tempore, & nominatim eo, quo tale quid patiebatur, ſe ipſe damnabat ſuæ ſtultitiæ, quod ita à populo, atque iſto vano ac mendaci honore pependiſſet, & ſe pro illo peccato ac delicto juſtas pœnas pendere, & Dei contra ſe manum ac vindictam pati agnoſcebat, neque inter tot ac tantos cruciatus, mirum, ullam ac vel minimam ſuſpirantis atque ingemiſcentis iſti malo vocem emittebat. Præterea inter omnia hæc multi è Quakeris quotidie ad Naylorem mittunt epiſtolas, eumque ejuſdem frequentatione cauſæ, ut auſum tantum facinus corripiunt indeſinenter, & ut qui ita deliquiſſet pro eo porro ſe corrigat & emendet, atque ita enitatur, ut ab omnibus bonis probetur, monent atque hortantur. Quanquam vel ii ipſi monitores, vel alii de ea ſocietate, rurſus ſimiliter atque Naylor, publicis ſcriptis facta à Naylore, & de Naylore ab ſociis, omnia defendebant, atque huc plurima ſacræ Scripturæ dicta atque exempla allegabant & accommodabant. Et vero manſit Naylor toto inſequente tempore eodem modo erga Quakerorum religionem affectus uſque ad extremum vitæ ſpiritum, ſcripſitque etiam libros, quibus ſuam ſuorumque religionem promovere inter alios ſtuduit. Dixi ſupra G. Fo-

xum

xum cum ſuis ſequacibus Lanceſtoni in Cornubia, ob editos ſparſoſque in vulgus libellos ſuos, carcere fuiſſe comprehenſum ac retentum longiſſimo tempore. Ea in re Foxus alio libello ita ſe ab omni crimine expurgabat, ut affirmaret, nil aliud illis libellis doceri, quam officium eſſe omnium hominum, rite conſiderare lumen, quod in cujuſque conſcientia reſplendet, utque cum hac extenuatione ſuſpicionis ita ea, quæ patiebatur, exaggeraret & amplificaret, quaſi clamor ſui ſuorumque ſanguinis ſe ad cœlum uſque extenderet, ac iram & vindictam Dei proritaret. Jam hoc tempore, quo Foxus necdum liberatus erat carcere iiſque ærumnis, quas ille adeo duras eſſe clamabat & perpeſſu intolerabiles, prodibat Londini libellus, ſublato quidem nomine, attamen abſque ulla dubitatione auctore Foxo. Is libellus aperiebat exponebatque cauſas, propter quas Quakeri deberent recuſare & abnegare doctores mundanos, per quos intelligebant publicarum eccleſiarum miniſtros. In eo libello auctor omnes doctores paſtoreſque una exæquatione criminabatur, cum aliorum vitiorum, tum falſitatum, deceptionum, fraudum, mendaciorum, intantum, ut pretio aut gratia mendacia conſectarentur, & per avaritiam fucatis verbis homines ſibi coëmerent, & Scripturam ſacram cauponarentur, imo eſſe eos incantationis, magiæ, necromantiæ reos. Oportet accuſatorem bene eſſe memorem, & ſibi cavere, ne alios inſimulando ſtulte & falſo, ea-

dem ratione, & ſe deridendum hominibus, & ſe ipſum ejus ipſius culpæ affinem præbeat. Hoc infelici ingenio illius libelli auctorem fuiſſe res ipſa loquebatur, ut qui hæc quoque in ſuis adverſariis iis vehementer & carpebat & increpabat, dicere illos, Euangelium Matthæi, Marci, Lucæ, Johannis, eſſe Euangelia; dicere, Euangelium eſſe lucem, dicente Scriptura Chriſtum lucem eſſe; docente Apoſtolo, fidelium corpora eſſe templa Dei ac Spiritus ſancti, eos docere, eſſe templa illa domos faſtigiatas ſive materiatas, quæ ex ligno ac lapidibus ſunt confectæ, & quæ plura talia, non dicta calide, at callide ſcripta, ad incitandam imperitam multitudinem, & excitandos homines parvi ac pravi ingenii. His artibus, quæ non procul abhorrebant ab malignitate ac libidine flagitioſa, aut dementia atque inſania immani, homines hi etiam atque etiam ſuorum adverſariorum in ſe invidiam & odium atque iram concitabant. Præterea cum iidem homines, præſertim his fecialibus & allectoribus incitati, non ſolum non ceſſabant, ſed etiam magis magiſque pergebant, ſua temeritate ac prorupta audacia, non tantum concionabundi circumire, atque in foris & ejuſmodi locis ſuos ſermones habere ad homines, ſed etiam in templis illorum verbi miniſtrorum conciones ſuis invectivis interlocutionibus interrumpere, aut poſtmodum obſtrepere, ſe uſitata conſuetudine, & hoc uno ſemper verſiculo defendentes, ſibi à Spiritu hanc mentem fuiſſe

indi-

inditam, hinc omnes omnium hominum in ſe indignationem & acerbitatem inque vindicando ſeveritatem augebant. Accidit hoc ab anno quinquageſimo ſexto duobus annis ſequentibus. Ita quidem Bridportii in Dorceſtria non tantum illi, qui in locis publicis ad ſuam voluntatem erant locuti, ſed ii quoque qui ſolitas in templis conciones non adibant, aut ſuas in ſuis ædibus obibant conciones, alii multati pecunia, alii acti in carceres, quidam cæſi flagellis, ac tunc loco prohibiti ejectique in exilium, è quibus nonnulli ita animum pertinacia obſtinabant, ut veluti victores timoris ac doloris, tamen recurrerent (unus, Georgius Beulæus, etiam bis) quibus idcirco totiens illæ plagæ infligebantur. Idem fiebat in oppidis Shiburnii, Longhortonii, Vimulii, & in ipſa urbe primaria Dorceſtriæ. Scribebant Quakeri, in multis locis ipſos eccleſiarum miniſtros non modo ſuis concionatoriis orationibus, aptis ad homines commovendum accendendumque, & magiſtratus, & inprimis multitudinem improvidam & credulam in omnia, horſum impellere, ut Quakeros aut propellerent, aut prohiberent ſuos conventus agere, ſed etiam ſe inter eos, qui armati veniebant ad diſturbandos cœtus, cum publicos ſatellites, tum plebem promiſcuam, ſocios præbuiſſe. Aſt non aliud ita ſuis monumentis annotabant atque extendebant, quam facta in ſe ſcholaſticorum ſeu ſtudioſorum *academia Oxonienſis*. Parum erat, ſiquando Quakeri ingrederentur

rentur templa, facere in eos impetum, atque audaciam illam veniendi in conſpectum adoleſcentium, qui ipſi eſſent audaciſſimi & promptiſſimi ad omnem laſciviam, acriter vindicare. Quotiens Quakeri ſua conventicula agitarent, atque res ea ad aures hujus ſtudioſæ cohortis perveniret, illi eo ſe effundere, atque inde eos homines extrudere & pellere foras, & illic huc illuc raptare, ac modo omni vexare. Sin commode poſſent introire, fores ac feneſtras effringere, aut ubi neque id poſſent aut vellent, hærere circum ædes, atque ibi egredientes iiſdem modis excipere. Et hoc quoque illis parum. Erant qui inſtructi fiſtulis & nicotiana (herba nota, ſic appellata ab homine, qui primus ejus uſum oſtendit) & cerviſia, non tantum ipſi hæc ſorbillabant, ſed etiam porrigebant Quakeris, atque iis denegantibus, imo nil quicquam loquentibus, ac tacite illam omnem moleſtiam ſorbentibus ac concoquentibus, potum fundebant in hominum guttura, ac ſuper veſtimenta, & eos feriebant, & comprimebant naſum, & vellebant barbam, ut cogerent aliquid profari. Sed & hæc facinora ſuſcipere parum habebant. Erant qui homines incurrebant, & proculcabant pedibus, qui exonerabant ſclopos, qui mittebant pyrobolos (Angli ſerpentes vocant) pervolantes ac ſe inſinuantes in tunicas ac tibialia, qui moloſſos ſecum adducebant, & eos pungebant, quo in homines latrarent, & incitabant ut homines involarent ac morderent.

Qui-

Digitized by Google

Quidam abeuntes ſecum hominum auferebant bona. Cum autem Quakeri de his injuriis ac pravitatibus conquererentur apud præceptores ac profeſſores, illi ſurdis narrabant fabulas. Et profecto facit magnitudo tot tantorumque maleficiorum, ut niſi homines illi iſthæc aperte ſcripſiſſent, ac nemo quiſquam ſcripta ab iis refelliſſet, eſſent incredibilia. Talia ſibi quoque à ſtudioſa juventute *Cambrigienſi* accidiſſe querebantur, & oſtendebant ſcripto publico. Hæc dum fiunt *Olivarius Cromwellus* anni quinquageſimi octavi menſis bis tertii & unius præterea die decimo tertio, hora poſtmeridiana tertia, tertiana febri, poſt vehementem acceſſionem vitam terminat, is vir, auſus tantam ſibi arrogare poteſtatem in omnes tres partes hujus totius tractus, habiti antiquis orbis alterius, ut ſolus ſuo unius arbitratu cuncta regeret, ſepoſito nimirum regis nomine, aſſumptoque protectoris, quo ipſe eſſet protectior ab omni invidia atque odio. Cujus filii *Richardi* imperio, quod perbreve fuit, ac non ut patris ita induſtria gerebatur, neque ea procuratione moderabatur, ut neque auctoritas ejus amorem, neque gravitatem gratia populi minueret, res Quakerorum ſe indies multo pejus habere incipiebant, dum altrinſecus & illi majore audacia, & hi, qui ipſis adverſabantur, atrocitate majori abriperentur. Quum vero utriuſque rei complura exempla extent, eaque memorabilia, tamen quia ſatietas vitanda, quam ipſe prope ſentio obrepere, rem paucis expediam.

am. Cum inter Quakeros ubique plures quam antea reperiebantur blaterones improvidi effrænesque, etiam in templis, etiam mediis concionibus noſtrorum, item alii homines, ita animati ac parati, ut qui nil conſiderate agerent, atque illi ob illa multo ſeverius punirentur, præſertim in tractu Cambriæ ac Penbrochii, Londini quidam *Salomon Eccles*, vir expers, non quidem mentis, at pudoris ac metus omnis, tale facinus incipit, quod permirum quemadmodum ipſe Quakerus ille voluerit mandare memoriæ, & extra dubitationem ponere, & inſuper eodem iſto libello defendere, atque adeo oſtendere, fingi facinus nullum potuiſſe adeo ſtultum ac temerarium, quod non aliqui ſaltem committerent, & non ut opus rectum & laudabile commendarent, commiſſum erga eos, de quorum adverſus ſeſe injuriis & levitatibus tantopere querebantur. Repetam rem paulo altius. Is vir muſicus erat inſignis voce & manu, doctus ſcientiam atque artem hanc à patre atque avo, eaque vitam ſuam & ſuorum laute ac genialiter ſuſtentans. Credebatur poſſe quotannis, tum inſtruendo alios, tum ſua ipſius actione luſoria, lucrari etiam ducena pondo Sterlingiana. Venit ei in animum mutare vitæ genus hoc, atque in Quakerorum tranſire ſocietatem, ac aliam vitæ conditionem experiri. Sic primo libros & inſtrumenta muſica omnia magno pretio vendit, tanquam ſibi nunc inutilia & noxia, Dein cogitans, quod ſibi, idem

&

& alii, poſſe eſſe malo, neque oportere, ſiquidem cavere poſſet, id ſui commodi cauſa permittere alicui abutendum, quicquid vendiderat, ab his quibus vendiderat, rurſus non minori pretio emit, redemta colligit in unum, pergitque in vicum urbis Londini, cui nomen Towrhil, & exſtructa incenſaque pyra die medio, aſpectantibus compluribus hominibus, operoſa ac pretioſa hæc inſtrumenta omnia, & libros, ceu oblectamenta deſidiæ, & laſciviæ illectamenta & ſtimulos libidinum, ſimul in incendium mittit atque comburit, jubetque omnes exemplum ſumere ex ſe, qui cunctas tales artes vanas atque prophanas fugiant atque execrentur. Hujus viri tantus fervor erat pro ſua religione nova, tantus ardor animi ſive iracundia adverſus religionem publicam, ut ſe temperare non poſſet, quin ad omne novum & audax & temerarium facinus veniret. Cujus rei exemplum præ cæteris memorabile hoc erat. Convenerant noſtri in templum, quod eſt in vico, cui nomen Aldermanbury, ad concelebrandum tempus Cœnæ Dominicæ. Illic homo ille inſtruit ſe ſacculo repleto opere ſutorio, uti jam è muſico factus erat ſutor & ex parte ſartor, eo fine, ut adiret templum hoc, atque illic in frequentia hominum, antequam præco aſcenderet pulpitum, ſui ſutoris aliquid ageret. Sic ne removeretur, bene tempori furtim ingreditur templum, & ſe alicubi occulit. Dein tempore cantus proripit ſe ac proquinque accedit ad menſam, hæ-

hæretque capite inaperto, circumſpiciens, qui aſcendat in pulpitum. Verum cum viam non inveniret, proponit cum ſuo animo conſcendere in menſam cœnaticam, ac ſuper ea opus ſuum facere. At cum hic quoque ei impedimento eſſet corona & circumſeſſio hominum, & ille interea diligentiſſime omnia conſideraret, toto tempore opertus capite, cum omnes ſe inter cantandum continuiſſent, nonnulli finita cantione ei galerum demunt de capite, atque tradunt in manus. Is denuo imponit in caput. Alius rurſus detrahit, involando in capillos. Advenit officialis, & hominem factioſum, uſque adeo religionis jura violantem, tamen placide abducit. Is credens ac certo ſtatuens, Dei Spiritum hoc quod meditabatur ac machinabatur velle, atque eum in hanc operam impellere, quum die hoc res non accideret, die dominica ſequenti redit, plenus divina ac cœleſti, ut putabat, animatione, & cum jam prope adeſſet, quum verbi miniſter aſcenderet in ſuggeſtum, ſuggreditur, ac veluti ſtimulatus furore, per populi ſubſellia præceps ruit, ac non ſegnius ſcandit ſuggeſtum, & ſua ſutoria producit inſtrumenta, & ſuere aliquid incipit. Súccedit vir fortis ac ſtrenuus, ac belluam è loco ſuperiore deturbat. Ubi ille pro ſua ſuavitate à multis exceptus, ſic tamen renititur conaturque denuo in eundem locum conſcendere, donec è templo expulſus, inter plurimas inſultationes puerorum, neque intacto corpore, ad

præ-

præfectum urbis perducitur, qui hominem, velut ejuſmodi facinorum inſtrumentum ac documentum, accitum non è fæce hominum, ſed ex hara, atque ad illam natum, in iſtiuſmodi locum, atque ut uſura lucis indignum, ibidem in vincula atque in tenebras rapi jubet. Plura de viro hoc dicam loco alio. Jam cum in eadem urbe *Londinenſi*, & paſſim alibi, conventus Quakerorum & vetarentur ſemper & ſemper retinerentur, ut fieri ſolet cum iſtiuſmodi conventiculis, non ſemel milites cum comitatu proximorum vicinorum, quorum alias in Anglia vulgo arctior copulatio & adhæſio, irrumpere in ædes Quakerorum, etiam cum religioſe ac ſine fraude adeſſent, & alios capere atque abducere, alios deſpoliare veſtimentis, alios trudere, tundere, arreptis crinibus trahere, quoſdam ita afficere, ut videretur de iis eſſe actum. *Sabridvorti* in Herefordia multi viri conjuncte cum copia puerorum bis in ædes Quakerorum, dum tranquille ſuis intenti ſunt exercitiis, incurſionem faciunt, & verborum turpitudini rerum adhibent obſcœnitatem ac nequitiam omnem, ſcilicet feneſtras, poſtes, parietes effringunt, capiunt homines, petunt lapidibus, ovis ſterilibus ac putidis, ſordibus, etiam iis humanis excrementis, quæ ipſorum hominum non modo tactus ſed viſus quoque refugit, & eoſdem ſpoliant, & lacerant, & ſcindunt veſtes, atque aliis modis affligunt. Et cum Quakeri hæc deferebant ac plana faciebant judicibus, querebant-

Digitized by Google

bantur, nullos ex iis inſectatoribus eſſe, qui vel appellarentur, nedum in quibus ſtatueretur exemplum. Talia quotidie cernere erat non in aliquibus, verum in omnibus provinciis. Atqui dum hæc fiunt, homines hi, rati ſe fruſtra conqueri de ſuis calamitatibus apud magiſtratus inferiores, ipſum ſupremum conſeſſum totius reip. ſupplices adeunt, ac ſuis libellis oſtendunt, ſex proximis annis per univerſam Angliam amplius mille & nongentos de ſuæ ſocietatis hominibus carceribus fuiſſe incluſos, & anno hoc adhucdum contineri in iis centum & quadraginta, & obiiſſe mortem in illis unum & viginti, additis ſingulorum nominibus, & locis, in quibus patiebantur, & cauſis, ob quas unumquodque patiebantur. In qua demonſtratione tamen illi ſane non negligebant artem accuſatoriam, tum reticendo mala ac delicta graviora, quæ multos in ea loca anguſta adduxerant, tum multa mala leviora, quæ illi pertulerant, nimis crepando & exaggerando, & ſæpe levem attritum & punctiunculam & livorem pro graviſſimo cruciatu ac vulnere cruento capiendo & amplificando. Quæ res duæ & in pleriſque monumentis, quæ illi homines de ſuis moleſtiis reliquerunt, mihi bene videntur eſſe obſervandæ. Neque velim profecto autores hos tam ſæpe ſcribere de ſuis, ita illos à ſuis adverſariis affectos fuiſſe, ut pro ſemimortuis relinquerentur, ſiquidem nullum poſſint exemplum allegare mortui alicujus eo momento, aut brevi intervallo poſt, & cum omnes

omnes etiam tunc, quum ſe optime habent, videantur ſemivivi atque ſine ſenſibus eſſe. neque hoc, illos totiens adeo laxe & ambigue loqui, atque iis formulis uti, ad quas lites ac cauſæ ſuæ accommodentur, quas ipſi quoque intelligunt magis facti juriſque eſſe tendiculas ac laqueos, & quas Georg. Foxus in hujuſmodi caſibus ſolet appellare monſtra ingentia, quorum os tam late patet atque infernus. Multo maximum communitatis atque communionis ſignum eſt, ſociorum infortunium non alienum à ſe habere, & ipſorum calamitates perferre ut ſuas. Atqui cum tempore hoc de numero Quakerorum incluſorum carceribus, alii propter languorem membrorum non perinde atque vellent, mente conſtarent, alii graviter ægrotarent, ac proinde & ſpiritu non parum debilitarentur, poſtquam ea res cognita inter omnes Quakeros, quiſque non tam ſe, quam alterum, aut univerſam ſocietatem reſpicere ac curare cœpit, adeoque ſinguli ſe offerre, ut ſi liceret, ſuos infirmos & ægrotos ſocios & amicos illo tetrico loco redimerent, illorumque in ſe captivitatem traducerent. Hoc propoſito uno tempore centum & ſexaginta quatuor ex illis viris, ultro, nullius oratione evocati, cuncti ſimul adeunt Parlementum, exhibentque ea de re libellum ſupplicem hunc, dictatum à Georgio Foxo (qui tamen inter vades hos non erat) hoc ſtylo rudi, multis nequicquam ei circa id reclamantibus, & emendationem in aliquibus ſententiis & verbis de-

deſiderantibus (id mihi à quodam primario viro, qui erat unus de illis conſponſoribus, relatum) & poſtquam deſcriptus eſſet ex ejus ore, ſubſcriptum ſingulorum nominibus. *Amici, vos qui Parlementum hujus nationis appellamini, nos ex amore erga fratres noſtros, qui ſunt in carceribus, & ergaſtulis, & vinculis ferreis, cæſos truculenter à ſævis lictoribus, & multatos ad mortem, & in captivitatibus illis demortuos, cum jam multi ægro corpore jacent in ſtramine, vobis damus noſtra & noſmet ipſos, ut includatis nos velut oves in illorum fratrum carceres & ergaſtula & ſtramenta & cloacas, & ſumus parati tanquam hoſtiæ ipſorum ſubire loca, ex amore erga ipſos, neque enim quimus omittere, quin noſtram pro fratribus noſtris deponamus vitam, & ſuſcipiamus in nos cruciatus, quos vos illis paraviſtis, neque poſſumus non, ubi fratres noſtri patiuntur, eadem ipſi ſentire, quemadmodum & Chriſtus dixit, ſe pati atque affligi. Et hic quidem amor noſter erga Deum, & Chriſtum, & noſtros fratres, quem & illis & inimicis noſtris debemus nos, qui & veſtrarum animarum, & veſtræ æternæ ſalutis ſumus amatores. Quod ſi recipitis corpora noſtra quæ vobis offerimus pro fratribus, propterea captivis, quod veritatem variis in locis prædicaverunt, quod decimas non dederunt, quod in timore Dei coïerunt inter ſe, quod non juraverunt, quod perſtiterunt pileati, quod ut vagabundi fuerunt habiti, cum ad ſuos inviſerent amicos, & quæ his ſimilia, nos infra ſcripti veſtrum reſponſum in aula magna Weſtmonaſterienſi præſtolamur, ea fine, ut huic noſtro ſtudio ſatis-*

ſatisfaciamus, noſtrumque erga amicos noſtros amorem patefaciamus, & imminentem inimicis noſtris vindictam atque judicium arceamus. Abnuit quidem petitioni huic Parlementum. verum cum hi homines tantopere miſericordia & commotione ob ſuorum res adverſas tangerentur, & tam leni ſenſu tantorum malorum ac cruciatuum afficerentur, illud ea re magis effectum eſt, ut alii homines, videntes tantam inter eos animorum conjunctionem, tantamque in perferendis quibuslibet ærumnis animoſitatem atque conſtantiam, benignius de iis judicarent, atque indies complures in ipſorum familiam ac ſocietatem tranſirent. Cæterum quod hi petitores deprecatoreſque miſeriarum ac periculorum ſuorum in hoc ſuo ſupplici libello querebantur Parlemento, ut & in eo, quem paulo ſuperius nominavi, de ſuis fratribus, eorum tam multos incluſos teneri in carceribus, & quoſdam adeo prave ac duriter fuiſſe tractatos, nonnullos ex ſuppliciorum tædio aut magnitudine periiſſe, id adeo verum erat, uti vix ullibi eſſent communes carceres atque ejuſmodi loca, in quibus rei aut noxii ſervabantur, quæ non illas illorum hominum de ſe querelas quam apertiſſime atteſtarentur. Jam reliquo tempore anni ſequentis ſexageſimi uſque ad reductionem regis Caroli II. haut melior ſors horum hominum. Quippe per id tempus in variis provintiis milites, ſuorum ducum veſtigia ſequentes, ædes hominum horum, dum illi ſuos celebrabant conventus, ir-

Digitized by Google

rumpunt, & ſclopis ac gladiis homines expellunt, alicubi ſclopos in eos exonerantes, & eos vulnerantes, aut manibus ac calcibus extrudunt, aut extrahunt crinibus, & nonnunquam ædibus extractos propellunt in aquas. Interdum ſoli milites veniebant, & rogati in cauſa autoritatem ſive mandatum, ac reſpondentes, habere ſe id reconditum in vagina, in eos impetum faciebant, eoſque violabant, ac cuncta diripiebant, aut auferebant ac in ſuas res convertebant. tametſi ſæpe parum erat, quod effractores hi diviſoreſque reportabant, dum non ſolum non locupletiorum copiis rerum familiarium, ſed neque eorum bonis abſtinebant, qui quod ſuum eſſet nil aliud habebant, quam quod quotidiano uſui ad corporis ſuſtentationem neceſſarium erat. In academia *Cantabrigienſi* ſtudioſi nondum ſatis omni petulantia & acerbitate in Quakeros exultaverant. Ergo hoc tempore illi veterem ſuam licentiam & libidinem & impudentiam repetunt, & non ſoli, at juncti cum plebe atque infima multitudine, parata ad omne facinus immanis audaciæ, pluribus, at præcipue ternis vicibus, in Quakerorum cœtus irruunt & impetum faciunt, poſtquam ingentibus malleis ſeras atque oſtia effregerant, & omnia pultando manibus pedibuſque confringunt, & homines alios terrore abigunt, alios tractant turpiter, & cœnum atque ejuſmodi immunditiem infarciunt in os, alios cædunt fuſtibus, ſcindunt veſtibus, pungunt, ſauciant, ut ſanguis profluerct,

flueret, cultris, alios capillis crudeliter extrahunt, extractoſque immittunt & immergunt in foſſas & cloacas platearum. Neque illi aliquibus parcebant, non ætati, non ſexui, non ordini virorum. Ita enim ſuperveniente ſecunda vice viro conſulari, ut eos ab iſthoc opere impediat, illi virum hunc proturbant in aquagium viarum, ſic non viro ſed ordini illudentes. Ita poſtrema vice quodam è judicibus pacificatoribus dehortante, ne id agerent, nomine regis (quoniam rex paucos dies ante publice erat renuntiatus) & etiam aliis adſtantibus, & ab ea re avocantibus, illi nihilominus pergunt. Porro etiam hoc tempore multi ex hiſce hominibus juſſu magiſtratuum rapti è conventiculis, & incluſi carceribus, & cæſi flagellis, ejectique in exilium, ut homines pravi ac vagabundi, à quibus civitatibus præſens periculum putabant comparari. Interea milites, qui ſic ubique in præſidiis erant collocati, aut paſſim vagabantur, ut Quakeri nuſquam non quaſi in ipſorum caſtris verſarentur, pro libidine ita in hos homines graſſabantur, ut nullius perſona, neque domus, neque res ulla tutæ eſſent, non adeo ſeptæ ac munitæ, ut non illorum rabiei ac prædæ cederent. Et querebantur Quakeri non minus quam de militibus, de ipſorum præfectis, quod hi ejuſmodi inſolentiam ac ſcelus ſuorum non inhiberent ac caſtigarent. Querebanturque illi cumprimis de præfecto *Lamberto*, quem & ſuæ genti maxime prædicabant eſſe inimicum.

Digitized by Google

Quem virum tamen nos aliquot annis poſt, quum in comitatu viri illuſtris inviſeremus ad hunc virum, detentum tunc in quadam arce in provintia Devoniæ, non adeo alienum à ſecta Quakerorum & iſtiuſmodi hominum deprehendimus. Scripſerant adverſus Quakeros atque ediderant ſuos libros ac libellos uſque in hoc tempus omne virorum genus, doctique & indocti. Hos omnes, numero centum & quindecim, Foxus anno quinquageſimo nono colligebat in unum, & uno libro ordine, partim refutabat, partim, ut quidam non valde ſerio erant ſcripti, viciſſim eludebat. Eodem tempore Quakeri edebant libellum, in quo libello referebant, quid ſinguli miniſtri eccleſiarum publicarum per totam Angliam in ſingulos ſuæ ſocietatis homines commiſiſſent, quemadmodum ipſi ſuas manus illis injeciſſent, expreſſo uniuſcujuſque nomine & cognomine. Quo tempore G. *Monkius* ſupremus præfectus militiæ Britanniarum finem huic moleſtiæ adferebat edicto hoc, ne quis Quakeros ulla injuria afficeret, ſi illi nihil mali facerent adverſus rem publicam. Dixi de hominum horum inſecutionibus & afflictationibus in Anglia, ac protuli varia uniuſcujuſque de ipſorum infeſtationibus generis exempla. Jam in *Scotia* hi Quakeri, uti & hic ubicunque eſſent, ſe oſtendebant eſſe, in publicis hominum congreſſibus, in foris, in templis, & in templis aut ante, aut inter, aut poſt ſolennes conciones ac preces, ſæpe valde erant importuni

portuni ac moleſti, neque ſolum confundebant dicentes audienteſque, atque ita non ſatis habebant, ſe inter ſe congregare ad ſuam exercendam religionem, ita totiens quotiens capiebantur, & culpam deprehenſam non deprecabantur, iiſdem modis atque in Anglia excipiebantur, multis, carceribus, flagris, exiliis. Id ſingulare ac mirum in regione ac gente hac. Glaſquii in Synodo generali conſcribebatur lex, ne ullus Quakerus ab ullo Reformatæ eccleſiæ membro aleretur ſuſtentareturque, & ut nemo quicquam cum illis commercii haberet, aut eorum pro ſe labore atque opera uteretur, vel iis ſuum laborem atque operam impenderet, niſi pœnam excommunicationis vellet incurrere, ut hoc pacto miſeri homines aut alias, ac incertas ſedes quærere, aut in ſumma inopia elanguere cogerentur. Qua lege, quam Quakeri clamitabant nequaquam Chriſtiana ratione, at ritu barbarico & incitata crudelitate conſtitutam eſſe, cum res illorum mortalium in extremum viderentur adductæ periculum, illi nihilominus ita difficultates has eluctabantur, ut etiam quotidie magis magiſque augeſcerent. Neque ſilentio tranſeundum, tranſiiſſe quoque tempore hoc ad Quakeros duos viros illos, Johannem Swintonnum, & Davidem Barclajum, qui quod ambo primum inter Scotos omnes, dein inter Quakeros, admodum fuere clari ac celebres, neque id poſſum præterire, quin heic parumper conſiſtam. Erat *Johannes Swintonnus* genere præ-

 ſtanti

ſtanti ac inprimis bene de re publica merito, ſuum nomen hoc gerens à loco cujus erat dominus. Quum rex Carolus II. fugatus ab Anglis, à Scotis reciperetur coronareturque, poſtquam videlicet ſancte adjuraſſet, ſe conventum Scotorum eccleſiaſticum conſervaturum, Swintonnus hic membrum erat concilii generalis eccleſiarum, & item Parlementi Scotiæ. Cum vero rex ſuam deinde fidem mutaret, & functionem ac regimen epiſcoporum conaretur introducere, atque jam utraque gens bello inter ſe inteſtino ac fatali flagraret, & in Parlemento patres conſcripti deliberarent, quid de rege facerent, Swintonnus ſe ejus ſententiæ dicebat eſſe, ut ab amicitia regis recederent, & concordiam ac pacem inirent cum Anglis. Qua oratione Swintonnus videns ſe cunctorum animos perquam offendiſſe, ac ſibi metuens, ſe è ſenatu ſubducit, fugitque feſtine ad ſuam poſſeſſionem rureſtrem, quam habebat non procul confinibus Angliæ, & aſtu facit, ut incidat in militum Anglorum manus. Hi ducunt Londinum. Superantibus Scotos Anglis Anglorum proceres virum, ſuæ eccleſiæ ac patriæ fidelem, cum aliis præficiunt rerum Scotiæ rectioni. Dum autem Swintonnus moratur Londini, etiam cum Quakeris notitiam ac familiaritatem, ac poſt ſocietatem contrahit. Reducto reſtitutoque rege, Swintonnus, qui tum erat Londini, etſi non erat neſcius, quantopere rex ſibi infenſus eſſet, tamen Londini remanet, fretus ſua con-

ſcientia, quod nullo erga regem odio privato rei communis ſuſceptum munus expleviſſet. Illic rex jubet eum capi & abduci in Scotiam, eo fine, ut pœnam mortis luat. Productus ad Parlementum, data ſui defendendi copia, ità ſuam cauſam agit, atque cuncti ſenatus iram ac ferociam ſua eloquentia frangit, ut ipſum noxæ capitis eximant, ac ſolum arcem Edenburgi loco cuſtodiæ habitandam decernant. Qua in cuſtodia manſit aliquot annos. *David Barclajus* fuit nobilis Scotus, ex antiquo & illuſtri ſtemmate Barkelejorum, de quibus non ſolum illorum virorum de ſe ipſorum oratio, verum etiam aliorum de iis aſſeveratio eſt, eos non modo adeo nobili magnaque & vetere progenie fuiſſe, ſed etiam ipſum regem cognatione attingere. Hic ſuam habens nobilitatem non velamentum inertiæ atque otii à labore, ſed fomitem & incitamentum induſtriæ ac virtutis, cum ſe à pueritia ingenuarum artium ac diſciplinarum exercitationi dediſſet, atque in rebus ſuæ patriæ dubiis ſuis ſtudiis locum non reperiret, abiit militatum in Germaniam, atque in Suecorum exercitu ſtatim primi ordinis centurio, mox tribunus legionis evadit. Poſtea vero quam Angli ſuum in Scotiam imperium propagaviſſent, ipſe redit in patriam, eique regendæ cum Swintonno aliiſque optimatibus præficitur, arceſſiturque Londinum, uti in Parlemento feriendo ſtabiliendoque fœderi utriuſque regni intereſſet. Poſtmodum, ubi Carolus reſtitutus regno, in

arce Edenburgi ſocius datus captivitatis ſuo veteri amico Swintonno, non multo poſt ejuſdem ſe Quakerorum ſectæ comitem Swintonno dedit. Hic David Barclajus pater Roberti Barclaji, illius in tanta ſcriptorum Quakerorum turba Latini, ſi non unius, at memoratiſſimi. In *Hibernia* antecurſores *Howgil* atque *Burrougius* mandato Henrici Cromwelli, Deputati (ita tum Angli vocabant quem alias vocant proregem) Corcagia navi erant remiſſi in Angliam. Et cum poſt illorum diſceſſum *Ameſius* ea in urbe id munus ſuſcepiſſet, is ibidem conjicitur in carcerem. unde liberatus, cum in publico templo palam in concionatorem eſſet locutus, iterum in eundem locum compingitur. E quo loco quum ad tribunum militiæ eundemque gubernatorem iſtius urbis Henricum Ingolsbæum, cujus erat miles, ſcriberet, & defenſionis rationem viamque libertatis tentaret, ipſe quidem coram adductus eſt, verum confeſtim ac ſine mora, in conſpectu omnium, militari inter nonnullos conſuetudine, ipſius tribuni manibus, propterea quod ante alios ab ejuſmodi conatu debuiſſet prohibere, quam ipſe committere, ita arripiebatur trudebaturque, ut mitteret ſanguinem, ac tunc recondebatur in priſtinum carcerem, religatus collo ac pedibus. Cæterum cum plures è commilitonibus Ameſii, item milites alii, paulatim ad eandem ſectam Quakerorum tranſirent, eorum plurimi quaſi inito conſilio ac opera conſtituta, perpetim in concioni-

bus

Digitized by

bus publicis docentibus, aut orantibus, vel interloquebantur, vel intremiſcebant, vel aliquid ineptum ac frivolum oſtentabant. Id exemplum ſequebantur multi alii, cum mares, tum fœminæ. Quare identidem alii poſt alios multati pecunia, pulſi in carceres, locis in quibus agebant expulſi, quidam flagris ſevere, ſeveriſſime milites, cæſi, donec anno ſexto & quinquageſimo gubernator Ingolsbæus omnibus edicit, ne aliquis quem hominem Quakerum recipiat intra ſuos parietes, indicta pœna, uti, ſi quis contra faceret, privaretur civitate. Fruſtra. Sic quidam fugati. Sed & ſic tamen numerus illorum accreſcebat. Et ſic ſenſim ſuos cœtus agebant. Mittebantur qui ædes effringebant, & cunctos diſturbabant. Alii multis, alii exilio condemnati. Atqui hi nihilominus etiam atque etiam augeſcebant. Id accidit Limerici, id Corcagiæ, id Waterfordiæ, Kingſalæ, Bandonii, aliiſque in locis. Atque ita quidem ſecta hæc Quakerorum circa ſuum ortum ac progreſſum temporibus reip. Britannicæ ſub duobus protectoribus Cromwellis luctata cum magna afflictione ſuorum inimicorum, & maximo diſcrimine ſuæ gentis ac religionis.

Digitized by Google

GERARDI CROESI
HISTORIÆ QUAKERIANÆ
LIBER SECUNDUS.

Argumentum Libri.

Quakerorum ſtudium cum adventu regis Caroli. G. Keithus. R. Barclajus. Quakerorum de rege ſpes inanis. Juramentum fidelitatis laqueus inexplicabilis his hominibus. Item decimæ. Ergaſtulariorum in eos ſævitia. Exempla. Regis & magnatum qualis erga eos affectus. Foxi junioris epiſtola ad regem. Foxi liber Polyglottus de pronomine Tu. Edicta varia adverſus Quakeros. Hinc varia afflictio. Mortui in carceribus Hubberthornus, Burrougius, Howgil. Suſpicio vana, Quakeros Papiſmum fovere. Perſecutio Londini. Priſcillæ Moſolææ caſus. Quakerorum exequiæ. Colceſtrienſis perſecutio. Conſilium de tranſducendis Qua-

Digitized by

Quakeris in inſulas Americanas. Acta de eo in variis comitiis. Damnatorum pœna hac varii & mirabiles caſus & eventus. Forum eccleſiaſticum. De excommunicato capiendo inſtitutum. Severa exempla propter negatas decimas. Fisheri in carcere obitus. Foxi triennis captivitas. Cujuſdam Quakeri vaticinium de incendio Londini. Quakerorum in Scotia atque Hibernia afflictio. Keithi de Chriſto in homine doctrina. Helmondi de animarum revolutione, rejecta à Quakeris. Guilj. Penni acceſſio ad Quakeros. Ejus copioſa deſcriptio. Ejuſdem ſingulare dogma de tolerantia religionum omnium. Quakerorum ſtatus eccleſiaſticus. Ordo miniſtrorum. Miniſtrorum inter ſe congreſſiones. Synodi. Liturgia ſeu exercitia ſacra. Diem dominicam ut obſervant. Illorum querela de ſtudio theologico Proteſtantium. De linguarum ac philoſophiæ notitia opinio. De ſalario miniſtrorum verbi. Quæ apud eos miniſtrorum vocatio. Diſciplina illorum. Solennitas in contrahendis matrimoniis. Keithi captivitas. Penni captivitas Londini. Salomonis Eccleſi novæ ineptiæ ac dementiæ in diverſis locis. Foxi matrimonium. Magna perſecutio Quakerorum per Angliam, ſumma cum fœditate conjuncta. Grenii caſus. Pennus denuo, cum eoque Madus, traditi Londini in cuſtodiam. actio in eos forenſis. Oratio Penni ad judices. Gravis perſecutio in Suthrionia. Notabilis ardor hominum in ſuis celebrandis cœtibus. Brevis perſecutionis tranquillitas. G. Foxus tranſit in Americam Anglicanam. Ejus captivitas in Vigornia &

acta

acta eo tempore. Scribit varias epiſtolas, magis operoſe quam utiliter. Colloquium inter Quakeros & Baptiſtas. R. Barclaji Apologia Chriſtianæ Theologiæ varie excepta. Quietiſtarum & Quakerorum collatio. Multiplex Quakerorum perſecutio in Anglia. In Scotia oppugnatio. Cuncta opprobria in doctrinam ac vitam Quakerorum. Perſecutio Briſtollienſis. Londinenſis. Quakerorum res ſub rege Jacobo. G. Penni erga Quakeros diligentia. Res Quakerorum ſub rege Guiljelmo. Penni caſus. Immunitas & libertas data Quakeris à Parlemento. Penni novi caſus. Foxi obitus. Ejus liber ingens ab eo conſcriptus. Deſcriptio Foxi. Quakerorum permagnum inter ſe diſſidium. Illorum præſens ſtatus.

DEduxi Quakerorum hiſtoriam in tempus regis Caroli II. Cujus regis imperio, & quidem initio principatus, ut magna mutatio accidit, non ſolum in ſtatu politico, abrogato ac ſublato è medio quicquid regiæ poteſtati ac decori obſtiterat, aut poterat etiamdum offendere, ſed etiam in conſtitutione eccleſiaſtica, ſublata æqualitate conjunctioneque, quæ inter fratres & ſocios & diſcipulos Chriſti debebat eſſe, dum regimen ad paucos, atque idem fere ad regium accederet, ita inter eos, quibus non nomen & autoritas & ſplendor regis diſplicebant, verum converſio illa eccleſiaſtica, non parva commotio extitit, non levis cura ac diligentia, non modo

Digitized by Google

modo ut ſuas eccleſias, illarumque inſtituta & ordines, tuerentur, neve aliunde aliquid detrimenti acciperent, at quoque ut eadem omnia, quibus aſſueverant, magis ab adverſariorum invidia vindicarent, & confirmarent, & expolirent, & aliis commendarent. Itaque etiam ſtudium & incœptum hoc videre erat inter cunctos, qui cum ab iſthoc faſtigio religionis, tum ab ipſa religione publica, diſcedebant. Atqui pari modo & Georgius Foxus, & ipſius collegæ, & omnes de gregalibus illis, quiſque pro loco & gradu cujuſque, diligenter ac gnaviter in hæc negotia incumbebant. Quamobrem Foxus quidem modo ſolito in *Anglia* pergebat, peregrinando, ſuos viſitando, concionando inter eos, at non item in publicarum eccleſiarum templis, in foris, in viis, ſermocinando, atque illic homines commovendo. Et cum antea multa cupidius quam felicius incœptaſſet, dehinc diligenter animadvertebat, quibus ſe locis ac perſonis committeret, à quibus caveret, & quum deprehenderet, eſſe qui ipſi inſidiabantur, & cogitabant rapere in carcerem, jam properabat evadere. Quin ſuis quoque libellis & epiſtolis ſuos monebat, uti omnes æque ſtuderent ac conniterentur, ne quid contra autoritatem regis ac communis facerent, neve quicquam vitare quod poſſent admitterent. Adhæc pergebat Foxus ſcribere multa, etiam contra adverſarios, ſed ita ut non tam quid ſentiret, verum quid, & quo loco

ſcriberet

ſcriberet, probe attenderet. Quo in genere vitæ Foxus ita deinceps egit ad extremum ſuæ vitæ, ut ejus actiones omnes, medii atque ultimi temporis, principio fere perſimiles exſtiterint, & ut mihi ſupervacaneum putem, porro pluribus verbis de Foxo loqui in hoc opere, niſi ſi quid omnino novum ac mirum occurrat. Atque ad hunc modum Quakeri prope omnes inter ſuos adverſarios jam cautius & circumſpectius ſe gerere, neque tam frequenter & aſſidue in locis publicis ac templis aliorum interſtrepere, neque in hominum concurſu illas ineptias agere, & fundere ridicularia, neque adducti ad magiſtratum tam inurbane & verbis inverſis aut ambiguis & interciſis loqui, neque rogati, quod eſſet eorum nomen, cujates eſſent, ubi degerent, reſpondere judicibus, eſſe ſua nomina ignota mundo, ſe è terra Canaan eſſe, vivere ſe in Deo. Adeo ſicuti temporum, ita & morum vices ſunt. Imo ita ab hoc tempore homines hi in Anglia ſcribere atque edere, non ſolum libellos, at libros, in quibus non late tantum diffuſeque, ſed curioſe & diſtincte ſuarum rerum capita tractabant, & in iis diſputare, primum quidem contra eminentium Epiſcopalium, dein etiam adverſus aliorum diſſentientium ſibi inviſa dogmata ac præcepta, idque concinna diſpoſitione argumentorum, neque modo vitiligando, verum ſingulis ſe accommodando propoſitionibus, in arcemque cauſarum invadendo, & inſigni artificio ad ſuum propoſitum finem perveniendi,

neque

Digitized by Google

neque ea, quæ ipſi docebant ſentiebantque, proferre ratione duntaxat rudi & impedita, verum clare & aperte, & eadem copioſe explicare & ſtrenue defendere. In quo genere maxime deſudabat, ac inter præcipuos doctores omnium ornamenti inſtar erat *Samuel Fisherus*. Adhæc quidam non vereri cum parte adverſa, & quando uſus veniret, cum ipſis miniſtris eccleſiæ publicæ, de ſuis aut illorum doctrinis ac rebus agere, & venire in colloquium aut diſputationem. Cujuſmodi *diſputatio* hoc ipſo primo anno habita *Herefordiæ*, inter duos urbicos eccleſiaſtas, & tres concionatores Quakeros, Howgilem, Burrougium, & Crocium. Quare ab hoc tempore gens hæc Quakerorum ſenſim ac pedetentim magis magiſque cœpit conſiſtere, & incrementum ac robur acquirere, & inter diſcrepantes in Chriſtianiſmo ſectas numerari tractarique. Eodem modo comparatum fuit cum his hominibus in *Scotia*, niſi quod illic res hæ tardius proceſſerunt, uſque ad acceſſum duorum virorum, ingenti in hac gente tota Quakerorum fama celebrium, *Georgii Keithi*, & *Roberti Barclaji*, quorum ſane induſtria & diligentia atque opera Quakerorum univerſa doctrina, præcipueque præcipua dogmata & principia ac fundamenta plurimum ſunt illuſtrata confirmataque. Et quoniam horum virorum nomina primum hoc in loco occurrunt, ac poſtea non uno in loco nova eorundem fiet mentio, qui viri ſint, his quibus id ignotum, paucis aperiendum. Ergo ambo fuere

fuere Scoti. nam ita ex iis unus tantum ſupereſt Keithus, Barclajus obiit diem. *Georgius Keithus*, religionis ante reformatæ, ſtudioſus erat Philoſophiæ ac Theologiæ. in quibus ſtudiis tantum proficiebat, ut primum artium liberalium magiſter renuntiaretur, ac cumprimis haberetur bonus mathematicus, deinde vero in quadam nobili familia ſacellanus ſeu verbi divini miniſter cooptaretur. Quum autem ſemper novi aliquid inquirendi diſcendique deſiderio duceretur, & incideret in hos noviſſimos ſectatores, brevi illorum amplectitur doctrinam, & ad primos pervenit cultores & antiſtites illorum ſacrorum. Hic poſt varios labores, & multos errores & anfractus itinerum, tandem abiit in Americæ regionem, quam ab illius poſſeſſore vocant Penſylvaniam, atque illic in ſuorum eccleſia & ſchola Latina Philadelphienſi doctoris munus adit. *Robertus Barclajus* fuit nobilis Scotus, filius Davidis Barclaji, illius viri, cujus libro præcedente extremo mentionem feci. Eum pater miſerat Pariſiorum ad urbem atque omnis Galliæ caput Lutetiam, ut inter nobili genere natos ſe pari dignitate diſciplinaque exerceret. Erat autem filio huic ea in urbe avunculus, præpoſitus collegio Scotorum papali. Ad quem cum Barclajus ſuum applicaret animum, brevi è Reformato fit pontificius. Quo cognito pater illum revocat domum, atque ut ipſe interea temporis factus erat Quakerus, etiam filium ſtudet in eandem religionem inducere. Is cum patri in

nulla

nulla re alia deëſſet, negat ſe in tali ac tanta re dicto patris audientem eſſe poſſe. Cum vero non multo poſt accederet ad cœtum quendam Quakerorum, repente totus permovetur, totuſque fit illarum partium, annum agens ætatis decimum octavum, atque exinde magna ſuæ vitæ parte veluti legati Quakerorum de maximis illorum rebus munere functus eſt. Fertur hujus quoque proſapiæ ipſiuſque ſeriei fuiſſe Johannem Barclajum, illum ſcriptorem heroicum atque ſatyricum, cujus ſatis eſt nomen nominaſſe. Scripſit Keithus Anglice multa opuſcula, in quibus has illas ſuorum doctrinæ partes principales, quas Foxus & alii nondum ſatis diſtincte conceperant, neque tam concinne ac perite propoſuerant, clare docet, explicat, adſtruit, vindicat ab objectionibus & exceptionibus adverſariorum, quas deinde reliqui omnes Quakeri avide arripuerunt, & aſciſci atque aſcribi in dogmata Quakerorum voluerunt, exceptis duobus tribuſve articulis, quos ei ut ejus proprios reliquerunt. Sane ita quidem is rudimenta illa de ſemine ac lumine interno, de revelatione immediata, de Chriſti Jeſu æterna & divina & ſpirituali filiatione (ſic loquuntur omnes Theologi, non ſolum Quakeri, quoties Latina verba deficiunt) & humanitate, & illius ut ſeminis ac luminis præſentia, ſeu exiſtentia, & manifeſtatione & omni operatione in hominibus, uſque adhuc aut abdita, aut valde obſcure tradita, primus omnium eruditius

N do-

docuit & exornavit & abſolvit. Barclajus ſe contulit ad ſcribendum longo intervallo poſt Keithum. Et exiit tandem ab eo opus ſatis magnum, ſcriptum Latine, cui nomen, Theologiæ vere Chriſtianæ Apologia, Carolo II. magnæ Britanniæ regi oblata, liber valde laudatus ab iis hominibus, & pervulgatus inter omnes curioſos ſcriptorum illorum hominum, de quo libro alias ſpecialiter dicam. Adeo doctrina ac religio Quakerorum ſuum Angliæ ortum atque incrementum, Scotiæ complementum perfectionemque debet. Jam & in hoc regno Scotiæ his Quakeris, maximeque Keitho, erant compluria certamina cum ſuis popularibus Presbyterianis, de cauſis ſuæ ſeceſſionis ac diremptus ab iis eccleſiis, cum quibus ad hoc tempus firmiſſime jungebantur, & de novis articulis fidei, quos dicebantur antiquis illis profeſſoribus obtrudere, idque colloquendo, diſputando, ſcribendo, unde enati Keitho illi libri, in quibus ſingula quæ ipſi objiciebantur, cogitate examinando, & ruminando ſæpius ac ſicut recoquendo omnia, quæ ante ediderat, aut erat locutus, eam protulit formam & diſpoſitionem meditationum, quas memoravi. Præterea & hic hi homines ſenſim ſe moderatius gerere, atque ſuis ruſticitatibus & incœptis audacioribus, odii & multorum malorum incitamentis, abſtinere, atque ita paulatim ſuorum adverſariorum conſpectui aſſuefacti tutius vivere, atque etiam augeſcere incipiebant. Tardiſſime res procedebant

Digitized by Google

bant in *Hibernia*, ubi illi, qui præerant reliquis, ſuum fructum ac laudem in promovenda doctrina ac religione capiebant ex inſtitutis ac moribus ſuorum amicorum in Anglia ac Scotia. Atque ita ab hoc tempore horum Quakerorum & ſectæ conformatio, & conſummatio doctrinæ ac fidei extitit. Cui illud videtur addendum. Cum magnum ad copulationem animorum ſit vinculum, & aptum ſymbolum conſociationis communioniſque, communis confeſſio omnium, hoc Keithus quodam tempore proponebat, rem fore utiliſſimam, ſi nomine totius nationis Quakerorum ab lectis & eximiis viris, ſententiis verbiſque dilucidis libellus talis, qui totius doctrinæ ac fidei eſſet breviarium ac confeſſio publica, conſcriberetur, atque idem ſubſcriberetur ab omnibus, ſingulis in ſuis eccleſiis, qui ſe demum in ſocietatem Quakerorum receperant, aut porro ad eam adjungerent. Verum non placuit amicis conſilium hoc, ob eam cauſam, quod exiſtimabant eſſe rem ejuſmodi ab una parte nimiam inter pares autoritatem, & à parte altera autoramentum in libero negotio ſervitutis, & omnino cautionem eſſe ne quod ad ſe veniat malum, ad quod effugiendum cuncti hactenus ſe inter ſe congregarant, & conjunctiſſime juxta ac liberrime vivebant. Cæterum ut revertar ad primordia regis Caroli ejus nominis ſecundi, ac horum hominum facta atque eventa à capite arceſſam, videbantur ſane hujus regis imperio ſtudia ac conatus, ſicut aliorum ſecta-

torum ac diſſidentium à religione publica, ita & Quakerorum, ſi non ex ipſorum ſententia, attamen melius ceſſura, idque propter indolem regis facilitatis atque indulgentiæ. Præterea videbatur is rex, ipſe cum ſuis omnibus tanto tempore tantas ac tam varias injurias ac calamitates paſſus, adeoque memor ſortis ac conditionis humanæ, quam optimo magiſtro uſu erat doctus, hiſce hominibus ſaltem otium à tam moleſtis negotiis, quæ habuerant ſemper, præſtiturus. Huc accedebat, quod rex tempore illo, quo agebatur in Parlemento de ipſo revocando in regnum, & quo ipſe rex agebat Bredæ in aula Principis Arauſionenſis, ſui è ſorore nepotis, ex ea urbe ultro perofficioſe & peramanter perſcripſerat ad idem regni ſupremum concilium, & inſuper ad civitatem Londinenſem, *ſe daturum ac conſervaturum libertatem conſcientiarum atque opinionum in religione, quatenus abſque ruptura foret publicæ tranquillitatis.* Quam rem rex poſtquam ſolenniter erat inauguratus in regnum, denuo declarabat. Quare Quakeri in reductione regis maximam ſpem de ſuis rebus poſitam habebant. Denique quum principatu imperii regis quidam è Quakeris, pleni animi boni adverſus regem, & bonæ opinionis benevolentiæ erga ſe regis, regem adirent, & regis gratiam & auxilium atque opem contra hoſtium injuriam ac crudelitatem peterent, rex iis hoc totum quod cupiebant concedebat. Neque dubium erat, quin ille illud ſua voluntate

Digitized by Google

luntate faceret, ſiquidem initio vivere atque agere eos ſuo modo ac more, & etiam convenire ad obeundam ſuam religionem, ſinebat; & ſic quoque interdum promittebat, ſe impoſterum non modo non obſuturum, at etiam profuturum ipſorum libertati. Itaque illi homines ab ipſo principio hujus mutationis imperii impigre in ſuis exercitiis & rebus in rem communem pergebant, neque id clam ſuos adverſarios, at palam in eorumque conſpectu, veluti non tacito, verum expreſſo conſenſu aut etiam mandato regis. Verumenimvero quantum hæc res tota longe aliter cecidit, atque eventus illorum hominum ſpem atque opinionem omnem fefellit, haut diu poſt patuit. Imo vero quaſi reſcriptum hoc & nomen ac poteſtas regis non ad horum hominum libertatem aut levamen valuiſſet, ſed ad oppreſſionem ac perniciem, ita etiam à prima conſtitutione Parlementi de regis reſtitutione, toto intervallo quoad rex ſe ad regni adminiſtrationem applicabat, illi, qui ſe Quakeris opponebant, inter anſas, quas captabant ad eos homines reprehendendum capiendumque, edictum illud nomenque & dignitatem regis vertebant in hominum horum infeſtationèm atque exitium. Itaque quoties illi conveniebant ad ſua exercitia ſacra, apprehenſi abductique ut perturbatores pacis, &, licet tantillum non haberent, quod ullam offenſionem facere poſſet, ut qui armati inſtar hoſtium ac ſicariorum, & ſe invicem, & alios pacatos, ad rebellionem

ac vim communi inferendam incitarent. Dicam his qui minus norunt quid apud Anglos ſit *juramentum fidelitatis*, quod illi vocant Allegiance. Id poſt detectam conjurationem pulverariam, fabricatam ab antecedentibus religione & ordine & amplitudine pontificiis in regem Jacobum, & totam regiam domum, cunctoſque regni proceres, à Jacobo rege ſancitum, & inter publica ordinum decreta relatum, tale erat, quo ſcilicet illi papiſtæ, qui Papam multo mallent quam regem regni ſupremum dominum, & facile ad hujuſmodi furioſas & abominandas & innominabiles inferias accurrerent, dignoſcerentur, ut ſic quemque Deus juvaret, uti is in ſua conſcientia agnoſceret & profiteretur ac teſtaretur, papam nullam habere poteſtatem regem deponendi, aut excitandi ſubditos in regem, atque ut idem regi omnem obedientiam ac fidelitatem præſtaret, & machinationibus omnibus contra regiam autoritatem obviam iret. Adhæc jam diu temporibus regum poſitum erat in uſu juramentum quod appellant *primatus*, conditum olim à rege Henrico octavo, quo quiſque teſtaretur, unum regem ſupremum gubernatorem eſſe hujus regni in omnibus rebus ac cauſis, tam in ſpiritualibus ſive eccleſiaſticis, quam in temporariis. Hæc juramenta à principio hujus novi regni oppoſita ab regiis viris Quakeris, & propoſita iis, cum deprehenderentur, ut his conceptis verbis jurarent, quo videlicet quo animo eſſent erga regem, manifeſtum redderent.

rent. Quum autem illi omne juramentum detrectarent quaſi illicitum, & non illud tantum de odio papæ, ac ſuo erga regem affectu, & interim ſemper parati eſſent, verbis apertis minimeque dubiis, vere, coram & in præſentia Dei, affirmare, ſe eos eſſe, qui papam eamque eccleſiam, & illorum hominum poteſtatem, & dogmata, & faſtus & aſtus adverſus reges cane pejus & angue fugiant, & tales eſſe, ut rex à nullis hominibus quam à ſe minus incommodi ac noxæ metuere, ac plus amoris & obedientiæ & ſtudii, velut erga ſuum legitimum regem, deſiderare poſſet, & paratos eſſe ſe, ſi in his fidem fallant, ſubire illas pœnas, quas ſubeunt ii, qui, ubi conceptis verbis juraverunt, juramentum rumpunt, nihilominus illis ſemper juramentum hoc objectum, tanquam laqueus inexplicabilis, quo qui captare volebant, irretitos tenebant. Nam ſive juramentum hoc prorſus defugerent, ſive cum exceptione hac, ut ſuam de eo, aut de re ipſa, ſententiam expromerent, ac verba mittentes, de fidelitate ſancte promittere vellent, atque id etiam ſua manu ſeu ſcriptura obſignare non recuſarent, illi continuo habiti vel malæ, vel dubiæ ac ſubleſtæ erga regem fidei, orbatique omni patrocinio ac defenſione, quæ à rege ad eos potuiſſet venire. Jam huc illud accedebat, cum illi, quibus è decumanis agris atque fructibus ſua pro opera ſtipendia decreta erant, inprimiſque emptores decimarum, ſuis illis reditibus magis impenſe in-

incumberent, atque Quakeri eas ſe debere pendere negarent, paſſim ſevere ac infenſe in eos actum. Præterea quum iis, qui jam incluſi tenebantur carcerbus, extrinſecus nihil aut parum auxilii eſſet, illi, qui ſervabant, utplurimum pro lubitu tractabant, neque quicquam erat, quo illi ſe poterant tueri. Quarum rerum exempla, eaque commemorabilia, cum innumerabilia ſunt, tantum uniuſcujuſque generis unum, & id breviter, attingam ſpecimen. *Serborna* in *Dorceſtria* triginta Quakeri è domo, in qua innoxii Deum venerabantur, tanquam globus popinationis bachationiſque, & rebellionis conjurationiſque, extrahebantur ab oppidanis, anteſignanis oppidi decurione ac ludimagiſtro, ſequentibus multis cum gladiis ac fuſtibus, inter multas execrationes & percuſſiones, & perducebantur ad magiſtratum, qui illos criminantur, decernunt, condemnant ut homines ſpurcos effuſos in luxum, ac modo, dum ſe congregarent, congræcantes ac temere molientes omnia nova, idque ſine probatione, ſine judicio, ſine defenſione, illis nequicquam reclamantibus, eſſe neminem qui aliquid de iſtiuſmodi rebus ac tali conveniendi ratione oſtendere poſſit, & obtendentibus fruſtra, dum ſolum exercendæ ſuæ religionis cauſa una eſſent, regis promiſſum, neminem propter religionem quicquam injurioſe paſſurum eſſe. Ex his Quakeris quidam ſecluduntur in carcerem Dorceſtrienſem ab omnium conſpectu ac communi luce. Alii
iſti

Digitized by Google

iſti incommodo occurrentes apparent in proximo conventu juridico. ubi cum nulla earum rerum, quæ proferebantur contra eos, poſſet ulla ratione probari, at vero iſti homines nunc coram judicibus non aperirent caput, jam id crimini datum, habitumque pro certa minutione majeſtatis regis, & loco ſupplicii irrogata multa pecuniaria, quam cum continuo non ſolverent, omnes à comitiis aſpulſi conjectique in eundem carcerem Dorceſtrienſem, ea lege, ut non ante de loco, quam illam ſummam exolviſſent, exirent. *Salopiæ* in urbe quæ eſt eodem nomine urbs primaria ac clariſſima, cum conventus ageretur multorum Quakerorum, multi milites effractis foribus irruunt in domum, & ex numero illo viginti & unum abducunt rapiuntque in carcerem. Ab his judices, cum eos nullius maleficii aut injuriæ poſtularent, neque poſſent, exigunt juramentum fidelitatis. Quod cum illi negarent, iidem veluti ſuo hoc ſe ſilentio damnantes, ut rei perduellionis coguntur permanere in eodem incluſo ſupplicio. *Eduardo Noali*, ruſtico, ſed ſane viro, in *Cantio* orientali *Wardii*, ob decimas pondo viginti, pro quibus pecuniam non ſolverat, abrepta è bonis ruſticis ad pondo centum. quumque is ſua ruſticana rhetorica & veritate, & decumani, & iudicis ſui aures atque animum feriebat graviter vulnerabatque, ille mandatus carceri, in eoque annum ſeſquialterum ſervatus. *Chadlintonii* in comitatu Oxonienſi *Thomas Goodaræus*, homo bo-

na indole & affectu, peragratis variis regni locis, deflectit ad viſendum amicum *Benjaminum Stapleſium.* Hunc proxima nocte quam venerat una cum hoſpite lictores rapiunt ducuntque ad judices. Illi imperant juramentum fidelitatis, illud jam vinculum ac neceſſitatem ſilendi. Quod dum ipſi negant reddere, ita nunc præciſa omni defenſione, ducuntur conduntur que in carcerem communem Oxonii, idque inter alios ſocios ſuæ religionis, quorum ſcilicet quidam biennium & plus eo in loco fuerant incluſi, propterea quod & ipſi noluerant decimas expendere atque dare jusjurandum. His duobus ſodalibus carceris cuſtos compedes indit ferreas, adeo craſſas ac duras, ut ſauciationi eſſent pedum. Quas cum illi orarent ut diſſolveret, cuſtos carcerarius pro eo præmium petit pecuniam. Illi ſe ad id haut oſtendunt paratos. Ibi is eos in carcerem detrudit fœdum ac fœtidum, in quo nihil erat ſedendo ac vel jacendo, præter lutum. Sic orant ut ſibi aliquod daretur ſtramen. Et hic idem homo meritorius ſe ita daturum pollicetur, ſi illi aperiant quatuor pondo ſterlingiana, ſeu florenos quadraginta quatuor. Quod cum illi averſarentur ac ſpernerent, uxor cuſtodis, etiam ſuo marito improbior avaritia, & avarior rapacitate, eos quoties adiret, jurgiis & conviciis laceſſit, & trahit truditque violenter. Jubentur Goodaræus & Stapleſius ſiſtere ſe in conſeſſu Oxonienſi. ubi poſtquam judices illi de variis rebus anquiſiviſſent, neque quicquam ſupplicio

plicio dignum reperiſſent, itidem ut ante petunt, eos dare juramentum fidelitatis, quod cum ipſi hic quoque ſe dare non poſſe dicerent, jubent illos reduci in eundem carcerem inter eoſdem fures ac ſicarios illum locum inhabitantes. Quod antequam fieret, Goodaræus rogat, an judices jubeant includi ſe compedibus ferreis. Reſpondet judex primarius, poſſe cuſtodem carceris facere quæ vellet, ideo quod ipſi extra regis eſſent tutelam. Illic cuſtos illos iterum collocat inter homines eos flagitioſos ac nebulones, atque iis hominibus improbis dat veniam, ſi ipſis quicquam deficiat de veſtimentis, id duobus innocentibus iis viris detrahant, reſpondente uno è peſſima turba integerrimo, malle ſe prorſus eſſe ſine tegmine, quam his viris quippiam furari. Atque ita porro, dum coram tribunali ſilentium ſummum juris, atque in carcere ac tenebris repagulum injuriæ nullum eſſet, miſeri homines vi ac crudelitate omni agitabantur. Hæc pauca è plurimis ſpecimina. Quoniam vero adhuc Parlementum primum celebratum ſub rege hoc conſidebat, Quakeri, exiſtimantes ubique pro ſuis rebus turpi juſtitio clauſa fora eſſe, Regem & Parlementum, ut ſupremos magiſtratus, ac libertatis & juris ac judiciorum populi auctores defenſoreſque, ſupplicantes adeunt, ac tantam injuriam ac vim tantam ac tot cruciatus à ſui generis ac nominis hominibus deprecantur, eorumque fidem & auxilium implorant, & quo magis commoveant,

per-

perſcripto magno commentario demonſtrant, temporibus amborum Cromwellorum de ſuæ ſocietatis hominibus in Anglia, & Scotia, & Hibernia, & regionibus tranſmarinis ſubditis regi, carceribus incluſos fuiſſe ter mille centum & ſeptuaginta novem, & mortuos in iis duos & triginta. Addunt in fine, ab adventu regis uſque in præſens tempus, conjectos eſſe in carceres, & etiamnum in iis teneri trecentos ſeptendecim. Indicant ſingula loca captivitatum, & plerorumque nomina, & quas ante perpeſſi erant afflictiones, & ob quas cauſas, & quas adhucdum perferebant in carceribus. Præterea altero ſequente anno Regi ac Parlemento exhibent ſcriptum, in quo oſtendunt, ita nunc numerum eorum, qui poſt regis adventum erant in Anglia conjecti in carceres, eſſe auctum, ut numero eſſent quingenti & quinquaginta duo, quorum multi itidem & ante captivitatem in ſuis congregationibus multas oppreſſiones ſuſtinuerant, & nunc in locis, in quibus detinebantur, multas afflictiones tolerabant. In eo ſcripto id planum faciebant exemplis & teſtimoniis, magiſtratus in aliquibus locis ipſos acceſſiſſe, & abduxiſſe Quakeros, in aliis locis id mandaviſſe militibus, alibi plebem & vulgus & ejuſmodi homines, quorum fortuna & fama nulla, effuſos gladiis ac fuſtibus eos obrepſiſſe, ac multum converberatos abripuiſſe in carceres; præterea varios in variis regionibus miniſtros eccleſiarum, quum eſſent è Quakeris, qui decimas

cimas non perſolverant, & perſolvere eas negabant, ex horum ædibus atque agris pro decimis his multo plus ſumpſiſſe quam iſti deberent, neque id quod ſupererat, deinde reddidiſſe, nonnullos vero ita emunxiſſe re nummaria, ut & illis quicquam ultra ſolvendi, ac ſibi exigendi curam omnem ademiſſent. Hoc ſcriptum plenum fiduciæ, cum regi, tum toti conſeſſui, habitum partim neglectui, partim deſpectui. Cujus rei non una videtur fuiſſe cauſa. Nam cum rex necdum ſatis in regno confirmatus, ſuarum & aliarum publicarum cauſarum ſatageret, is quidem horum hominum res necdum opportunas dignaſque ſua cognitione ac judicio arbitrabatur, & hoc totum quod his hominibus promiſerat, quod illi trabali clavo affixum illius putabant memoriæ, obliviſcebatur. Quantum vero ad regni ſenatum, is quidem magnam ſui partem necdum odium atque inimicitiam erga homines illos videbatur depoſuiſſe. Agnoſcebant illi quidem datam libertatem religionis, verum ſic exiſtimabant, obtentu hoc omnes pravas ac teterrimas ſectas & opiniones irrepere, & hujus quoque generis hanc ſectam eſſe Quakerorum. Adhæc quanquam illa Quakerorum ſuperiora ſtudia atque incœpta inſolentia, & in ſpecie turbulenta, deferbuerant, neque quicquam iis poſſet dari crimini, quod ad publicæ ſeditionis pertinebat ſuſpicionem, tamen ut ſemel inviſorum ſemper tam bona quam mala ſunt odioſa, & metuentibus etiam falſa ſunt

vera,

vera, ita permanebat opinio, neque poterat ea divelli, Quakeros adhuc eoſdem gerere animos ac ſpiritus, ac tendere Quakeriana omnia ad diſcordias ac turbas. Poſtremum videbatur res hæc Quakerorum totiens ac tot judiciis eſſe judicata ac peracta, ut eſſet indigna quæ iterum proferretur in medium. Ita calamitoſis hominibus omne judicium, & omnis actio, imo relatio adempta, ac ne locus quidem querimoniæ relictus eſt. Atque ita hi qui erant captivi, perpetuo cuſtoditi, retentique in ſumma rerum omnium inopia ac miſeria, neque ſpes data alicui exitus, niſi ad eorum, qui illis præerant, voluntatem & conditiones venire, & depaciſci vellent, ut data pecunia decederent. in quo numero repertus eſt nemo. Tametſi rex non multo poſt interpellatus rogatuſque à nonnullis, ut ne tale quippiam pateretur, quo & ſuis ſubditis tanta injuria fieret, dum nullum tale factum, ac ne incœptum quidem ac conatus appareret, cujus hi homines inſimulabantur, & quo ſuo nomini tanta infamia inureretur, propter datam ab eo fidem, leniter eos accipiebat, & ſe porro clementer benigneque cum Quakeris velle agere reſpondebat, modo ne illi aliquid facerent, quod contra regis ſalutem aut exiſtimationem valeret, atque iterum in eo ſuam regiam fidem pignori dabat. Sane conſtat *Richardum Hubberthornum*, unum è Quakerorum primis, hoc tempore admiſſum ad colloquium cum rege, præſentibus nonnullis principibus viris; in quo col-

colloquio cum rex cum quibuſdam aulicis ex Hubberthorno multum & accurate ſciſcitarentur doctrinam ac religionem Quakerorum, & is ſingulis vicibus ad ea quæ rogabatur reſponderet, rex, & alii iſti identidem repetebant, *ita revera eſt ut tu ais*, & converſi ad ſe, aut circulantes, dicebant, *nihil præter veritatem attulit.* Et quum rex pergebat loqui, Hubberthornum inter alia his affatur verbis: *tu quidem eſto certus, neminem veſtrum quicquam propter veſtras opiniones ac religionem paſſurum, quoad pacem colitis. Eſt vobis pro eo verbi promiſſique regis obligatio, & curabo ipſe edicto, ne quis porro vos inſectari poſſit.* Hoc colloquium, cum erant qui id male interpretabantur, Hubberthornus paulo poſt ipſe edebat, eaque editione rem omnem omnibus aperiebat. Atqui quemadmodum rex hæc multis multa promiſſa ſuis factis perſequeretur, mox docuit eventus. Neque prætermittenda hoc loco epiſtola exprobratrix, ſcripta ac miſſa ad regem à Quakero, tunc habitante in carcere. Is Quakerus erat *Georgius Foxus*, non ille inceptor & magiſter ſocietatis Quakerorum, quem hic ne cognatione quidem aut propinquitate ulla attingebat, tametſi natura & moribus ſimilis ac germaniſſimus, aſt talis, qui nuper egerat eques ſub ſignis militaribus Cromwelli ſeu Reip. unde, ut ſe diſtingueret ab Georgio Foxo altero & ſeniore, ſe, qui erat ætate junior, appellabat *juniorem*. Erat autem epiſtola ab ipſo ſcripta iſtiuſmodi. *Vidit & animadvertit ô Rex! ille*

ille qui rex regum, tua omnia facta in mediis tenebris, & cum iſtinc emanant, etiam tua occulta conſilia nequaquam fugiunt Deum, ita ut nulla latebra ſit verbis tuis ſpecioſis. Itaque & technas & inſidias tuas univerſas, quibus illi petiti, qui nihil nocebant, utique deprehendit, & etiam patefecit aliis, idque eo tempore, quo tu illa magna & ficta verba dediſti, & tantum fucum feciſti. unde tu Deum exacerbaviſti, quum, quo tempore nobis pollicitus es libertatem, eo tempore paſſus es illam in nos fieri infeſtationem, & tot hominum incluſionem, propter bonæ conſcientiæ teſtimonium. Eheu triſtitiam Domini ob ſuperbiam atque impietatem, ut tua domus, ita tui regiminis! Quotiens enim mecum cogito injuſtitiam, ſævitiam, publicam inſecutionem hujus regionis, & quotiens recordor illorum facinorum, quæ in ſecretis patrantur, totiens jecur dolet cruciaturque, & diſtrahitur cor meum, propter ſummam ſummi Dei in omnes excandeſcentiam. Et incidit ſæpe ea cogitatio, cum ante tuam in regnum hoc reditionem, tum poſt illam, cum occurrit menti meæ propoſita conſtitutaque heic terrarum idololatria, tibi melius fuiſſe, ſi nunquam huc perveniſſes, quoniam comperio, id in tuam perniciem cedere. Et ſæpe oravi Deum, ut tu ſic induceres animum tuum, uti de novo hac regione excedas, ut dum ſuper eſt tua vita, tibi ſuperſit ſpatium pœnitentiæ, tuque reſipiſcas. Neque vero tu rex tibi quenquam hominem ſinas imponere ſua blandiloquentia. Nam Deus non irridetur. quod ſeminaverit homo illud & metet. Perpende tecum quemadmodum frater tuus (Dux

Glo-

Gloceſtrenſis) tam ſubito atque improviſo ex hac vita ſit ereptus, is, qui te defuncto potuerat ſupervivere. Neque opinare, poſſe te ſervari ab hominibus, quando te aggreditur Deus. Et ſtat Dei ſententia, ut ſuum per omnia regnum extendat. Ah! quid dicam quod ad tuam pertineat ſalutem. Exarſit Deus ira decurtabitque dies ſuorum inimicorum propter electos ſuos. Atque utinam tibi daretur, ſalvo eſſe in die Domini. horreſcit namque & ſtupeſcit animus intuitu inevitabilis tibi experiundi exitii. Hæc quæ ſcribo vera ſunt, & velim ſcias, me hæc amanter & pie ſcribere. Me quod attinet, etſi extrinſecus multa mala ſuffero, tamen intus ea pace fruor cum Deo, quæ omni terreſtri corona potior eſt. Ferunt regi hanc epiſtolam legenti adſtitiſſe fratrem ducem Eboracenſem, eumque lecta epiſtola regem monuiſſe, ut juberet Quakerum actutum ſuffigi patibulo, aſt regem reſpondiſſe, præſtare, ut ipſimet ſui commodi rationem ducerent, atque ſuos mores & vitam reformarent. Nullum tantum ingenium, cui non ſæpe error, interdum & ſtultitia obrepit. Exiit hoc tempore liber ingens, ſcriptus Anglice, inſignitus ſingulis paginis forma ac nota tabellæ puerilis, quali in Anglia, ut & in noſtra patria, utuntur infantes, è qua diſcunt literas ordine abecedario pronuntiare. Is liber unaquaque pagella oſtendebat, uſum eſſe hunc per totum terrarum orbem univerſis ac ſingulis linguis (recenſebantur & diſtinctæ exhibebantur in libro linguæ triginta, quæque ſuis diſtinctæ tabellis) quum

quis compellaret unum ſingularem hominem, ut nominaret ſingulari pronomine Tu, non Vos, quod Anglis in more, ſi cum homine digniore loquantur. Accuraverant opus ingenioſe ac lepide, cum multis impenſis, Johannes Stubſius, & Benj. Furlæus. Atqui Foxus, qui excepta ſua lingua Anglica harum triginta linguarum callebat nullam, adeo ſe hujus operis auctorem cupiebat videri, & quicquid in eo poſitum erat induſtriæ ac laudis, id è ſe ortum eſſe, ut etiam unicuique pagellæ identidem ſuum nomen ſubſcriberet, atque id linguam unamquamque continere ac docere, ſuo teſtimonio comprobaret. Quo opere quaque opera Foxus jam non pueros, ſed viros omnes, in hac ignorantia puerorum ſimiles, hanc rem plane edocebat, & illum pravum loquendi modum dedocebat. Quum autem Foxo ab aliquibus objiceretur illarum linguarum ignoratio, & res hæc ut pars dementiæ exprobraretur, is novo joco ſic diluebat, ſe tantum noſſe linguarum quantum ſibi ſatis eſſet. Inſignis annus ſexageſimus ſecundus multarum rerum commotione ac commutatione cum ſumma incommodatione atque infeſtatione horum Quakerorum, & eo, tempore inſequente, proceſſu, ut res ad interitum univerſæ gentis ſpectare videretur. Videlicet jam anno præcedente tabulæ fœderis eccleſiaſtici inter regem ac populum Britannicum, & Angliæ & Scotiæ, quo fœdere antehac nullum fœdus viſum erat ſanctius & amabilius & æquius,

us, nullum majus fundamentum & regiæ dignitatis, & libertatis populi, neque vinculum majus ad colligandum copulandumque totum eccleſiæ corpus, & firmandam religionem utriuſque regni, habitæ velut opus Antichriſtianum, ac fons multarum vitioſitatum, & idcirco, etiam juſſu Parlementi, eraſæ ex omnibus actis politicis atque eccleſiaſticis, & Londini variis locis manu carnificis combuſtæ. Hoc anno vero ordo & autoritas epiſcopalis, quæ ſemper ſtirps & origo plurimarum rixarum calamitatumque, ubique omni modo confirmatæ, etiam aliquibus è Presbyterianis potentiam hanc ac gloriam, quibus ante reſtiterant, nunc concupiſcentibus, aut oblatas non repudiantibus, per hanc prudentiam, cum ipſi futuri eſſent in hoc munere boni viri, ne ipſis recuſantibus accederent, qui talem conditionem non ita moderate explere poſſent. Jam rex, qui dudum metus fuerat bonorum, quodque nunc habitum ut novum regni portentum aut funus, inire matrimonium cum règia filia Luſitaniæ, adeo eccleſiæ papali illiuſque cæremoniis dedita ac devota, ut inter reginas ac fœminas primores ſui ævi nulli cederet in ejuſmodi ſuperſtitione. Poſtremum rex, poſtquam ſe ſibi regni ac domus ſtabilimen putabat acquiſiviſſe, magis magiſque pro cura & labore & continentia, ſe otio ac luxui dare, & plurimarum rerum gubernationem tradere ſuis conſiliariis & adminiſtris, iis potiſſimum qui ſe in ejus familiaritatem conſuetudinemque maxime

tradiderant. Quæ omnis mutatio haut levem perturbationem & ægritudinem & timorem ac formidinem incuſſit his omnibus, quorum religio diverſa à religione ac inſtitutis nunc ita redivivis. Qui alium inſectatur etiam ſe ipſum agitat, & quem multi pavent hunc non ſine metu eſſe & ſibi bene cavere neceſſe eſt. Itaque ex hac commotione aliis quoque, alioquin magis metuendis, metus accedebat, & ex metu ſuſpicio, & hinc ſermo, unde rumor, eſſe in urbe & alibi multitudinem inimicorum conjuratorumque, qui regi ſtruant inſidias, & novum imperium univerſum funditus evertere parent. Quanquam multi hunc improbum rumorem credebant, aſtute fictum ab illis, qui ſtatuebant famam ejuſmodi optimam viam eſſe perveniendi ad id, ad quod rebus pacatis aſpirare non poſſent. Jam ut nil committebatur ab inſidioſis & fraudulentis & maleficis hominibus, cujus non aut auctores, aut adjutores, aut participes, aut conſcii, aut ſuffragatores habebantur Quakeri, ita heic quoque hi homines in ſuſpicionem adducti hujus criminis, cum tamen nullum certum indicium appareret, profectæ ab ullis hominibus vel conjurationis vel ſeditionis, & à Quakeris ne minimum quidem veſtigium. Ita mox fama è ſermonibus diſſipata, hos illos homines eſſe, qui ſe tantis ſceleribus polluant, atque ad ea colligant amicitias, & quotidie conveniant in unum. Quibus de rebus cum illi ſe ultro non purgarent ac defenderent, quod

abſque

abſque certis accuſatoribus ſe facere non debere, neque abſque ſuo præjudicio poſſe rebantur, hinc eadem ſuſpicio & fama magis augeſcere, & per hoc homines, non quidem vocati in judicium, quod nimis levi conjectura fieret, verum in odium omnium incurrere, & venire in ſummum diſcrimen, & impune vexari omnibus modis ab illis, qui, quia non obſtabatur, id ſibi permiſſum putabant. Jam rex edicit, ut Quakeri Londini ac Middelſexiæ, id quod arctiſſimum videbatur vinculum ad teſtandum animum, ſtringendumque fidelitatem erga regem ac regnum, jusjurandum darent, neque judices ulli illius gratiam facerent, ſin Quakeri juxta edictum nollent facere, nullibi conventus agerent. Aliud edictum ſequitur ad prævertendum cœtibus ſeditioſis, *ne qui conventus agitentur ſimulatione atque prætextu divinorum officiorum, non comprobatorum factorumque ratorum per liturgiam ſive uſum eccleſiæ Anglicanæ, neve plures in unum congrediantur locum, quam quinque numero. ſin quis annorum ſexdecim & plus eo contra agat, & is ſubditus ſit regni, is debito ſupplicio luat.* Hoc edictum ad retinendas omnes ſectas pertinere, at vero maxime ſpectare ad Quakeros, atque his fore ſcopulum & jacturam ipſorum rerum, nemo non peritus intelligebat. Sane ſic ex his hominibus ii, qui jam detinebantur captivi, ob hanc cauſam etiam arctius ſervati, & tractati acerbius ab ſuis ergaſtulariis, etiam ab iis, qui ante in eos leniſſimi videbantur. Reliquis alia ſuper alia

Digitized by Google

negotia & pericula faceſſita, & iidem ubique propalam, non modo in ſuis congreſſionibus cum hominibus omnibus opprobriis affecti, ſed etiam coacti, ſuis ad ſacra conventibus abſtinere, & ubi nihilominus pergerent, oppreſſi à militari multitudine, multatique, interdum rabie plus quam hoſtili, ac conjecti in carceres, ac poſtulati edere juramentum, ubi id refugerent, detenti in carceribus, aut detruſi in ergaſtula, inter homines improbos ac nefarios, qui in vino, in alea, in ganeis ſua decoxerant bona, interque fures ac ſicarios, quaſi ejuſdem conſortii, aut ſimilis contagionis, atque ita in locis iis coacti duras operas agere, iiſque ſuſtentare vitam, & cum reniterentur, multis miſeriis & calamitatibus oppreſſi, quidam uſque eo modi ac temporis, donec mors ab ærumnis illis liberaret. Id factum Londini, idem in Vigorniæ oppidis, item in provintiis aliis. Alicubi nonnulli è magna multitudine, quos aut vitæ ſtatus, aut plurimorum clamor præcipue objiciebat invidiæ, carpti, ac nocte intempeſta lectis intercepti, raptique in carceres. Quod cum fieret, & cum nullus harum rerum finis videretur futurus, Quakeri iterum libellum ſupplicem regi exhibent, in eoque quanto omnes cum labore, quantis in calamitatibus vivebant, oſtendunt, & probant jam nunc ab adventu regis, captivorum è ſuis numerum eſſe ad millia quatuor & quingentos, mortuos vero ex illis incommodis atque detrimentis quinquaginta

ſex.

ſex. Quam autem vim ille libellus habuit, liquet ex eo, quod is, qui conſcripſerat, à rege pro mercede locum obtineret, quo in loco ii aſſervabantur captivi, de quibus in ipſo libello illo conqueſtus erat. Adeo hoc ipſum, quod ſuas miſerias deplorarent ac deprecarentur, criminis loco habitum. Tandem tamen, poſtquam rex nihil comperiſſet factis aut teſtibus, quo conſtaret Quakeros in ſua erga regem fidelitate claudicare, aut quicquam commiſiſſe, ut facinus rebellionis non abhorrere ab ipſorum ingenio ac moribus exiſtimaret, atque etiam criminatio ac clamor populi, ut res & facillimæ & leviſſimæ, ſua ſponte evaneſcerent, ac dies invidiam populi de iis rebus mitigaſſet, rex hunc ſibi ſeveritatis aculeum evelli ex animo paſſus eſt, & quum hucuſque ſuæ datæ illis hominibus fidei cepiſſet oblivio, nunc redit in memoriam ejus rei, mandatque ſuis adminiſtris ac prætoribus, ne ita porro homines vexent, faciantque captivis abeundi poteſtatem. Quo demandato tanta quorundam horum adminiſtratorum duritia erat, ut regis auctoritatem, ſi non aperte repudiarent, ſane aut non ſerio, aut ſero explerent. Quam rem in locis aliquibus vel cuſtodes carcerum ne quidem ſuſtinere fugiebant, dum ſe captivos ita demum ſolvere ac liberare velle oſtendebant, ſi captivi ſolverent pecunia, aut per ſe, aut ab aliis, pro ſua è carcere ſolutione. Quod cum illi ſe nunquam facturos aſſererent, ac malle ſe ſolvi in pus, eaque putredine perire,

Digitized by

conſtanter affirmarent, & cum revera quidam morbis laborioſis, e putore contractis, ſic fatigarentur, ut mors conſequeretur, & horum hominum voces ac lamentationes etiam in aulam & ad regis pervenirent aures, dum illi hac via graſſabantur, rex denuo omnes indemnes & ſine pactione & conditione jubet dimitti. In hac perſecutione anni ſexageſimi ſecundi Quakeri varia ſeveriſſimi judicii, ac maximæ horum hominum conſtantiæ, recenſent exempla. Ego duo tantum percurram. Dudlæi in Vigornia *Richardus Paytonus* ob negatum juramentum fidelitatis, conjicitur in carcerem. Ejus facultates omnes addictæ fiſco, ipſe vero tam diu damnatus eo loco, quamdiu adlubeſceret regi. *Thomas Stordæus Moorhouſienſis* nobilis natu in Cumbria, raptus in quæſtionem, atque rogatus, juramentum ut daret, & id renuens, alioqui ſe unum eſſe eorum affirmans, qui injurati plus quam jurati multi regi obtemperant, per prætorem provintiæ Johannem Loutherum condemnatur, & publicatione omnium opum, & perpetuo carcere. Sic incluſus, non ut reliqui, de quibus dixi, poſtmodum regis benignitate dimiſſus, at retentus ab hoc anno, uſque ad annum octogeſimum quartum, quando ſub finem anni eodem in loco ad finem ærumnarum ipſiuſque mortalitatis acceſſit. Cæterum hi homines hoc anno inprimis duorum virorum, ſuorum maxime antiſtitum, mortes, oppetitas Londini, quemadmodum pro religione, ita ſumme glo-

gloriosas, & beatas, & duces ad cœlum Deumque prædicabant. Illorum unus erat *Hubberthornus*, quem paulo ante dixi ipſi regi fuiſſe carum, & ſic receptum à rege in fidem, ut in ipſo etiam omnium ſociorum ſalus tuta & ſarta & tecta ab omni incommodo & moleſtia videri poſſet. Hic vir verſabatur Londini, ac die quodam, advocato populo, aſcendebat in concionem. Ea re cognita præfectus urbis ſive Major, cujus non neceſſe eſt nomen apponere, ſed de quo Quakeri ſolent referre, eum quanta auctoritate, tanta immoderatione poteſtatis fuiſſe, mittit, qui Hubberthornum è cœtu illo trahunt, ac traducunt ad ſe, & poſtquam hominem, propterea quod coram ſe caput denudare nollet, ſuis utentem inſtitutis, velut improbum ac ſeditioſum, ac jam manifeſte in tanto maleficio deprehenſum, bene propriis manibus excepiſſet, & adducto pileum bene intorſiſſet, inque humum proſtraviſſet, jubet pertrudi in maleficorum ſceleratorumque cuſtodias. Quo in loco Hubberthornus habebat id, quod reo maxime eſt optandum ab actore & magiſtro cauſarum, ut ille cauſam quam inſtituerat alio transferret, & cum nil viri religionem, nunc ejus moroſitatem, ceu irreverentiam ac contumaciam erga magiſtratum, incuſaret, atque eam injuriam acerrime ab eo animadverti poſtularet. Hubberthornus, poſtquam in hoc recondito ac triſti loco duos conſediſſet menſes, incipit laborare morbo & imbecillitate corporis,

ac brevi tempore moritur, hanc ſui apud ſuos memoriam relinquens, quod quicquid ei acciderit, id animo æquiſſimo, tuendæque ſuæ religionis paratiſſimo, ſuſtinuerit, atque ob id mori quam vivere ſatius duxerit. Alter, cui in eadem urbe Londinenſi ſua in religione conſtantia & carcer morte ſtetit, fuit *Burrougius*, is quem Londinenſium Apoſtolum ſolent habere hi homines. De illo ajunt, cum aliquanto tempore ante diverſaretur Briſtollii, tunc, cum inde diſcederet peteretque Londinum, ſuis amicis valedixiſſe oratione hac, velut præſaga aut omine fati, *ſe jam iter dirigere Londinum, ut iſtic cum ſuis fratribus Euangelii cauſa patiatur, ſuamque vitam deponat.* Ubi Londinum venit mox adit ſuorum concionem, habetque ipſe orationem, non aliter ſatis animo, non officio, non muneri recepto factum putans. Quod ſimul ac adferretur ad præfectum urbis, eum virum, quem modo indicavi, advolat ille cum aliquot ſatellitibus militibuſve, ac ne ipſe iterum faceret, quod non multum in magiſtratu laudari poſſet, jubet his, ut hominem abripiant, ac confeſtim detrudant in carcerem, condantque, id quod faciunt, in locum deformem, ſqualore plenum & fœtore, & adeo anguſtum, ut nullum veſtigium poſſet facere. Quibus malis poſt octo menſes incidit in morbum, eoque indies ingraveſcente, tandem morte vitæ conſentanea finivit, ſe ad id tempus, & ſuos, qui non prohibebantur ad eum adire, atque ita omni tempore aderant,

ſuſten-

ſuſtentans & conſolans multis orationibus, quarum omnium hæc erat ſententia & ſumma: *Ego non gravate & gratuito hucuſque Euangelium in hac urbe annuntiavi, & ſæpe meam vitam illi impendi, & nunc in mediis vitæ laboribus animam pro eo reddo. Quam autem certum ſit, me vere ac ſyncere & egiſſe & agere, novit is qui omnia. Et vero tu Deus, me dilexiſti tunc, quando adhuc in vulva matris eram incluſus, & ego amavi te à cunis atque incunabulis, & à prima ætatula, & à juventa ad hoc tempus tibi opera utili, idque ſumma fidelitate, deſervivi. Quanquam vero corpuſculum hoc meum redeat in pulverem, tamen mihi ſum conſcius, eſſe reverſurum animum meum eo unde venit, & illum Spiritum, qui in me vixit, qui operatus eſt in me, qui me rexit, & eſt moderatus in omnibus, diffuſum iri in millia hominum. Condonet autem Deus, ſi pote, meis inimicis ipſorum malefacta.* Moriens atque connivens, *nunc*, inquit, *anima mea in ſuo requieſcit centro.* Hujus viri præmaturam mortem Fisherus ſublimiter, & ſuo more rhetorice & tragrice deſcripſit. Eminebat anno ſequenti oppugnatio horum hominum in ipſa urbe Worceſtria. Convenerant in ædes *Ruperti Smithi* plurimi Quakeri, non concionis obeundæ cauſa, at eo fine, ut conſulerent de quatuor pueris, quibus patris mors & patrem & ſuſtentationem atque educationem ſubtraxerat, quid factu potiſſimum eſſet, ne pupilli reciderent ad parœciam, atque illa ut alendi onus, ſic in ſua diſciplina ac religione inſtituen-

ſtituendi curam ſuſciperet. Mox quidam accurrunt milites, & nullo dato ſigno miſſionis, irruunt, ſicut in contemptricem publici regiminis turbam, & multo clamore magnoque impetu capiunt è multitudine viginti quatuor, & ducunt ad quos aſſoleret locos, inter nepotes, quod ipſum jam quoque in conſuetudinem venerat, & ganeones & fures, atque ejuſmodi vitiis & facinoribus affluentes. Poſt aliquot ſeptimanas Smithus & pauci alii detrahuntur in judicium ac quæſtionem. Rogantur utrum juramentum fidelitatis juraſſent, & iis negantibus, utrum nunc velint jurare, & hoc more quæſtorio jam uſu recepto. Illi reſpondent, *ſe propter conſcientiam jurare atque ad formulas ac genus illud rem aſſeverare non poße, cæteroquin id poße bona fide aßerere, præſtare ſe ſua erga regem ac regimen officia omnia, neque rem ullam appetituros eße, quæ contra eorum ornamentum ac commodum aliquod faciat, neque quicquam facturos quod illi merito ſint vituperaturi.* Dum autem in hac collocutione nulla diſceptatio rei, at tantum modi ac circumſtantiarum controverſia eſſet, & interim Quakeri ſuum antiquum obtinerent, ac ſtarent capite tecto, judices illam de juramento diſputationem miſſam facientes, id quod homines hi ſua integebant capita, accipiunt ut crimen, capitum involutum tegumentis, ac manifeſtum omnibus, qui huic apparebant judicio, violatæ regiæ dignitatis, tale ac tantum, ut hoc jam jure juridiciali atque inſigni ſupplicio debeant

ant perſequi. Illic Smithus argute, *quoniam non modo peccatum nullum, ſed nec tenuiſsima quidem ſuſpicio in eos conveniat, eos regis ac regiminis imperii nominiſque exiſtimationem factis verbiſve violaſſe, leviſsimum eſſe, id ſibi ut ſignum objici, & vero cum galerus ſit tegumentum capitis, & ſingula corporis membra ſua operimenta habeant, neque quiſquam accedens ad homines, licet magiſtratus, ſe reliquis partibus corporis denudet, atque cum id non agit, illud nequaquam ſit indicium contumeliæ atque inobedientiæ, mirum eſſe, hac lege & religione circa pileum homines teneri.* Lata poſt orationem hanc ſententia in omnes, ut in carcere aſſervarentur, propter negatum obſequium & obſervantiam erga regem, & irreverentiam erga judices. De Smitho conſtitutum, ut exors ſiet regis patrocinii, & ejus bona in fiſcum regis reducantur. Tunc & reliqui ad accuſationem detracti, & partim propter congreſſionem, partim ob juramenti negationem, itidem damnati ad carcerem. Res ab oratione defertur ad concionem advocationemque. jurant cognitores in ſententiam, abſentibus reis. Sunt teſtes jurati valde diſſimiles inter ſe. Comperitur actio tota, de qua factitata erat accuſatio & judicatio, ſe longe aliter, quam ut erat judicatum, habuiſſe. Judices aliquo modo ſunt ſoliciti, quidnam perſpicue reſpondeant ac de hominibus ſtatuant. Tandem decernunt, ut remittantur ad carceres. Hoc tempore *Fr. Howgil*, præco inter hos homines ſumma religione ac dili-

diligentia, Contagii è foro, in quo ſua negotia curabat, per viatorem vocatur ad irenarchas, congregatos in proximo diverſorio. Hi virum ſimulis intuentur, hæſitant, rogant, poſtremo eo ad quod erat veniendum proficiſcuntur, & ab eo exigunt fidelitatis juramentum. Ille primum ſimiliter cunctari, cognitis illorum illecebris, neque quicquam excuſare, ne purgatio delicti quicquam delicti videretur portare, deinde vero ſine dubitatione eo pergere quo illi cupiunt, atque negare, poſſe ſe ſalva conſcientia ipſis juramentum dare. Sic conjectus in carcerem. Unde protractus Apelbiam ad judices ordinarios, quum & hi juramentum ut daret mandarent, atque ille eo adduci non poſſet, reducitur in priſtinum carcerem. Anno deinde ſequente rurſus in idem adducitur judicium, conſtituiturque eadem in ipſum quæſtio. Ibi magna conſtantia, & tamen modeſtia multa, declarat, *ſe, quod ad argumentum ſeu materiam pertinet juramenti, non defugere id effari, & polliceri, & etiam ſua manu ſubſcribere, verum jurejurando affirmare non poſſe, neque id licitum eſſe Chriſtiano, neque utile hominibus, quamdiu ejuſmodi aſſeveratio neque bonis majus vinculum imponat ſuæ ſervandæ fidei, neque improbis timorem adimat, & eadem cunctis falſis animorum mortalibus modo ſit invitamentum temeritatis, ac velamentum malorum, ac interdum flagitiorum maximorum.* Qua oratione ac moderatione dicendi tantum aberat, ut Howgili liceret conſiſtere contra conſectationem

nem ac moleſtiam ſuorum judicum, ut nihilominus ita crimen conſtitueretur, itaque infligeretur pœna, ut tanquam rei infidelitatis ipſius agri, tam diu quam viveret, & bona mobilia in perpetuum in fiſcum regis addicerentur, ipſeque extra regis patrocinium & omnem curationem eſſet, atque perenni carceris cuſtodia includeretur aſſervareturque. Quod ita factum, ut vir eo in carcere perageret quinquennium, quando ad extremum incipiebat admodum ægrotare, ac brevi morte miſerias ſuas finiebat, inter amplexus atque ejulatus uxoris, multoſque amicos, teſtes & ipſius exitus, & ſui mœroris, propter amiſſionem viri, non ſibi ſolum ſed ſuæ ſocietatis omnibus hominibus cariſſimum jucundiſſimumque. Moriens Deum hominesque teſtificabatur, *mori ſe in ea religione ob quam tam multa erat perpeſſus.* In hac perturbatione atque oppugnatione Quakerorum Parlementum etiam rigidiorem legem ponit, ſancitque, ut Quakeri conceptis verbis apud magiſtratus jurent in ſuam erga regem fidelitatem, & ſummatum regis eccleſiaſticum, vel ſi certa de cauſa nequeunt adduci ut hoc agant, faciant illud, intra annum toto regno excedant, tanquam homines refractarii & rebelles, qui nullam imperii autoritatem agnoſcerent, & vincula humanæ ſocietatis omnia repudiarent atque excluderent. Quo edicto proceres illi jam illis hominibus aperte & ſimpliciter non tantum bellum atque arma, verum interitum atque occaſum

ſuim indicere videbantur. Jam huic edicto anno proximo accedebat malum, quod iſtos homines multo ſuſpectiores infeſtioreſque reddidit, incertum, ortumne ex opinione & hinc rumore ejuſmodi hominum, qui quod non capiunt putant, quod autem putant dicunt, an eorum qui callide hanc optimam viam atque rationem credebant eſſe, ſe ab his hominibus prompte atque ocyus diſſolvendi, an denique illorum, qui ſperabant poſſe ſe in hac turbulenta tempeſtate commodis atque utilitatibus velificari ſuis. Id malum hoc erat. Lata hæc quoque magis magiſque in hos homines culpa, eos fovere, certe latere inter eos, papiſtas, & quidem Jeſuitas, adeo exoſos populo, & hos illorum nomina & perſonas induere, & concionari, & interdum unum eundemque doctorem, uno eodemque die, primum in cœtu papiſtarum celebrare miſſam, ac dein in Quakerorum congregatione, aut depilatum, aut alio celatum capillamento, orationem inſtituere. neque alicubi inter Quakeros inſignis habita oratio, cujus auctor non ferebatur Jeſuita. Et inſidebat hoc adeo in plerorumque animis ac cogitationibus, ut ſi quis id neſciret, is rudis rerum publicarum, ſi negaret, perfrictæ frontis, ſi e ipſe papiſta aut Jeſuita, fallaciis ac mendaciis natus, haberetur. Et adducebant illi quibus hoc figmentum gratum erat, illud propterea fieri à papiſtis, cum, quia hoc pacto juramentum devitarent, ut à quo juramento Quakeri erant alie-

alieniſſimi, adeoque nil jurarent contra ſuæ religionis decus atque emolumentum, tum quod ita ſuis artificioſis aſtutiſque ſermonibus incautos caperent & allicerent. Memoria teneo, me multo tempore poſt, in quadam congreſſione civili Anglorum, inter quos & Quakeri quidam, audire, hos homines queri, etiam tunc tales ſermones de tali commixtione Quakerorum ac Jeſuitarum diſpergi, neque licere contra dicere. Plus dicam. Scripſerunt poſtea neſcio qui Foxes & Firebrandes ſuo genio ac more Jeſuitico, fuiſſe Jeſuitam, ſui loci, qui totis viginti annis inter Quakeros latitaverit atque egerit. Verum quotiens hanc rem ipſos percontatus ſum Quakeros, illi reſpondent, hac re tota nil poſſe dici aut minus verum, aut magis ineptum, neque ſe unquam quicquam experiri potuiſſe, quod ad eam rem accederet, aut eam redoleret. Et tamen infandum, quantopere opinio hæc invidiam atque odium aliorum in hos homines, qui hanc ſectam atque inſtituta ſequebantur, acuebat. Certe non ſic ullus annus notatus ac memorabilis horum hominum perſecutione, quam hic ſupra ſexageſimum quartus. Cum enim neque captivi, neque liberi, illi ut liberarentur, hi quo minus captivis accumularentur, poſſent in eam voluntatem ut jurarent perduci, & ii, qui libere agebant, nequaquam intermitterent ſuos agitare conventus, numero quam interdictum ferebat copioſiori, atque id ſæpenumero, atque adeo longiſſime abeſſent, ut ſolum verterent, & regno

exirent, alibi quidem ſeveriſſime in eos actum, alibi inſuper, cum loca omnia deprehenſis ac captivis repleta eſſent, in exilium mittere, ac ut tetras & horribiles regni peſtes in ultimas terras expellere placuit. Hujus perſecutionis non minimum præbuit ſpectaculum urbs *Londinenſis*, in qua urbe, præter oppreſſionem ac vim quotidianam hominum vulgarium ac viliſſimorum, tum militarium hominum, pro labore hujuſmodi factis exultantium, & nihil ut ſua, ita aliorum vita levius habentium, qui ubique ad congreſſiones ipſis præſtolabantur, juſſu magiſtratus identidem multi, interdum vel centeni, abrepti è concionibus, & acti ut ovium grex, conjectique in carceres, non proximos, non diſcretos, in quibus tamen poterant ſatis tuto, idque miſericorditer aut humano more, ſervari, verum in carcerem unum atque communem mendicorum, decoctorum, ac maleficorum, quem vocant Neoportam, in furum, latronum ſceleratorumque mediam turbam, ut ſocii ejuſdem amentiæ atque impietatis, & fœdiſſima gentis dehoneſtamenta purgamentaque, in quo pecudum ritu coagmentati, coagitatione contagioneque langueſcebant marceſcebantque. Unde quidam, uſque adeo in hoc loco ac conſortio perniciofo ac funeſto coarctati ac perterriti, quo liberiore ſpiritu & aſpectu cœli fruerentur, luci noctuque aut ad impluvia conſtipati hærebant, aut conſcendebant tecta, ubi non ſatis tecti veſtimentis, rurſus aëris injuria ac frigore multum

gra-

gravabantur. Atque ita multi ex incommoditatibus & moleſtiis & defatigatione & fœtore valde debilitabantur morbiſque afficiebantur, quidam totius corporis corruptionem attrahebant, & ſimilem morti, aut ea graviorem vitam agebant, pars cum ferre non poſſent, moriebantur. quorum cadavera, fruſtra requiſita ad ſepulturam à propinquis conſanguineiſque, clam à carcerariis ſepulta. Nonnulli ægri dimiſſi è carcere, malo permanente ac ingraveſcente, mortem non multo poſt occumbebant. E quibus mortuis duo erant, quorum funera nocte concubia, cum paulo ante exſpiraverant, & amici vixdum eos eluxerant & ſe expleverant ac diſceſſerant cubitum, convulſis foribus, ex ædibus extracta à ſatellitibus & miniſtris, miſſis à quibuſdam è magiſtratu, & Chriſtiana ſepultura, invitis amicis, donata. Hortatur hæc res, quam his poſtremis verbis nomino, ut, cæteroquin haut uſurus exemplorum copia, hoc tamen unum addam, inprimis ob rem admiſtam, non indignam cognitu. In inſula *Vecti* in oppido Carisbrokio quidam Quakeri coëunt in ædes Johannis Bishopii, unius ex ea ſocietate & communione. Accedunt ex oppidanis alii, & pleroſque Quakeros manu capiunt, ac ſub ea conditione eos impune concedunt abire, ſi quiſque pro delicto ſolvat dimidium coronaſ Anglici. Quam pecuniam cum omnes recuſabant dare, non propter nummos, quos parvi ut erant, feciſſent, verum propterea, ut non

 lar-

largiendo viderentur illam multam commiſiſſe, atque ita ſe juſte multatos agnoviſſe, omnes conjiciuntur in ergaſtulum. Cum autem id nomen eſſet viro, in cujus ædibus illi homines ſe congregaverant, Biſhopio, quod nomen Anglice notat epiſcopum, ita in Anglia compoſita fabella, & eadem alibi inter exteras nationes publice perſcripta, Quakeros in iſta inſula domum epiſcopi, ejuſmodi præſulis quem penes ſumma & arbitrium rei eccleſiaſticæ, everтiſſe. Aderat in eodem contubernio nominatim *Priſcilla Moſolæa*, viduata fœmina, quæ cum cæteris petita nummos, atque id itidem ita quæſitum ducens, ut non nummi, ſed in ſe crimina viderentur eſſe, adeoque idem communi atque eadem qua reliqui conſtantia rejiciens, in carcerem cum reliquis abducebatur, tametſi debilis atque infirma. Illa non multo poſt in loco illo moritur. Altero die amici, nempe Quakeri, parant ſe, ut funus exportent, & ſeponant in ſuum, quod ſibi comparaverant, cœmeterium. Atqui non ferebat hoc tribunus oppidi, & imperans ſibi hanc poteſtatem dari, curat more Chriſtiano in ſepulchrum recondi, ſummis illorum hominum ingratiis. Etenim non id Quakeri, quod illi ſuos mortuos homines ſepeliebant, reprehendebant, ſed hoc graviter & iniquo animo accipiebant dolebantque, quod ſibi non concrederetur negotium mortuorum, quorum ſibi vita ac res omnes erant commendatæ, atque id poſtremum pietatis officium

à ſe,

à ſe, ſuo ipſorum arbitratu ac ritu, perfici non liceret, & quod ipſorum inimici funera ſuorum tot ipſorum cæremoniis ac circumſtantiis, inter preces quoque & vota ad Deum, tumulo auſpicato ſacratoque inferrent, quam illi tunc appellabant ſepulturam Chriſtanam, & juſtas hominis Chriſtiani exequias. Quæ tamen mira eorum hominum anxietas. Quaſi vero Quakeri his ritibus & his locis ipſi ſua caſta ſanctaque corpora funeſtari crederent, atque ita aliorum ſuperſtitionem horrerent, ut alia ſuperſtitione ſuffragarentur, ſiquidem ipſis confitentibus mortui nullo ſenſu afficiuntur, neque eorum intereſt, quibuſnam locis putreſcant. Porro hi homines illud præſertim indignabantur, ac conquerebantur vehementiſſime, cum illi adverſarii ſuos amicos, qui deperierant, antea, propter ipſorum religionem & fidem & mores & facta adeo devitarent, quoſdam deteſtarentur, atque illi demortui hac conditione eadem ad extremum vitæ halitum perduraſſent, & in ea immorerentur, tamen fuiſſe, qui, quando eos Chriſtiana ſepultura ſepelirent, hoc nomine non ſolum, ſed & honore & memoria Chriſtianorum dignos cenſerent, quin in recitatione ſuarum orationum funebrium ac ſolennium ad ſepulchra, laudarent ut membra Chriſtianæ & ſuæ ipſorum eccleſiæ, ſcilicet retenta ſemper ſua fixa formula verborum. Sed & hæc res hanc rem, ut de ea re dicam, ſuggerit. Id ab ipſo horum hominum ortu iis ſemper viſum

omnino indebitum & indecens probis ac cordatis viris, maximeque Chriſtianis, in celebrandis ſuorum *exequiis* adhibere tantos apparatus, ut magis ſpectaculorum ac triumphorum pompis, quam deductionibus funerum, quibus cum vita omnis mundana gloria evanuit, ſimiles eſſe videantur. Ac nempe ſæpe cohoneſtari tanto ornatu comitatuque, & oſtentatione ſimulatione que tanta vultus ac veſtitus mœſtitiam præferentium, atque interim gaudentium in ſinu, & interdum ubi redeunt, exultantium & bacchantium, & hos conſequi alios, quibus volupe eſſet, ſibi tales ſæpe venire dies, & quoſdam non advocatos, bibaces, guloſos, tamen advolare, & ſe immergere, & perſæpe homines plebejos, tenues, quibus ſumma difficultas nummaria, hujuſmodi ſumptibus indulgere, & totum quod reſiduum eſt conſumere. Contra quam id his hominibus in conſuetudine erat & adhuc eſt poſitum, in ſuorum curandis funeribus ſe modeſtiſſime gerere. videlicet in loca, bene ac ratione accommodata, funera deferre, non in conſecrata, ne quid cum ſuperſtitione aliorum vicini putentur habere, neque ornamenta ulla, neque leſſus luctuſve inſignia ulla, neque atritatem ullam in veſtimentis, præter ſolitum ac quotidianum, adjungere, neque accubationibus epularibus uti, ac tantum ante & poſt, communem mortalitatem, & ſuam cujuſque fragilitatem, & quam brevi tempore quiſque iter illud irremeabile ad æternitatem

poſſet

poſſet ingredi, meditari, & menti ac memoriæ mandare, & ſe mutuo excitare ad ſtudium vitæ honeſtæ ac piæ, ut parem mortis exitum habeat. Atque ut & hoc addam, quod minime ſane omittendum, ſed non ideo multis extendendum, mirum, quantum etiam diſparilis hæc diſſimillimaque ratio ducendi proſequendique odium mortalium, quas adverſus Quakeros tempeſtates contumeliarum ac moleſtiarum conflaret. Referunt illi, fuiſſe cadavera ſuorum refoſſa, atque recondita in loca aliena Id omne perduravit uſque ad annum abhinc proximum, quo anno illa memorabilis peſtilentia graſſabatur, & Quakeris liberum relictum ſua cœmeteria habere, & ut ipſis commodum eſſet officia funeralia exequi. Hæc cum de ſepultura horum hominum dixi, libet hoc factum eorum adnectere. Quidam *Olivarius Atharton*, è paræcia Ormskircenſi, à fœmina comite Darbienſi, ideo quod ei decimas nolebat ſolvere, conjectus erat in communem Darbiæ carcerem. Moritur poſt longam captivitatem. Quakeri cadaver exportant (hoc iis permittebantur) & per aliquot vicos deducunt in pagum, in quo illi fuerat habitatio, atque illic tumulo componunt, & interim omnibus in locis cippis affigunt chartas, cum inſcripto hoc, quo Olivarium laudent ut martyrem, comitem vero lædant ceu ream homicidii: *Hic eſt Olivarius Atherton Ormskircenſis, inſectatus ad mortem à comite Darbienſi, propterea quod ei decimas non poſſet ſolvere* Quare

Digitized by

re geſta comes paucis interjectis diebus ſimiliter obit, & eadem via funeratur, Quakeris hanc quoque mortem, ut omnes ſuorum inimicorum repentinos & inopinatos graviores caſus, trahentibus ad miraculum & vindictam numinis cœleſtis. Sequitur hujus anni nova & ſingularis perſecutio, idcirco paulo latius enarranda. Ea perſecutio *Colceſtrienſis*. Scripſi libro primo quænam in hac urbe fuerit ingreſſio prima Quakerorum. Hi tempore hoc plurimum adaucti indies conveniebant, neque de ſuo illo more modo ullo poterant moveri. Ad quæ primas ſive præfectus urbis primum connivere, dein, illis pergentibus, diſſimulationem hanc quaſi ignominiam accipere, atque de eo cogitare, quid facere deberet, & poſſet efficere, ac poſtremum, iis necdum deſiſtentibus, dolore ardere, & æſtuare iracundia, & omnino graviter perſequendos eſſe ſecum ſtatuere. Formidoloſum habere quempiam iratum & armatum. Dies erat vigeſimus quintus menſis Octobris, dies videlicet Dominicus. Eo die Quakeri in unas ædes multi conveniunt. Id quum intélligitur à præfecto, is incitatus libidine puniendi, accurrit cum ſuis officialibus, & ædeis effringit, irruitque, & incompto, cæterum autoritate gravi, ſermone, ſe ſecundum legem regiam ait venire, ut conventiculum hoc hominum ac conciliabulum diſturbet, & mox ſine mora negotium dat ſuis comitibus, ut quoſdam apprehendant, & deducant in cuſtodias, ac ſimul aliis Quakeris man-

mandat, ut ſuos illos ſocios in eadem loca ſubſequantur. quod illi, non ejus juſſu ac nomine, at ſua voluntate atque impulſu, prompte ac propere agunt. Deinde die nono & vigeſimo iidem adminiſtri, juſſi à ſuo hero, redeunt, & magna fide ac diligentia repetunt idem opus. Cum vero die primo ſequentis menſis atque hebdomadis Quakeri denuo coirent, idem præfectus idem conſilium capit, & ſuſcipit ipſe cum ſuis ſatellitibus eandem rem, & oppugnat atque invadit ædes, ubi rurſus multi Quakeri, non exſpectantes imperium, cujus cognoſcebant voluntatem, abeunt in eaſdem cuſtodias. Et quoniam die decimo cæteri nihilo minus ſuam conventionem continuabant, venit, aut juſſu, aut certe permiſſu, præfecti, pars turmæ provintiæ, & hi cum impetu in cœtum irrumpunt, & alios capiunt, captoſque ducunt in carceres, alios feriunt ac contundunt, ac porro locum ipſum depopulantur, & ſubſellia, ipſas feneſtras, cuncta, præter parietes ac tigna, ſpoliant aut diripiunt. Quo peracto præfectus unum de tribulibus, habitantem non procul à domo, in quam Quakeri ſe congregabant, collocat propter domum, qui eos ab ſua illa congreſſione verbis miniſque prohibeat, ſi non ex una calamitate velint incidere in aliam. Cui viro cum illi nollent reſiſtere, omnes ante domum in platea ſub dio perſiſtunt, & quiete ſuo more ſuam religionem colunt. Facit idem janitor ac cuſtos hoc diebus ſequentibus, faciuntque

que idem quod antea hi ipſi homines, nil ſolliciti, quibus non modo aëris incommoditatibus, ſed & ſuorum inimicorum contumeliis atque injuriis eſſent expoſiti, quibus ab ſuis inſidiatoribus periculis circumſeſſi, & ignari, quantum ſibi hoc tempore ipſo ob ſuam hanc pertinaciam ac perſeverantiam, mali pararetur. Namque cum illi à ſua conſuetudine inſtitutoque haut deſiſterent, ventum, quaſi invalida ac deſperata lege ac judicio civili, ad jus, quod poteſtas militaris ac armorum vis conſtituit. Inſtruitur equitum turma quadragenaria, lecta robora virorum. Hi parati gladiis & catapultis ſive ſclopis, & minoribus & longioribus, ut ſolent, præſto adſunt, uti, ſi illi denuo id facinus occipiant, extemplo in eos impetum faciant, ac militariter in eos agant, modo ut non continuo occidant. Illi etiam occœptant die quinto menſis decimi. Ibi cohors illa quadragenaria appropinquare, viſiſque Quakeris, è veſtigio, diſtrictis mucronibus, velut acres milites, tanquam in armatos hoſtes, ſed quos pauci adſpexerant, ita in illos accelerare præcipitante ac quadrupedante velocitate. Tum magno clamore, ſicuti hoc ſigno dato, *pro diabolum quid agitis hic!* ſinguli ſingulos aggrediuntur, & enſibus ac ſclopetis, qua parte quid poterant attingere, feriunt, tundunt, ac partim ſauciant, neque juvenili ac teneræ ætati, neque muliebri ſexui, non canis ac rugis, parcunt. Fugantur è vicinia in viciniam. Quidam etiam

etiam obvii, qui exiſtimabantur Quakeri, etiam longe à loco remoti, ex itinere capti praveque excepti. Quidam qui ſalvos ſe ad ſuos receperant è terrore & fuga, in ſuis ædibus, foribus effractis, oppreſſi. Necdum illi animum coëundi abjiciunt. quin poſtera die revertuntur. Sic denuo approperant equites eodem numero, armati, præter eadem quæ dixi inſtrumenta, pars clavis bene capitatis Et hi homines illos adoriuntur, & proſternunt in terram, & cædunt, contunduntque omnia membra, tanta vehementia, ut multis ſanguis efflueret, quidam ſimiles mortuorum jacerent, & mortem adiiſſent, ſi non cives, moti miſericordia, in ſuas domos recepiſſent ac curaviſſent, quidam ita affecti, ut manum ad os adferre nequirent, quin nullum membrum ſuum officium etiam longo tempore facere poſſet. Unus eques erat, qui uni ex illis inferebat enſem, tanta vi, ut laminam è capulo excuteret, quam ille Quakerus apprehendens ſuo percuſſori reddit, &, *en tibi quod tuum eſt*, inquit, *at ego quidem, quod noſtrum eſt Chriſtianumque, Deum oro ac veneror, ne hujus diei opus ſit tibi oneri.* Ita ex una parte ſævitia ac furor, ex altera conſtantia ac lenitas videbantur certare. Necdum illa vis horum hominum conatus ac ſtudia poterat reprimere. Sic rurſus die alio conveniunt. Verum ita quoque rurſus miſſi iſti iidem viri, habiti jam optimi ac certiſſimi caſtigatores ac vindices horum hominum, qui more ſolito invadunt, & accipiunt.

& dum Quakeri, qua unuſquiſque poterat, petunt fugam, illos perſequuntur, uſque in illorunt hominum ipſorum domos. Cumque hi homines neque adhuc à ſua cupiditate atque inſtituto poterant depelli, & illi die ſeptimo & vigeſimo de novo conveniunt, accedit illa eadem cohors equitum, & prius quam in cohortem Quakerorum agunt, præſidium in introitu viarum collocant, qui claudant exitum. Quo facto equites numero triginta ſex erumpunt, & ſuis ſclopetis atque clavis iſtorum hominum & artus omnes, & ipſa capita, ad tot ictus validiſſimos, quidam ad centum uſque, percutiunt, ut vix pars corporis vulnere aut contuſione vacaret. Et quum eſſent, qui, ut horum effugerent manus, exitus viarum quærerent, hi jam in iſtos incidebant excubitores, à quibus non levioribus plagis fuerunt dimiſſi. Inter hæc hi omnes reprehenſores punitoreſque tot ac tantas maledictiones atque execrationes miſcebant, ut Quakeri, homines ore admodum parco & timido ac verecundo, aſſererent, ſe non ita ferro ac fuſtibus in corpore, quam impiis vocibus eorum in corde læſos fuiſſe. Jam hi homines his malis omnibus ſic obduruerant, ut non modo ne minimum quidem iis commoverentur, verum etiam quicquid ita paterentur, id jucundum ac glorioſum, utpote martyrium pro ſua religione, arbitrarentur. Quamobrem adhuc alio die numero ſexaginta, animo conſtanti ac certo, conveniunt, omnes omnium cru-

Digitized by Google

cruciatuum acerbitates exſpectantes. Quo tempore cohors partim equeſtris, partim pedeſtris, ex improviſo, inflammata furore, pertumultuoſo, turbido ac reſonante clamore provolat, ac quenquam nanciſcuntur, ſuis iiſdem inſtrumentis ſternunt humi, & quoſdam ita pulſant & verberant, itaque infirmos ac debiles reddunt, ut multo tempore membra ad ſui corporis uſum commovere non poſſent. Neque hoc exitu hi homines adducti ſuum ut conſilium ac inſtitutum mutarent. Quare iterum illi quadraginta viri in eos miſſi. Qui reputantes eos nullo pacto compelli per vetera inſtrumenta, nunc clavarum ſuarum capitibus clavos ferreos præacutos infigunt, quo eos repellant, & redeuntibus Quakeris animo pervalido, menſis undecimi die ſexto, in eos irruunt, ac maledictorum inter clamorem omnem, omnes omnibus partibus feriunt, & alios disjungunt ac diſpellunt ab aliis. Hic quædam vidua, & anus, corporis locis duodecim, alia mulier renum tenus vulnerata. Perſeveraverat perſecutio hæc ſex ſeptimanas. Ab illo tempore præfectus urbis varie cepit agere. Et primo quidem priſtino more, verum comitatus nunc judice quæſtionum (Angli vocant Recorder) & aliquibus ſatellitibus adit loca, in quibus Quakeri porro coibant, perrumpitque & intrat, & ſimul atque aliqui è Quakeris introeunt, diſpellit. Alio tempore leniori remedio utens, mandat, idque, ne non confieret, tanquam nomine

ſemper convenirent. Imo quaſi omnia infortunia non ad reprimendam aut exſtinguendam, verum ad confirmandam atque excitandam audaciam, facerent, ita tantum aberat, ut illi tot calamitatibus oppreſſi obtorpeſcerent, ut etiam à minimo ad maximum adverſus magnitudinem ſuppliciorum obdureſcerent atque viviſcerent. Viſus erat carcer optimum remedium coërcitionis. At vero ita omnes, & in perpetuum, retinere difficillimum. Itaque quod unum videbatur ſupereſſe, ventum eo, ut illi non ſolum ſuis tectis ac ſedibus, ſed etiam toto regno ejicerentur in novi orbis regiones, tamen ſubditas Anglorum genti, atque illic inter ſervitia gentis barbaricæ collocarentur, & eorundem ſorti ac labori addicerentur, qui neque lenitate, neque atrocitate pœnarum commovebantur, & deſperatione omnia continentiæ ac reverentiæ clauſtra ac repagula perrumpebant inter Chriſtianos. Ita fere uno eodemque tempore in variis comitiis ac foris factum ſenatus decretum de Quakeris captivis, nempe illis refractariis, qui neque carceres, neque ullum judiciorum genus reformidabant (& erant qui ter, quater, quinquies demiſſi, continuo ad ſua anteacta negotia recurrebant) amputandis a reliquo corpore illorum mortalium, atque *tranſducendis* in inſulas *Barmudum* & *Jamaicæ*, in quibus ſatis firma præſidia ac propugnacula contra ipſorum ſtudia atque incœpta eſſent, neque ſuſpicio ulla periculi, quod ab ipſis proficiſceretur, eſſe poſſet.

Et

Et quo omne ſubſidium ac levamentum maritale & uxorium, & ſpes quoque amoris conjugalis tolleretur, factum conſultum, ut mares ac fœminæ ſeorſum in diverſa loca transferrentur. Tempus tamen exilii non ultra annos ſeptem conſtitutum. Poſtremum & hoc lege illa trajectitia permittebatur, ſi quis pro offenſa penderet pondo centum ſterlingiana, huic immunitas ab illa traductione daretur. Verum talem unquam extitiſſe, qui id tentarit, ne fama quidem ac verbo auditum eſt. Atque hic duo tantum exempla expromam, unum ideo quod primum, propter inſolentiam haut prætermittendum, alterum ob loci ac judicii rationem clariſſimum. Contigit id primo in comitatu *Herefordienſi*, in urbe prima dicta eodem nomine, ubi viri unus & viginti, quorum ſexdecim conjugio jucundiſſimo juncti, & patres familiarum amantiſſimi atque cariſſimi, concluſi carceribus, propter crebras in unum congreſſiones ad ſua exercitia ſacra, prædamnati in conventu comitatus ante peracto, nunc in conſeſſu ſuper regionem unamquamque convocato, condemnati ad hujuſmodi deportationem. Hic referentibus Quakeris, cuncta dicis cauſa acta, quaſi, ne qua rei, & nuper illo præcedenti concilio, & toties alibi judicatæ, reſciſſio, ac damnatæ reſtitutio fieret, & res ea non ultra defenſionem ullam reorum, at judicum promptum officium & expeditionem requireret, atque adeo omnis controverſia breviter tranſacta. Ante-

Digitized by Google

jurati teſtes ſe Quakeros, quum uno eſſent in loco, è quo abrepti erant in carcerem, vidiſſe quietos ſine loquela aſſerunt. Id cognitores jurati ſtatim amplectuntur ac ſequuntur, & homines peccati hoc digni ſupplicio adſtringunt. Illi non multum diſputant, ac illud modo dicunt, ſe quales omni tempore, etiam tunc conveniſſe, non ad tumultum, non ad modum indecorum. Sic judicii princeps *Henricus Chanaus* ſententiam in eos curiæ de tranſportatione pronuntiat, animo, annotantibus Quakeris illis qui circumſtabant, pronis videlicet hominibus ad quidlibet obſervandum ac commemorandum, valde commoto, & ore languido, quaſi mentem res, verba linguam feriiſſent, ipſeque metu ſuccubuiſſet. Utique mox Quakeros omnes interrogat, utrum ſe velint liberare, ſinguli præmio conſtituto, & iis ad deliberandum dat uſuram noctis. Ea nocte ab hominibus illis abſumpta, ut ipſi ſcribebant, non conſultatione, at ſomno, & quidem placide dormiendo in utroſque oculos atque aures, utpote ſibi ut rebantur, nullius mali conſciis, ac per hoc vacuis metu, ac paratis ad omnia quæ evenirent, ortoque mane, coram adducti, atque idem quod heri rogati, tale reſponſum judicibus reddunt, *ſe nil perſoluturos eſſe, neque, ſi ſibi centum ſint vitæ, velle, etiamſi queant, centum obolis redimere.* Sic læſis laceſſitiſque viris illis, horum vita virorum pœnæ iſti illorum oblata eſt. Celebrata paucis poſt diebus quædam comitia curi-

ata ſuper negotium hoc Quakerorum *Londini*, ea ſcilicet in urbe, quæ ut caput regni repræſentabat, ita conciliorum omnium dignitatem tenebat. Horum comitiorum varia quidem actio ac judicatio, at fere par exitus fuit. Incluſis abditiſque perpluribus Quakeris, propterea quod domi ſe tenere ſuiſque concurſionibus abſtinere non potuerant, & protractis è cuſtodiis adductiſque gregatim in judicia, id in unoquoque judicio omnibus datum crimini, quod legibus regis non obediverant, quod concionarii plures ſemper quinis convenerant, in contemptum regis ac legis, quod, etiamſi convenirent ad colendum Deum, is cultus non erat juxta eccleſiæ Anglicanæ liturgiam ſive normam, quod concurſus hi ſpectabant quidem ad eorum inter ſe concordiam, ſed hæc concordia tendebat ad excitandam diſcordiam ac ſeditionem inter cives. Hic autem qui in his comitiis de Quakeris deferebant ac teſtabantur apud judices, vix alii erant quam miniſtri ac ſatellites magiſtratuum, partim etiam ergaſtularii, ſed qui nil aliud teſtabantur, quam ſe homines illos in eorum conventibus deprehendiſſe, neque tamen quod eſſent locuti verbum ullum audiviſſe, aut ſe homines ab iis miniſtris ſibi traditos in manus recepiſſe, quidam vidiſſe ſe Quakeros apprehenſos abductoſque conſidentes in carcere. Atqui heic Quakeri ſe una fuiſſe non negabant, at id, quod una fuerant ad tale facinus adeo enorme, aut in regis ejuſque imperii contumeliam, quorum

rum criminum arguebantur, ob quæ in tantum periculum arceſſebantur, hoc vero probari petebant contendebantque. Neque inficiebantur hoc, ſe numero majori conveniſſe, verum ſi in hoc regis imperio minus paruiſſent, illud excuſatiſſime factum à ſe affirmabant, quod aliud regis ſupremi Dei imperium accepiſſent, cujus inprimis imperio, & ſoli voci obtemperandum eſſe, neque rex, neque quiſquam homo inficias iret. & quod ſibi objiceretur de liturgia Anglicana, ita regerebant, quod ſi ea ipſa quoque aliquid contrarium divino mandato præcipiat, eſſe eandem rem quæ ſit mandati regis, ac eatenus omnino regulam habendam non eſſe; nunc neque liturgiam illam vetare, imo præcipere, eo pacto, ut ipſis in more erat poſitum, Deum venerari ac colere, nempe in Spiritu ac veritate. Jam neque inquiſitores jurati, auditis ac cognitis omnibus, quæ ad ſtatum attinebant juridicialem, ubique æque libera lingua, ut quod vellent poſſent pronuntiare, neque ubique æque prompti, etiamſi poteſtas eſſet liberi arbitrii, quidam, ut in re involuta, dubii atque incerti, nonnulli ut in cauſa omnium maxima recuſantes ac refragantes, illi quid cenſerent, hi ut quicquam decernerent. Atqui hæc comitiorum omnium ſive judicum mens erat, hæc ſententia, iſtiuſmodi conventus religioſos omnes, qui non congruerent cum Anglicana eccleſia, qui illum excederent numerum, hominum quinque, eſſe illicitos, & hos Quakeros,

 quic-

quicquid id fuiſſet, aut eſſet unquam, quod illi egiſſent aut acturi eſſent in ſuis cœtibus, ſive bene ſive male, ſingulariter tales celebraviſſe, & ſolere celebrare conventus, neque in hac re, cum facti negatio nulla eſſet, ullam attenuationem eſſe, ac propterea eoſdem cunctos noxam capitalem admiſiſſe. Cum autem horum hominum quidam matrimonio conjugati eſſent, quidam eſſent immunes, in unis quidem comitiis illi multatione aliquot pondo, aut ergaſtulo ad ſolidum annum, hi tranſportatione in inſulas Americanas illas ad colonias iſtas ſerviles ſunt condemnati, in aliis omnes indiſcriminatim uno illo exilii ac relegationis ſupplicio damnati. Quod ita tamen rurſus accidit, ut damnatis in quibuſdam comitiis optio daretur, in unis quidem omnibus, in aliis puellis ac pueris, ut ſi pœnam illam horrerent, eligerent, ſi mallent, eccleſiæ Anglicanæ templa adire, ac frequentare conciones. Quam rem nemo erat qui non aſpernabatur. Cui quidam id reſponſi addebant, mirum eſſe, judices tale quid proponere, cum nullus eſſet qui non intelligeret, ſi quis Quakerorum eo accederet, ut publicas conciones adiret, eum non ex animo hoc, ſed ſimulate acturum, atque ita quod peccatum in religione turpiſſimum & intolerandum, perpetraturum eſſe. Sic cum omnes in hac conſtabant ſententia, etiam judicum manebat ſententia damnatoria. Habita prima comitia menſe Octobri medio, præpoſito judicio *Guiljelmo Proctore.*

re. Hic cognitoribus juratis magna moleſtia erat cum judicibus, antequam ſe accingere ad inquiſitionem poſſent. Damnati pœna iſta tranſductionis duodecim, partim viri, iique cum bene barbati, tum barbatuli, partim mulierculæ, inter quas una puella nondum annorum ſexdecim. Alia eodem menſe habita comitia præfecto judicii *Roberto Hidæo.* In iis quoque comitiis cognitoribus, cum in deliberando ſe non ſatis ad voluntatem judicum conformabant, multum negotii exhibitum. Dein poſtquam hominum, de quorum re quærebatur ac diſceptabatur, factum & cauſam & leges aliquamdiu contendiſſent, una ſuorum omnium ſententia declarant, homines alicujus conventiculi reos eſſe, ſed utrum ejuſmodi conventiculi rei ſint, quod pugnet cum conſuetudine rituali publicæ eccleſiæ, aut cujuſnam intentionis vel obtentus rei eſſent, illud inter ſe non liquere. Quibus verbis cum illi ſe illo judicatu putabant ſolutos eſſe, judices cum aliquibus cognitoribus multum incipiebant litigare de Quakerorum religione, & acri oratione ac fronte iis interminari poſtremum è viris illis duodecim ſex, ne ſic quidem ab officio, quod ſuum maxime eſſe exiſtimabant, deflectentes, neque quicquam pertimeſcentes, ob perſeverantiam hanc in conſervandis hominibus, citare ad tribunal regis, illic ut rei a ſe geſtæ rationem redderent, & concilium ad id temporis dimittere. Sic res ea conſultatione non peroratur. Nihilominus ſenatus eodem die revocatur reditque. Judex Hi-

Digitized by Google

dæus non apparet, venitque ejus vicem ſuſtinens urbis præfectus. Decernitur, nemine reclamante, in reos omnes, ut tanquam patria indigni, in eaſdem terras ultimas avehantur. Puer erat, nondum eum ætatis annum agens, quo puerile veſtimentum exuerat, qui rogatus à quodam, velletne jurare, ſe non attingere annum ſextum decimum, cum per ingenium adeo ſcienter ac graviter reſpondere non poterat, non eſſe homines ullos, qui ſuæ nativitatis habeant memoriam, reſpondebat, ſe ad juramentum educatum atque inſtitutum non eſſe. Damnati judicio hoc ad hoc idem, quod dixi antea, ſupplicium undeviginti. Rurſus alia comitia habita menſe Decembri, præſide viro eodem quem proxime nominavi. In his damnati ſine ulla varietate ſententiarum, ut iſthoc modo à ſua patria, ſuiſque omnibus avellerentur, numero ad duos & triginta. E quibus unus prognariter ſe velle aliquid è judicibus ſciſcitari ait. Illi annuunt. Dicit eſſe eos ſine dubitatione judices, qui ei, ut aliis, de rebus dubiis ferant judicium ac dent conſilium. Confitentur. Quærit, cum hæc ſuæ condemnationis ſit cauſa, quod ſemper congregationibus Quakerorum intereſſet, ad publicos cœtus accederet nunquam, & cum ad unum juſſum impelleret Dei, ad alterum mandatum excitaret hominum, quidnam judices cenſeant ipſi audiendum eſſe, quid conſuadeant faciendum. Judices tacent, ſive quod reſpondere contra mentem non auderent, ſive quod legem ſemel poſitam, ac tot judi-

Digitized by Google

ciis confirmatam, ſuo judicio arroganter pervere-re ac tollere videri nollent. Quidam, quod & in aliis comitiis factitatum, ante & poſt, tum ipſi, tum per curatores in litem, poſcebant ſibi dari apographum ſententiarum judicum, ut ſibi copia eſſet perſpiciendi ac dijudicandi, & diſtincte ad unumquodque reſpondendi. Sed & hoc iis judices denegabant, ne prolatando, ac per hoc in ſpeciem ſuſtentando, repugnare legi viderentur. Quamobrem etiam quidam, ſimul atque aperirent os, ad ſuam cauſam defendendam, eodem puncto temporis abducebantur. Ita judices hi mox proficiſcebantur ad ea, quæ ſtatuebant eſſe judicum. Adhuc celebrata comitia eodem menſe, eodem judice primario. Et hic itum quidem in judicium, ſed ita, ut, cum hic quoque homines adducti ſe congregatos fuiſſe non negarent, ejus facti confeſſio loco criminis confeſſionis haberetur, ac homines illi uſitata jam pœna continuo damnarentur, neque à quoquam obviam iretur. Vidua erat eademque mater trium liberorum, quæ inter cæteros, qui ſe non de conventu, verum de modo ac jure purgatos judicibus eſſe volebant, clamabat, ſe indigniſſime accerſiri, non modo criminis, ſed etiam facti, atque idcirco fœdiſſime & impie haurire ſe tantam calamitatem; propterea quod tantum adſtiterat ad fores ædium, in quibus Quakeri, ſui tamen amici ac ſocii, erant præſentes, neque adhuc intrarat, & quod miniſtri ac ſatellites comprehenſam in ipſam do-

Digitized by

mum attraxerant. Quo audito quidam è multitudine reorum cognitores, ut quorum, ſicut abſque juramenti datione nulla judicii dictio, ita dato juramento ſumma eſſet in jure dicundo cautio, compellant ac monent, *attenderent illum ſupremum judicem præſentem per omnia Deum, & judicem iſtum domeſticum conſcientiam, neque ſe uſurpato excuſandi genere, tempore ac neceſſitate, tuerentur, aut quadam re alia conſolarentur.* Quo ſcrupulo ac timore injecto, quidam reſpondent, eo nunc ventum, ut quicquid agant nequeant juvare. Hoc judicio viginti damnati ejuſdem pœnæ abductionis ſeveritate. Iterum alia celebrata comitia menſe ejuſdem anni undecimo, ſive Januario, eodem qui ſupra præſide, quaſi hujuſmodi judicio omni jam ad eum unum delato, ut præſertim verſatum ac præclariſſimum in hoc munere. Hic proſcripti triginta duo, pari ratione, ut toti à ſuis & ab omni ſocietate ſuæ gentis atque amicitia abalienarentur. Ultimo etiam poſtremo ejus anni menſe Februario celebrata comitia duo, altera judice primario conſiliario *Wachtono*, in quibus homines viginti quatuor, altera judice *Windhamo*, ubi decem viri ac fœminæ damnati, ut more ſolito foras ejicerentur, quibuſdam tum hic, tum illic nequicquam defendentibus ſe, ſe illo tempore, quo erant delati & accuſati fuiſſe in hoc illo conventiculo, ab locis iis longiſſime abfuiſſe. Ita quidem in una urbe, at domicilio totius regni, tot numero, omnes ac ſinguli, tanquam homi-

Digitized by Google

homines importuniſſimi & flagitioſiſſimi contaminatiſſimique, judicati ejus ſupplicii, ut pellerentur in iſtas remotas ac ſolas terras, ad illas ſerviles & quotidianas operum exactiones, tanquam optimam cuſtodiam ad repagulum firmiſſimum. Simile in aliquibus horum comitiorum atque in Herefordienſibus notant Quakeri, fuiſſe, qui, dum latam in Quakeros ſententiam prælegebant, eam eo animo conſternato, & ea hæſitante & ſubmiſſa voce proferebant, ut è magna multitudine, quæ aſtabat, nullus eſſet, qui quid dicerent aut ullo modo, aut diſtincte cognoſcere poſſet. Tum referunt de primo in his comitiis delatore ac teſte in hoſce ſuos homines, illum ex tempore illo, quo ſe ita ſubjecerat aut præbuerat, vix mente tranquilla & ſano corpore fuiſſe, & comediſſe parum, & brevi extabuiſſe. Quod illi illorum metus ac cruciatus, & Dei iis infenſi, ſignificationem interpretabantur, perinde ac homines quæ rebus ſecundis aut æquabiliter fluentibus inobſervata prætereunt, eadem improſperis obſervate curioſeque animadvertunt, ſæpe aliorſum trahunt, atque ut ſigna irati ac factis mortalium adverſantis Dei accipiunt, aut in ſuum ſolatium vertunt. Non expreſſi nomina horum calamitoſiſſimorum hominum, ideo quod ſingula nominare longum, quædam, ſive in hac re aliqua gloria, ſi e dedecus inſit, invidioſum foret. Ingens afflictio, vix conſolabilis, horum hominum, quæ, ut omnis non ſolum infacundos, ſed etiam infantiſſimos

reddit loquaces ac diſertos, hos homines, cæteroquin in rebus multis, etiam ſuis, elingues, in adverſis loquaciores, in præſentia omnes loquaciſſimos faciebat, & has voces acerbiſſimas ubique ex ore tum illorum ipſorum, quibus malum hoc comparatum erat, tum amicorum ac neceſſariorum communium, illorum ſortem affectu humano fraternoque ferentium, eliciebat. *Æquum eſſe, ut qui male agunt mala patiantur; ſe, cum nemini mortalium offendant, offenſionem omnium incurrere. Imo quod cuncti in ſua pari cauſa ſibi laudi habent, ſibi hominibus vitio, ac maximo, imputari, & quod illi dignum ſummo præmio ducunt, ſibi ob id pœnas intolerandas infligi. Eam rem ſuam in religione ac fide conſtantiam eſſe. Videri converſionem, quæ in admirationem & ſe, & bonos ac ſapientes omnes convertat; quod olim ſceleratum habitum facinus, id nunc virtutis teſtimonium obtinere, id poni ac ſanciri lege, olim exiſtimata contra legem omnem divinam ac humanam. Juxta hanc legem videlicet accuſari, perquiri, damnari innumeros homines ab infenſis teſtibus, cognitoribus, judicibus, paucis exceptis, qui tamen dum nolle ſe ſatis indicant, illud nolunt exerte dicere, neque ſe aperte opponere. Modica moderate ferri. Nunc ea toleranda eſſe, quæ adeo dura, ut cruciamentis carnificum graviora ſint, atque ut mors ipſa, etiam crudeliſſima, in beneficii loco eſſe poſſit. Quæ Deus atque natura artiſſime jucundiſſimeque conjunxit, conglutinavit, omni majore tormento ac dolore ineffabili divelli, dirumpi. Eam rerum amiſſionem, illam*

illam deſperationem recuperandi eſſe. Nempe ſic homines, inter ſe cariſsimos atque amantiſsimos, averti atque alienari, ejici, propelli patria, domo, familia, contubernalibus, conſanguineis, amicis omnibus, tota ſocietate; imo rapi conjuges à conjugibus, parentes à liberis. liberos, infantes, à complexu, è ſinu, è gremio parentum, lactenteſque à mammis matrum diſpeſci. Et hos homines, liberos, Chriſtianos, redigi in ſervitutem, detrudi inter immanes ac barbaras gentes, nulla neque divina neque humana officia recognoſcentes. Sic libertatem communem, partam tanto labore, tanto ſudore, tanto ſanguine & vita majorum, & poſteris traditam, & ut ab iis receptam, ita conſervandam ut rem pretioſiſsimam, ac niſi cum vita relinquendam, iis in terris, quæ libertatis jure conſtant ac gaudent præ aliis, violari. Sic eandem ſenſim impediri, immutari, imminui, ut juſta ſubſit cauſa cogitandi, ut cum nunc unorum ſunt vices, eadem quandoque fiat ſors omnium, & cuncti, etiam qui nunc adeo ſerio exultant, ſero deplorent. Cæterum quodſi hæc res tota, quam expoſui, non indigna fuit memoratu, & id operæ referre ac cognoſcere, quis ejus rei fuerit in pleriſque iſtorum hominum eventus. Horum Quakerorum, in quos lata talis ſententia, ac pœna tanta conſtituta, ut ita à ſuis ſedibus & focis & fortunis omnibus abſtraherentur, & eædem executioni cœptæ mandari, primi fuerunt illi ſeptem primi viri, ante reliquos ad id condemnati in comitio ac foro Herefordienſi. Hi per ergaſtularium tradu-

cti Londinum, ut conjicerentur in navim, quæ navis ſolveret è Tameſi, peteretque inſulam Barmudum. Ubi vero ea de re actum cum naviculatore, is, credens homines eſſe inſontes, neque ſibi eſſe integrum, ſuos conterraneos, ipſis invitis, avehere, ſe negat facturum. Quæ repudiatio adeo gravis viſa eſt, ut ille bonus vir daretur in carcerem. Tum vero dimiſſus, plus reſpiciens etaim illorum miſerorum atque innocentium quam ſuum incommodum ac detrimentum, iterato negat, ſe tam inhumanum facinus, tam præſertim inhoneſtum ad famam hujus nationis, commiſſurum. Unde exercitores navis, qui pro traductione hominum ſuam jam fidem interpoſuerant, quo eam liberarent, virum navis adminiſtratione deponebant. In quo illud mihi in mentem venit dicere, fuiſſe tunc mercatores alios, qui cum alteri adeo iſti nautæ ſuccenſuerant, ut hominem amoverent, illam pertinaciam viri accipientes ut in bono officio ac pietate conſtantiam, & ut fidelitatem in ſua opera omni, eum alii ac præſtantiori navi præficiebant. Sic Quakeri iſti novo nauclero navi ſuperiori præpoſito traduntur, ducturo eam & eos in Barmudes. At vero & is quoque vir paulo poſt ſuo animo recogitans, qui iſti homines eſſent, ſui facti pœnitentia incipiebat tangi, & homines infelices ac flebiles, è quorum traductione ipſi parum poterat venire, præter odium & ignominiam ſui nominis, miſſos facit, data ſua manu ſcripta epiſtola pro teſti-

teſtimonio, eos à ſe è navi dimiſſos fuiſſe, non aufugiſſe. Illi ex continenti pedibus contendunt ad ſuas domos, ubi adeo quidam ex amicis, propter adventum hunc, gaudio erant effuſi, ut non aliter quam ſi ſui illi quam maxime tinnirent, ac quendam theſaurum auri apportarent, non ſolum pectus digitis, ſed etiam campanam pulſarent. Quo ſigno magiſtratus quoque pulſati conveniunt, & cognita re, unum è ſeptem iſtis viris ad ſe venire jubent, ac poſtea quam qui cum omnibus conſtitutum ſit, intelligunt, curant eodem numero reduci Londinum, atque alii tradi nauclero, is ut, tranſmiſſurus mare, eos in eas trajiciat oras Atqui etiam hic vir mare ingreſſus, de ſuis illis captivis, non dedititiis, cœpit cogitare. Idem fit à ſociis navalibus, hominibus non tam natura atque inſtitutione, quam ſua ſorte, & uſu ac ſenſu incommoditatum, fere omnibus aliis hominibus miſericordioribus, ac in ſublevandis miſeriis ac periculis aliorum exorabilioribus paratioribuſque. Præterea revocant omnes in memoriam id, quod ſæpe cum populo audiverant, legem in Anglia antiquam eſſe, dictitantem, ne ullus Anglus invite à ſuo natali ſolo exportetur, & ſi quis exportet, is grandi pecunia multetur, & ſimilem legem eſſe in inſula Barmudum, ut ſi quis hominem Anglum hac injuria afficiat, atque in eam deportet inſulam; ille ejuſmodi luat pœnam, quam viſum erit rectoribus imponere. Quare negabant poſſe ſe, tum ſui animi conſcien-

ſcientia, tum jure, legibus iis quæ utrobique obtinebant, tale quicquam cum iis hominibus incipere. Huic accedebat, quod, cum navis jam navigaret in alto, longo tempore omnia navigationi erant gravia & adverſa. Quod nautici, demum timidi, ac per hoc magis ſuſpicaces, nunc, more imperitæ multitudinis, ex re omni inſolita omen ſiniſtrum ac malum augurium capientis, accipientes ad certum ſignum divinæ in ſe indignationis, nauclero confirmant, ſi is nollet hos homines dimittere, ſe nolle navem ducere, atque navigationem hanc conficere. Ita poſtquam venerunt juxta inſulam Vectim, capiunt conſilium, homines hos exonerandi in litus. Ut autem tum ſui facti, tum illorum hominum reditionis, rationem probarent, ſcribunt epiſtolam, in eaque quas ipſi habeant exponendi cauſas declarant, & illis hominibus impertiunt teſtimonium, eſſe iſtiuſmodi, quorum in converſatione ne veſtigium quidem malitiæ animadverterent, neque vero fugitivos eſſe, qui occulte aut per vim ſe eripuiſſent, & eam epiſtolam per certos homines in ima cera faciunt ſubſcribi, atque ita tradita epiſtola dimittunt. Illi vero non ſuas domos, at Londinum repetunt. ubi ut refugæ ducti ad ſenatum regium, verum oſtentantes ſuas literas, ſine quibus crimen capitale fuiſſet morte puniendum, juſſu ſenatus in communi cuſtodiuntur, donec alia opportunitas traducendi eos adveniret. Poſt hos tres è Quakeris Briſtollii eodem fine in navem

vem imponuntur. Verum & hos nautæ, itidem cauſam eorum & caſum lugubrem intuentes, ac permoti eodem, tum affectu illo, cui è dolore cordis ob miſeriam aliorum quæſitum nomen miſericordiæ, tum legum metu, deponunt, data quoque in manum epiſtola ac teſtimonio, in tutamentum ab omni inſimulatione, quaſi nulla abeundi poteſtate facta dilapſi eſſent. Mirum, Quakeris miraculi inſtar habitum, conjiciuntur poſtmodum & hi omnes Quakeri, & plures alii, in quos eadem ſententia de tranſmiſſione pervaſerat, in navem, ut jam ſatis præſidio munitam ac jure vallatam, qua certo in ea, quæ ſemel indicta erant, loca tranſmigrarent. Hanc navem, nunc ingreſſam iter, capit navis Hollandorum, myoparo validus ac ſtrenuus, videlicet in illo vehementi ac gravi bello, quod tum gerebamus cum Anglis, & captivos, & Quakeros hos, huc terrarum abducit, eo exitu, qui quomodocunque his viſus hominibus, vel ideo commemorabilis, quod poſſit eſſe ſpectaculo viciſſitudinis rerum humanarum. Scilicet ex his Quakeris quidam ad priſtinas reverſi ſedes, nihildum mali expaveſcentes, aut tam minime abhorrentes, quam animus ipſorum, ne nihil non pro ſua religione auderent, maxime impelleret. Alii in his regionibus collocant ſedes, eas ſuarum ætumnarum perfugium & arcem ponentes, & exiſtimantes ſatius eſſe, miſerias auribus, quam oculis percipere, & ſcire quam ſentiſcere. Atqui

qui & horum quidam redacti ad hanc peregrinitatem, neque multum unde ſe ſuſtentarent habentes, tamen ſuam paupertatem patienter ferre, & vitam ſecuram agere in his locis alienis, quam dubiam conditionem in patria formidoloſa aut ſequi aut experiri præoptabant; quidam inopes ita tempore procedente ſuas res domeſticas augebant, ut hanc ſuam antecedentem inſectationem commutationemque magni compendii ac lucri loco haberent; denique erant qui præter ſuas familiares res, etiam negotia illorum hominum ſectæ ita curabant in his oris, ut alicubi novi cœtus initium, paſſim totius ipſorum eccleſiæ præcipuum fulcimentum atque ornamentum exiſterent, cum ante inter ſuos tum opum, tum exiſtimationis ratione, in nullo numero eſſent, de quibus ipſorum amici ac ſocii non verebantur prædicare, eos ita jactatos & expulſos & huc delatos fuiſſe, ut ratio cogeret fateri, in eo divinum conſilium & auxilium fuiſſe, & munus inſigne propter bonum præſtantiſſimum, & accidiſſe nimirum illis idem quod arboribus ac plantis, quæ multum concuſſæ ventis, altiores & firmiores radices agunt, putatæque fructus proferunt uberiores melioreſque, quædam nudatæ raſtris & ablaqueationibus, aut in alienos agros tranſlatæ, hoc amplius & ſuavius ftuctificant. Pium ac laudabile, ſic adverſa bene, ac ubi cadunt melius, optime interpretari. Querebantur Quakeri hoc eodem tempore quam maxime de clericorum

ſeu

ſeu eccleſiaſticorum erga ſe odio abſoluto & perfecta crudelitate, quos alioquin etiam in hoſtes leniſſimos eſſe oportere, & ſui magiſtri, ipſius lenitudinis, in eo veſtigia ſequi debere dicebant. Et jactabantur eorum voces, epiſcopos, quorum in pleriſque negotiis præcipuis, publicis, utique in comitiis univerſalibus Parlementi (penes quæ ſumma rerum cunctarum) & primæ ſolent eſſe partes, & magna authoritas, ſibi præſertim infenſos, & hujuſmodi in ſe legum ac conſtitutionum, quarum ſpecimina vidimus, auctores exiſtere, neque quicquam in cognitione ſectariorum (ſic loquuntur illic) ac proinde Quakerorum, proponi ab iis præſulibus, quod faceret ad eos homines coercendum aut opprimendum, quin ſucclamaretur à magnatibus ac proceribus politicis. Unde & hoc querebantur, ſe nullibi poſſe ſuum obtinere jus, aut vel deplorandæ ſuæ injuriæ poteſtatem habere, adeoque data tam ampla occaſione ac licentia, non oppidum, non locum frequentiorem eſſe in toto regno, quæ ab inſigni vexatione ac moleſtia Quakerorum vacent. Et quoniam Quakeri ita omni tempore ſuos animos inducebant, ut nemini homini reſiſterent, nedum vim vi pellerent, imo vero quæcunque proponebatur fortuna, eam non ſolum non invite, ſed etiam libenter ſubirent, dummodo id eſſet propter conſcientiam, & quantacunque mala paterentur, ea omnia quanta maxima poterant fortitudine animi ac corporis perferrent, id porro querebantur,

bantur, hinc omnium fere hominum de ſe ſuſpicionem magis augeri, & eorundem adverſus ſe iracundiam infeſtationemque magis concitari, & patere ſe omnium inſidiis, nullis, nequaquam ſibi, apertis ac ſimplicibus hominibus, evitabilibus, & ſummis, quæ vix ulli mortales exantlent, periculis ac malis, non aliter, ac ſi quicquid ferebant probarent, ac ſuſcipiendo quam putabant homines pœnam, agnoſcerent culpam, & ipſorum conſtantia, habita pro contumacia, pœnam juſte cumularet. Contra quæ eccleſiaſtici ita ſe de Quakeris purgabant, quoties ejuſmodi querelæ ad ſuas pervenirent aures, cum Quakeri uſque adeo obſtinato animo publicam religionem & templa ac conciones deſererent ac dimitterent, & leges & conſtitutiones eccleſiæ omnes negligerent, ſpernerent, convellerent, quantum poſſent, & illorum eccleſiaſticorum remorarentur & interverterent reditus ac proventus & cuncta commoda, ut per eos Quakeros non ſtaret, quo minus cum ſuis corruerent, idcirco horum hominum corrupta ingenia & mores & audaciam, ut reſecarentur ac reſtringerentur, haut alia remedia admittere, aut ſi ea ſint ſupplicia, non leviora mereri, & ſeſe nil præter ſuum munus ac præterquam quod ſuarum ſit partium, facere, & non illorum hominum eſſe hoſtes, ut illis appellare mos, ſed correptores & correctores & vindices peccantium. Illud ſpeciatim Quakeri reprehendebant, neque in eo ſui animi dolorem retinere, ac mo-

de-

derari linguæ libertati poterant, dudum compoſitum, quod ſive bene, ſive perperam, appellabant *forum eccleſiaſticum* & *ſpirituale*, atque id jam nunc ab hoc anno etiam atque etiam invaleſcere & increbreſcere. Id tale erat. Ut erant Quakeri omnes opinioſiſſimi & pertinaciſſimi pro quibuſcunque articulis ſuæ religionis, difficillimique & faſtidioſiſſimi etiam in minimis momentis alienæ, ita quoties deprehendebantur, qui ſua obſtinatione miniſtris eccleſiarum nimium moræ & moleſtiæ, & quod maxime inter omnes mortales ſenſificum, damni numarii adferebant, hi illorum accitu vocati, & ubi aut æque duriter obſiſterent, aut ne quidem ſiſtere vadimonium, ac poſtulari in jus vellent, è fidelium piorumque numero excluſi, ſeparatique ab omni eccleſiæ communione, velut ejectamenta excreabilia & execrabilia, quam vulgo vocant excommunicationem. Quæ excommunicatio apud cujuſque regionis epiſcopum, in epiſcopio, in ſacrario, tum ab epiſcopo, tum ab officialibus illius cathedræ, expenſa probataque, actoribus & petitoribus dabat poteſtatem, eos ut homines contumaces & nefarios, abdicatos à parente ſancta eccleſia devotoſque, perſequendi. Atque ita homines illi delati apud magiſtratus, atque illorum juſſu, à ſatellitibus lictoribuſque capti raptique in carcerem, ea conditione atque omine, ut neutiquam illinc exirent, uſquedum omnem pœnam pependiſſent, aut ultimum quadrantem reddidiſſent,

quum interim nullus eorum unquam vel primulum ſolvit numulum. Ejuſmodi mandatum ac ſcriptum appellabant *de excommunicato capiendo.* Quæ autem in delictorum culpam ac crimen veniebant erant hæc. Si quis prorſus non adiret cœtus ac conciones publicas, ſtataſque ac communes preces, neque feſtos obſervaret dies, aut iis diebus opera quotidiana ageret. Si ſuos infantes non curarent baptiſari, pro iiſque fidejubere recuſarent, quando illi eos Chriſtianis non accenſebant. Si alterum ſacramentum ſeu ſigillum ſacrum, ſi reliqua illic uſitata myſteria non reciperent. Si nuptias per parochos vel miniſtros alios fieri non permitterent, quando non ut jus matrimonii poſcebat, vinculo conjugali ſociatos, verum ut impuros ac ſpurcos homines, & liberos illegitimos aut ſpurios, ac matrum ut capras habebant. Etenim ex his rebus illi miniſtri ſuos captabant fructus, quibus nunc fruſtrabantur. Atque cavillabantur in eo valde Quakeri. Si liberos non darent in diſciplinam ludimagiſtrorum ſuorum, quos tum ipſorum minerval non ſatis alebat. quippe illi homines ipſi jam habebant, qui ſe ludimagiſtros profitebantur, ad quos liberos ſuos mittebant. Si ad conſervandas ac ſartas tuendas ſacras ædeis, aut reparandas, aliquam impenſam facere detrectarent. Si ſymbola ac donaria Paſchalia, ſi æſtiva atque adulta, ſi alia collativa curionibus, ſeu ſuæ habitationis miniſtris, non offerrent. Poſtremo ſi decumas, quas è vario proventuum

genere,

genere, pecuarias, volatiles, agreſtes, arboreas, melleas, debebant clericis, non exhiberent. Quam rem quakeri illos ut præcipuam ſuam calamitatem accipere ajebant, & capere (uti ſcommate hoc utebantur) veluti clerum, ſive ſui favi fœtuſque putredinem atque interitum. Ita namque illi plerumque, ut in geſtibus, ita in ſermonibus ac ſcriptis, ſuas quoque argutias proferebant amaras. Hæc data Quakeris libertas, antequam hac excommunicatione aut punitione in eos ageretur, ut liceret apud epiſcopos ac magiſtratus ſuorum factorum rationes reddere. Verum cum illis nulla per ſe, at tantum per procuratores agendi poteſtas daretur, atque ob id certo ſumptu opus eſſet, & illi hoc fugerent, rati, vel ſi res bene cederet, ſe ſolum ſummutaturos nummos pro nummis, ſin judicium in ſe daretur damnatorium, fore, ut ibi ſumptibus ſumptus accederent, tum etiam cum iis nulla fides haberetur abſque juramento, quod juramentum, ut ſæpe viſum, illi ſimiliter refugiebant, & præ quo effugiendo illi parati erant omnia pati, hinc nemo comparebat. Sic nulli gratia facta. Sed neque his habita venia, qui ſe morbis detineri, ac proinde vadatos, ut ſe expedirent, adeſſe nequire renuntiabant, ejuſmodi accepto morbo, ut morbo politico, ſive vano fictoque, ſolito detrectantibus. Sic alii poſt alios damnati, abjecti, nexi, locupletiores, tenuiores, urbici, ruſtici, hi inprimis, quidam ob debitum exile, non decem, non ſex

Digitized by

nummûm argenteorum, quos vocant denarios. Quam ſummam Quakeri, etiam qui plus pollebant, dare recuſabant, non quod adeo parci ac tenaces erant, ſed quod ne tantillum jure ad eos petitores venire autumabant; & quam illi petitores hautquaquam ulli volebant condonare, neque vel tantillum cupiebant deducere, quo cunctis metum injicerent, neque cuiquam imitandi ac ſubſequendi exemplum, atque minimam anſam contumaciæ, præberent. Sic homines conjecti in carceres. Interea actores pro eo, quod ſibi deberi perhibebant, tantum repetere, attrahere, ſuas auferre domos, nonnulli, undecunque poterant, ex illorum caſis & tuguriis & agris, in fœniceſio, in meſſe, in collectione fructuum cæterorum, in mellatione, de equis & vaccis & fœnilibus & horreis celliſque, ut facile cum ſorte impendium, cum impendio etiam anatociſmum reciperent, ac nihil fere ex navorum hominum diligentia & labore & ſudore & parcimonia, è tota poſſeſſione atque ex omni commeatu, illorum hominum familiæ relinquerent. Quare cum omnes tantis animis, tantis cervicibus erant, ut nil pro ſua cauſa ferre dubitarent, quidam conjecti in communes carceres, quidam in robora, quidam in puteos fœtidos ac graves, in quibus ne canes quidem durare poſſent, coactique ad arbitrium illorum locorum cuſtodum vivere, & quibuſcunque, mediaſtinis & abjectiſſimis ſervis, ludibrio eſſe, quidam conditi inter homines, in omnibus vitiis ac faci-

noribus

noribus verſatos & jam dignis mactatos pœnis, qui ne nunc quidem quieſcere atque à ſuis flagitiis deſiſtere poterant, & homines miſeros etiam novis miſeriis afficiebant, ad poſtremum quidam remotiſſime à ſuis conjugibus ac liberis, iiſque omnibus, qui quoquam modo auxilium aut ſolatium adferre poſſent. Quæ ſola res aliquibus inter eos, ejuſdem lecti ac familiæ conſortibus, morte ex ægritudine conſtitit. Sane è captivis plures fœtore, aliis incommodis, dolore, morbis defatigati atque oppreſſi, curis ac rebus humanis exempti. Quod aliquibus brevi accidit, aliquibus aliquanto interjecto tempore, nonnullis, quibus major animi virtus ac firmiores vires corporis, poſt annos bene multos. Fuere qui interceſſione ac precibus ambitioſis amicorum apud magiſtratus, & horum delinitione ac commiſeratione, liberati levatique, denuo, non ob nova at vetera debita, aut non propter præſentis ſed anteactæ vitæ offenſam, reconditi poſt breve exiguumque tempus in priſtinum locum ac ſtatum, & tam diu retenti, quoad fato concedebant. Hæc Quakeri aliquot annos poſt plana faciebant omnia ſcriptis publicis, etiam Regi ac Parlemento exhibitis. Ego è magna copia, dum illi viri omnes percurrunt provintias, & edunt ſingula nomina illorum hominum ſingulorum, quibus ea mala acciderunt, duobus exemplis memoratis iis ſcriptoribus contentus ero, & proferam tertium, neſcio quamobrem ab illis auctoribus prætermiſſum, certe, non ab iis annotatum,

& tamen ſi ullum, notatu dignum. Incidit ſcilicet horum exemplorum initium in hunc annum ſexageſimum quartum. Faber erat ferrarius, tenuioris conditionis, in quodam pago *Hamtoniæ.* Nomen *Thomas Penſordus.* Is datus in communem carcerem Wintoniæ, edicto de excommunicato capiendo, illam ob cauſam, quod denarios tres in reparationem templi nollet expendere, & cum ſic tamen in ea pertinacia perſiſteret, tam diu retentus, donec exacto ſpatio triennii, & alterius anni dimidio, eo in loco obit. *Thomas Reneſius*, agricola in pago provintiæ *Oxonienſis*, propter decimas, quas ipſi perſolvere difficile erat, ſimili edicto de E. C. conditus in carcerem provintiæ. Interim vero dum ille hæret captivus, eccleſiaſtes equos ab ejus domo avertit multo pretio majores. Hic manebat in carcere ſex annos & dimidium, ac tum moritur. Tertium exemplum hoc eſt, quod quia cæterorum omnium quaſi imago & in uno complexio eſt, breviter & conſummate tradam. Eſt in provintia *Bercheria* parœcia ſeu vicus Brichtnellenſis. Illic habitabat *Thomas Dobſon*, ſua ruſticatione, ſuiſque, quas inde ſenſim ac moderate erat adeptus, copiolis & ſe & familiam honeſte ſuſtentans. Is decimas ſolvere negat, non quod ei tanta rei numariæ eſſet parcimonia, verum quod propter conſcientiam nollet. Itaque *Radulphus Wiſtlerus* redemptor decimarum, dudum viri bonis inhians, & quærens qui aliis, ne ſimile quid committerent, terrori

terrori eſſe poſſet, virum facit ut in carcerem detrudatur, atque illic ſuæ audaciæ pœnam luat habdomadas quindecim, & tum eo tempore, quo tempore Dobſon inhabitabat carcerem, tum reliquo tempore ſequenti, quam Dobſon ſuam domum regreſſus erat, tantum rapina, facta ex ſua voluntate, è ruſtici equis, & vaccis, & aliis poſſeſſionibus, numerum pecuniæ aufert, ſubjectis bonis præconio ac venditis, ut non abiret à quadraginta pondo ſterlingianis. Deinde annis ſexto & ſeptimo ſupra ſexageſimum, ei, neque tunc quicquam penſitanti, eripit cantherium, & quatuor vaccas, & quicquid porro ipſi erat gregis, terreſtrium, volucrium, aquatilium animalium, & omnem ſupellectilem, & ipſos lectulos & grabatos, atque ita evertit & exinanit, ut parum supereſſet, quo ipſe & ſui veſtirentur. Cum vero hanc paupertatem vel egeſtatem vix eſſet eluctatus, nactus duas vacculas, atque eo lacte & caſeo cum pane, ſine alio opſonio, ſe ſuoſque alens, ibi loci parochus ſeu miniſter eccleſiæ, cujus nomen malo taciturnitate celare, ſuo excommunicationis carmine ac ſupplicio virum inſequitur, atque tantum efficit, non ſolum, ut ipſi iterum paululum hoc, quod habebat, quod pauperibus hominibus ſuppeditabat ad victum & ad veſtitum, eriperetur, ſed etiam ut ita nudus denuo in carcerem propelleretur. Accidit hoc eodem anno, à quo anno uſque ad annum ſeptuageſimum ſecundum manet incluſus. Eo anno mandato re-

gis liberatus ac dimiſſus, cum jam è ſuo agello rurſus fructum quendam caperet, imo agricultura ei paulatim bene proſpereque procederet, ille idem, quem ſuperius nominavi, decumarum emptor, ſane haut malus prædiator atque exactor, ſed melior prædator ac diviſor, utpote ita in ea diſciplina inſtitutus, ut nullum jus humanitatis reſpiceret, rurſus hominem aggreditur, & hoc totum, quod poſſidet, adimit, uſque eo, ut ſumma eorum, quæ ad hoc tempus ei ſurripuerat, bonorum rediret jam ad pretium ſterlingiorum pondo ſeptuaginta octo, qui noſtri floreni ſunt octingenti & quinquagenta octo. Præterea ut oſtenderet, ſe prorſus ab omni humanitate relictum eſſe, anno ſeptuageſimo quinto iterum curat, homo ut conjiciatur in carcerem, inter homines diſſolutos ac perditos & fures, præter iſtud flagitium, etiam lupanarium turpitudine infames, atque iſtiuſmodi exulcerationibus & papulis ardentibus etiamdum fœtentes, & membris omnibus ægros & languidos. Ubi tamen Dobſoni hactenus id ſolatii erat, quod etiam de ſua ſocietate homines reperiebat, ſcilicet huc propter conſimile delictum conjectos ac nexos. Factum autem quum unus ex iſta teterrima fæce iſta lue impura computruiſſet atque exiiſſet, ut cuſtos carceris, nulli mortalium morum pravitate & immanitate cedens, atque ita inter homines agens, ut ei iſta anima data eſſe videretur, uti tormentum eſſet hominibus, ſtramentum, in quo is homo mor-

mortuus, ad extremum halitum, è contagioſo illo morbo cubaverat, comportaret in unum illum locum, in quo Dobſon tum cum flagitioſis iis, tum cum ſuæ ſodalitatis hominibus ſervabatur, atque illic igne combureret, ſingulari odio & ira in Quakeros, qua perpetuo urebatur. Unde tanta exhalatio, tanta graveolentia, ut Quakeri in acrem difficillimumque morbum inciderent, & quidam in ſpatio brevi morte exſpirarent. Dobſon convaluit, ac permanens in eodem loco anno ſeptuageſimo ſeptimo menſis Maji ultimo placide obdormivit. Ita ergo Quakeri ſuorum fratrum vicem dolentes, & harum rerum omnium ſibi omnibus caſus extimeſcentes, neque ſuas animorum æſtuationes retinere, neque non uti ſua linguæ ac calami libertate, ac queri ubique & lamentari, & ſcribere publice, videri jam & palam conſpici, qui illi Euangelici ſint, & Reformati, & Proteſtantes, qui olim tantopere perſecutionibus occlamitaverunt, & ſoli Deo ſuæ religionis ac conſcientiæ reddendam rationem eſſe pertenderunt, cum illos ita cum ſuis popularibus videre ſit contendere de iiſdem rebus, & batuere armis carnalibus, & ſic ipſos proſternere, & ipſorum quidem vitæ parcere, at interim morte duriora mala infligere; ſic alio nomine eandem, quæ quondam fuerat, tyrannidem venire. Narrant Quakeri, & ſcribunt quoque nonnulli annalium confectores, anno ſexageſimo quinto, in funeſta urbis Londinenſis totiuſque illius tra-

ctus

Digitized by Google

ctus peſte, quoſdam epiſcopos regem hortatos fuiſſe, & jam liberius monuiſſe, demereret ſibi ſuoque populo divinam gratiam atque opem, per id, ut ſeque populumque peſte illa Quakerorum & aliorum fanaticorum liberaret, eoſque ut catharmata ac piacula e ſuis terris ejiceret. Sed non tulit hæc moderatio regis, qui ut hiſce hominibus adeo ſubvenire opitularique nolebat, ita tantam in eos inhumanitatem feritatemque exercere non volebat. Itaque placuit non ultra quam ſolitum ſupplicium agere. Hic annus, qui multas regiones depopulabatur, & plurimis, cum Quakeris, tum inimicis Quakerorum glebam in os injiciebat, etiam emortualis fuit *Samueli Fishero*, de cujus tantopere celebrata inter Quakeros doctrina, & ingenio, & facundo ac polito ſcribendi genere, antehac dixi. Et is exceſſit e vita in carcere. Ejus mortem Quakeri valde deflebant, propterea quod tantum tam peritum nitidumque ſuæ religionis doctorem ac defenſorem amiſerant, gaudebantque in ſinu illi illorum adverſarii & præcones verbi, e quorum cætu non tantum, ſed etiam collegio Fisherus prodierat, ideo quod ille vir, ut imbutus eadem doctrina, & functus eodem munere, verſatuſque in ipſorum ſcriptis & inſtitutis & conſiliis & adminiſtratione eccleſiaſtica, ipſis præ aliis magnum negotium exhibuerat, & illos illorum ipſorum argumentis & dictis factiſque multum vexaverat. Cum hujus viri caſu etiam *Johannes Coughenus*, confluens

fluens laude inter Quakeros, his hominibus decedebat, non vita, ſed vitæ ſtatione ac ſocietate. Hic vir natu Hollandus, ortu Anglus, poſtquam tranſmigrans in Angliam ſtudia Philoſophica & Theologica abſolverat in Academia Cantabrigienſi, ea quæ ut mater integritatis gloriatur antiquitus, ſe nunquam alumnos habuiſſe qui de religione male ſenſiſſent, factus miniſter eccleſiæ in oppido Villa Fauſtini, ordinatus ab Epiſcopo Norvicenſi Raynoldo, cum munere hoc non diu erat functus, deſciſcit ad ſectam Quakerorum, tunc, cum ſe ſuoſque maxime ab eo hominum genere conatur munire. Virgo erat Quakera magni nominis a concionandi peritia & efficacia, ad quam ingens erat curſus hominum. Cognito hanc habituram concionem hic præco locum adit, indutus ſuo amictu officiali, eo fine, ut ſuo ſermone impediat, ut ne aliqui e ſuis auditoribus illius virginis oratione ſeducantur. Ubi vero Coughenus eam audit ſermocinantem, ita ſuo animo toto movetur & accenditur, ut non ſolum ſe hominum doctrinæ ac religioni non opponat, ſed etiam pro ea ſentiat, & loquatur, & ſtet eopſe loco ac tempore, & abiens domum ſuum munus eccleſiaſticum deponat, transeatque in ſocietatem Quakerorum, interque eos munus aggrediatur docendi, exinde iis valde carus & jucundus & honoratus. Idem tamen vir non multo poſt repetens Hollandiam, & Harlemi olloquens cum miniſtro eccleſiæ Anglicanæ

Eduardo

Eduardo Richardſono, rurſus ita hujus viri oratione afficitur, ut a Quakerorum ſecta deſciſcat, ſeſeque conferat Lugdunum, atque illic animum adjungat ad ſtudium medicinæ. Quo peracto retro redit in Angliam, & Londini tractat artem hanc curandæ valetudinis hominum, interim ſe omni hominum ſecta abſtinens, donec abhinc triennium novam quandam doctrinæ ac diſciplinæ rationem intendit introducere, toties fruſtra a tot viris tentatam, qua omnes undique Chriſtiani in unam communem fidem conſentiant, & ſeſe in pacificationem religionum inter cunctos Chriſti nomen profitentes interponant. Magnum ad hoc tempus ſilentium de Foxo fuerat, præterquam inter junctos religione ac ſocietate. Siquidem is uſque triennium captivus in carcere inhabitaverat parte dimidia altera in Lancaſtrienſis, altera in Eboracenſis comitatus caſtello, idque primum propter crebros cœtus habitos, tum propter negatum, quoties de eo quæſtio eſſet, juramentum fidelitatis. Illo toto tempore judices multa incompoſite & aſpere atque injurioſe in Foxum dicebant ſtatuebantque. Habebat autem Foxus in primo loco aliquam conſortem ſuæ captivitatis Margaretam Fellam, quam poſtea tori participem habuit, qui ambo multum inter ſe capiebant fructus officiorum, quæ ſolent homines conjuncti religione & amicitia a ſe invicem exſpectare. Poſteriori in loco Foxus dure & inclementer tractatus, incluſus in fovea, plena omni-

omnibus ſordibus & aqua ſtagnante, & ſæpe incœnatus noctem tranſigens. Unde magnam contrahebat invaletudinem, e qua ſe tarde colligebat ac recreabat. Indicavi modo quanta peſtilentia Londinum, & tractum circum late omnem invaſerit uſſeritque. Ad hoc malum aliud malum accidit anno ſequente ſexto & ſexageſimo. Id incendium, quod non quidem populatim omnem tractum, ſed ſolam iſtam urbem adeo populoſam, pene totam uſque adeo exuſſit afflixitque, ut non univerſa Anglia unquam oblita fuerit, non quam longa poſteritatis ſeries obliteraverit. Quum vero diu tam multos tam duros ac triſtiſſimos caſus horum hominum recenſui, ut opus hoc aliqua varietate diſtinguam, atque ea animum lectoris, forte legendo laſſum, reficiam ac reparem, referam Quakerorum quædam edita his tribus quatuor annis, & de inſequente longo tempore poſt totius regni ſtatu, & de utraque illa clade Londinenſi vaticinia, non omnia, at præſertim memorabilia & annotatu digna, ut cujuſmodi narratiunculis plerique mortales maxime delectantur ac detinentur. Adhærent plerumque magnis ac miris mutationibus hominum prædictiones obnuntiationeſque. Sed ſolent eæ fere jugiter poſt eventa prodi. Hunc futuri temporis ſtatum, & hanc cladem utramque quoſdam Quakerorum prædixiſſe ac præmonſtraſſe, adeo inter eos homines certum erat, ut ſi quis ei rei fidem non

haberet

haberet, is omnem ſidem videretur funditus tollere. Quidam Quakerus in urbe Villa Fauſtini, nomine Serles, textor, anno milleſimo ſexcentiſſimo ſexageſimo ſecundo, videt in ſuis ædibus in lebete, poſito ſuper ignem, circa ambitum, verba hæc ſcripta literis capitalibus: WO TO ENGLAND FOR POYSONING OF CHARLES THE II. CARDINAL. Y UNDERSTANDS MOLOCH. TWENTY NATIONS WITH HIM. ENGLANS MISERY COMETH. Id eſt: *Væ Angliæ a veneficio Caroli ſecundi. Cardinalis. Intelligo Moloch. Nationes viginti cum eo. Veniunt ærumnæ Angliæ.* Quo viſo ille homo attonitus vocat idem ſpectatum vicinos. Qui itidem portentum admirantur, neque unde exiſtat queunt animadvertere. Conſtitit ſcriptura prope integra hora, ac tum evanuit ſponte. Id oſtentum revera ita ſe habuiſſe multi illius urbis cives & etiam optimates, præter Quakeros, multis confirmaverunt. Vidi & legi ego rem & ſcripturam illam annotatam ab Joh. Cougheno, eo viro, cujus ſuperius mentionem feci, eo ipſo anno in libello ejus memoriali, ſervato ab eo anno in muſæo inſignis viri in noſtra patria uſque biennium poſt mortem Caroli, interim nulli alii viſo homini, ut in ea annotatione nulla potuerit ſubeſſe fraus. Quid autem Quakeri & alii eo viſo vel iis verbis voluerint ſignificari, quomodo pertinuiſſe ad genus mortis Caroli, & mutationes in religione

gione, & miſerias, poſt multos annos venturas, quemadmodum cum verbis ac notis ſcriptis res, cum morte Caroli, & inde aliquanto tempore, relatæ, conceſſæ, creditæ, auditæ, viſæ per totam Angliam, convenerint, non opus eſt hoc loco commemorare. Aſſerebant Quakeri ſic unum e captivis Quakeris Londinenſibus urbis peſtilentiam prædixiſſe, ut affirmaret fore, ut quæ ante plateæ hominibus in ſuis rebus occupatis fuerant refertæ, eæ brevi vacuæ veſtigiis hominum ac totæ graminoſæ viſerentur. Id præſagium monitumque non ultra extendam, cumprimis ne ab ordine rerum ac totius operis brevitate propoſitis diſcedam. Illud memorant de incendio. Herefordiæ Quakerus erat, cui ante urbis inflammationem ejuſdem lucidiſſima imago oſtenſa, non dormienti, at vigilanti, cum eo vocis cœleſtis monitu, iret atque hæc nuntiaret Londinum. Is continuo facit, & capto equo accurrit. Ubi vero ad ipſam venit urbem, denudat caput, abjicit galerum, contractoque ſubligaculo reliqua diſſolvit veſtimenta, dimittitque caligas. Sic eo habitu, admiſſo equo, advolat ad quendam ſuorum conventum ac concilium, biduo quam ea quæ allaturus erat acciderant. Intrat, accedit, magna animi commotione, vultu mæſtitiam ferente, nuntiat in concione, ſibi prædictum oſtenſumque a Spiritu, futurum, uti poſt ſpatium duorum dierum Londinum igniſceret ac combureretur, & cuncti cives ſomno

atque cubilibus exciti ad id ſignum, quod oſtendebat, ſumma animorum corporumque perturbatione nudi, aut vix veſtiti, ſuis ſe lectis tectiſque ſuam conſervatum vitam proriperent, ac quod factu opus eſſet ad reſtinguendum ignem neſcirent. Omnibus mirantibus, plerique ad extremum hominem ut morologum, ſeu ſtulto ac futili ſermone garrientem, cum ipſius omine ac ſigno irrident. Atqui is pertinaciter perſiſtit, tam diu, donec illis jam nil quicquam tale morantibus, ac hominem ut delirum, atque alios ſuis ſomniis territantem, abigentibus, eventus & res ipſa illius oracula comprobant. Quod dum fit, ardente & conflagrante ac conſulgente jam urbe tota, idem homo, vel jam revera mente motus, vel illo afflatu de re, quæ nunc nimis certo deprehendebatur, nimium inflatus, ac per hoc carens mentis lumine, & confidens ſibi ſatis opis & auxilii eſſe, ut quod cum non eſſet, futurum renuntiaverat, idem ſuo juſſu atque imperio ultra non eſſet, adſpectantibus perpluribus hominibus, primum vagus circumcurrit, ac ſe flammas coerciturum clamat, & eos poſiturum terminos, quos non excedant, deinde accedit ad domos correptas undique igne, ſubſiſtitque ſtaturus, uſque dum ignis ipſum quoque conſumpſiſſet. Unde illi, fruſtra hortati, ut id facere deſiſteret, illum medium amplexi, ex iſto loco amovent, & alioverſum pellunt. Poſtea ſuum errorem ac vanitatem agnovit ac reſipuit. Addunt Quakeri,

keri, hunc eundem hominem poſtmodum ſimile quid, ceu viſum a ſe ſecundum quietem, ſuper oppidum Herefordiam enarraviſſe & prædivinaviſſe, verum inaniter, neque enim idem ut dictum erat, contigiſſe. Qua re Quakeri tamen de ſua ſententia non dimovebantur, quaſi ille vir minus verax ad oraculum fuiſſet, & hoc quod pronuntiaverat fuiſſet habendum pro nihilo, eo quod talis prædictionum variatio etiam in iis prophetis, quos memorat ſacra Scriptura, viſa fuerit. Etenim cum hæc gemina afflictio tanta non ſolum civitati Londinenſi tantam calamitatem, ſed etiam reliquis omnibus hominibus per univerſum regnum, metum magnum injeciſſet, & quiſque plus ſuam vicem ſuumve periculum eſſet anxius, quam de infeſtandis aliis cogitaret, ille ardor animorum in ulciſcendis Quakeris aliquanto tempore refrixit. Atqui interim dum in Anglia horum hominum hoſtes hac ratione in eos agunt, in *Scotia*, atque *Hibernia*, nequaquam ab illorum perſecutione conquieſcebant. Plus quidem in Scotia, at minus in Hibernia. Nam cum in *Scotia* tantus illorum Quakerorum non eſſet numerus, ac proinde illi qui erant, non adeo frequenter ac crebro convenirent, præterea cum neque tot contra eos latæ eſſent leges, in quas illi poterant peccare, neque tantam ſuis adverſariis ſibi reſiſtendi oppugnandique occaſionem ac materiam præbebant. Quapropter ſi qui deprehenſi, qui nimis audactet aut pertinaciter

coirent, aut quippiam occiperent, hi carceribus mandati, quidam ad longum tempus, quo aliis metum terroremque incuterent. Major in *Hibernia* Quakerorum copia erat, idque non in una provintia, ſed pene omnibus. Et heic homines illi haut ſecus atque iu Anglia, ſua quiſque pro ſua religione negotia exequi, & nempe ubique negligere atque contemnere cœtus publicos, ac ſuos perpetuo inter ſe celebrare, & ſe ſubtrahere, quotiens aut decimas ſolvere, aut aliquid ad templorum ſtructuram, aut refectionem conſervationemve contribuere juberentur, quum exigerentur ad juramentum, quidam feſtis diebus maxime quotidianam operam atque laborem impendere, nonnulli publicas eccleſias adire, atque ibidem conciones preceſque ſuis ſermonibus clamoribuſque turbare, itemque, ut & in foris ac viis, homines exhortari ad pœnitentiam, eorumve facta execrari, aut iſtiuſmodi aliquid oſtentare, pars ſuas ineptias agere. Quas ob cauſas non minus hic quam in Anglia, ſevere in eos animadverſum, & cuncti multati pecunia, ſin eam nollent pendere, ut volebat nemo, carcere, in eóque duriter habiti, quidam ut ægritudine aut morbis morerentur. Alicubi quidam ne convenirent, præpediebant, extrahendo ex ædibus, in agris occurrendo, retinendo, includendo, quidam ubi conveniſſent, vi irrumpebant in domos, atque impetu in eos irruebant, feriebantque, & privabant veſtibus.

Hæc

Digitized by Google

Hæc alicubi homines plebei & vulgus ac fæx hominum, alicubi milites vagabundi, proximi latronibus, quibus omnibus ſua omnis autoritas erat in manibus ac ferro. Et hæc aliquando illi, qui iſtis hominibus erant præpoſiti, dum fierent, adſpicere & pati fieri, quandoque ipſi quædam facere præter quam eorum dignitas ac gravitas ferret, & interdum ipſimet Quakeros, quod in publico, quod ſe coram liberius loquerentur, quod irritati aſperius reſponderent, junctim, quemadmodum vindicta non patitur otium, in eos, tanquam in maledicos atque impios homines involare, & incutere baculos, iiſque caput implere. Neque deerant inter eccleſiarum paſtores, qui poſtquam homines a ſua ſuorumque excluſerant communione, eos quaſi aliter conſtringendos, tradebant judicibus. Præcipua moderatio erat penes judices ſupremos in comitiis & conſeſſu regio. Dixi initio hujus libri quemadmodum Georgio Keitho, & Roberto Barclaio, ſuam pro doctrina ac religione Quakerorum diligentiam atque operam non vulgarem navantibus, eadem doctrina atque religio maximum incrementum accepere, ac res illorum hominum ad maturam ac virilem ætatem pervenere. Atqui cum is præſertim ſcopus ſit hujús noſtri laboris, ut quæ ea ſint, quæ hi homines docent, quæque tanta cum religione obſervant, & quibus auctoribus, quibus modis eadem inventa ac tradita ſunt, ob quæ demum tot ab iis ſuſcepta,

tot ſuſtentata, tot exhauſta pericula, omnibus veſtigiis indagemus atque indicemus, illud hoc loco oſtendam, quî prima ac præcipua horum hominum dogmata, fundamenta reliquorum, a Keitho ab hoc tempore, variis ſcriptis, partim diſtinctius expreſſa atque expolita, partim non parum immutata, atque ad ideam veterum philoſophorum, non juxta ſuorum Quakerorum picturam novam, adumbrata fuerunt, deinde ſuo loco ac tempore perrecturus de Barclaio dicere. *Keithus* primum animum ad ſcribendum appulit anno poſt ſexageſimum quinto, perſeverabatque in ea annos multos. Scripſit autem omnia Anglice, exceptis paucis ſchedulis. Enimvero cum eo, quæ Quakeri omnes ceu principia ſuæ totius doctrinæ ac religionis præferebant, puta de lumine divino, quod eſt in homine, deque Chriſto ut habitante in quovis homine, ab omnibus Quakeris valde obſcure & implicite deſcriberentur, Keithus, acri ac ſubtili ingenio vir, pro ſua induſtria atque acumine ita diſponebat, & quæ illi modo rudi & inelaborato exorſi erant, ſic pertexebat. Omnibus & ſingulis hominibus inditum a Deo lumen. Id non mens, non ratio humana, ſiquidem hæc homini innata, illud datum extrinſecus atque adventitium, poſitum in dominatu, ut rationi præſit eamque gubernet. Idem lumen ſemen Dei, inſtrumentum, poſt peccati introitum ac hominis corruptionem, novæ generationis e Deo. Atque id ſubſtantia,
parti-

Digitized by Google

particula ſubſtantiæ inviſibilis ac ſpiritualis Chriſti, Filii Dei & hominis divini, hominis inviſibilis, hominis ſpiritualis, hominis cœleſtis. Nam is Chriſtus, Filius Dei, ad eum modum, ut ſit iſtiuſmodi factus homo, idque per quandam Dei effluentiam. Sic Chriſtus, ſic per Chriſtum Deus, ineſt habitatque in cunctis hominibus, imo creaturis omnibus. Deſciſcentibus autem hominibus a Deo, ſeſeque omnino ipſis depravantibus, Chriſtus ac Deus occidit quidem in hominibus, at non omni modo. Quin Chriſtus, miſertus hominum, & remanens in hominibus, ita hominum omnium miſeriæ & impotentiæ ſuccurrit atque opitulatur, uti hominem unumquemque intus moveat, moneat, excitet, ut Chriſtum, lumen, in ſe attendant & ſequantur, & depoſitis pravis opinionibus ac malis moribus, ſe Chriſto denuo dent, eumque, ſuam in iis virtutem oſtentantem exercentemque, amplectantur, ei adhæreſcant, eum in omnibus officiis obeundis ac retinendis ſibi proponant ut ducem, & ut magiſtrum imitentur. Quod ſi fit, Chriſtus in iis reſurgit, reviviſcit, viget, agit, unione ac communione nova, fitque iis juſtitia & ſalus. Sic Chriſtus hominibus cibus, epulæ cœleſtes ac ſpirituales. Atque ita pii ab omni ævo Chriſti comederunt carnem, ac ipſius biberunt ſanguinem. Et ſic quidem Chriſtus etiam eſt in impiis, ſed occulte, ut haut abſimilis ſit ſublato, ut inde Scriptura quando-

Digitized by

que dicat, Chriſtum in illis non eſſe. Eſt autem ita in iis, ut illis ſe ita peccato quaſi vendentibus ac mancipantibus, Chriſtus hinc ipſe patiatur, ac ſæpe ex infamia ac laceratione ſui corporis, uſque eo afficiatur dolore ac ſupprimatur, ac ſi ſuffigeretur cruci. Hic Chriſtus quatenus homo ille divinus ac cœleſtis & ſpiritualis, colendus & adorandus omnibus, non utique ut externus, natus e Maria. Tale de his articulis dogma Keithianum, olim quidem, quod Keithus non ignorabat, inventum ac prolatum particulatim, non ſummatim, ab hominibus non optimæ fidei, atque ab Hæreticis, aſſuetis addictiſque Scholæ ac Diſciplinæ Philoſophiæ gentilium, ac ſpeciatim Platonicæ, & illa ipſa integra forma, id quod ego Keithum neſciviſſe exploratum habeo, fotum & excluſum, editumque libello ſingulari, præcedente ſeculo, à quodam viro Gallo *Gulielmo Poſtello*, aſt ita fatuo ac ſtolido, ut inter homines ratione præditos nulli eſſent, quin hominem hunc cum ſcriptis exploderent atque ejicerent. Et hæc Keithus vir argutiſſimus multo ante concepta & diu conſiderata, deinde variis libris efferebat, & adſtruebat vendicabatque ab objectionibus, quas aut ipſe ſibi, aut alii ei moverant. Et hos libros curabat excudi inconſulta & inſciente ſocietate, ut ea recuſare nequiret, idque non in Anglia, ſed in Hollandia, ut non ita facile quiſquam Anglorum reſcire poſſet. Cæterum cum hujus totius do-

ctrinæ

ctrinæ Keithianæ membra principalia eſſent duo, quorum alterum de præſentia Dei ac Chriſti in creaturis omnibus, ac non ſolum hominibus, alterum de Chriſti in hominibus habitatione & operatione tractat, qui membro primo ſubſcripſere, vel idem repetivere ac docuere publice, ex horum hominum anteceſſoribus inventi nulli. Neque tamen ulli contra ſcripſerunt, neque damnaverunt omnes inter ſe ad hujuſmodi negotia congregati, ideo quod viri nomini ac famæ parcerent, putarentque poſſe & debere iſtum errorem propter reliquas dotes ingenii ac morum viri taciturnitate tegi. Alterum vero quod attinet, hic nullus repertus ex iis, qui ſe Quakerorum doctrinam tenere profitebantur, qui non idem dogma omnino ut ſuum fuerit amplexus, atque ut ſuæ genti ſingulare ſecutus, præter paucos puſilli aut obtuſi ingenii in loco aliquo remoto & anguſto orbis alterius ac ſolis obeuntis. Unum erat dogma a quo Keithus non abhorrebat, verum quod neque ipſe aliis cupiebat obtrudere, neque ulli ex ea gente pro dogmate communi cupiebant a quoquam accipi ac tradi. Id erat de animarum perpetuitate, & earundem migratione & revolutione per varia corpora, quondam profectum e Scholis Empedocleorum & Pythagoræorum ac Platonicorum, deinde varie interpolatum ante aliquot centum annos ab nugatoribus magiſtris Judæorum, nominatis Rabbinis, qui quicquid ſomniant de eo ſolent vigilantes non

modo loqui, ſed & ſcribere, inprimis a R. Jitzchako Lorienſi, in tractatu ſcripto Hebraice, & hoc ipſo tempore denuo inſtauratum, additis omnibus, quæ deerant ad ornatum perfectionemque, a Barone *Helmondo*, viro, & iſthoc ſplendore nobilitatis, & magna cupiditate cognitionis & ſcientiæ excellente, atque utrumque hoc ſibi quam pulchrum ac laudabile ducente, de quo ejus amici incipiunt ambigere, cum vivit optime, neque habet unde, inveniſſe lapidem Philoſophicum. Videlicet hic vir eo tempore degens in Anglia, idque inter Quakeros, tanquam illorum unus, cum in ædibus alicujus fœminæ comitis, tantæ nobilitatis, quæ ipſa quoque maximo ſcientiæ deſiderio tenebatur, cum eâdem ſæpe ac multum de placito illo Platonico e libris Platonis diſſereret, cum illa huc deveniebat, ut ambo in eandem opinionem illam inciderent. Et quoniam Keithus itidem ſæpe una eſſet ac colloqueretur, illi eum quoque in regionem ſuarum argutiarum inducunt. Quod ubi notum factum reliquis Quakeris, Helmondus, qui ſuas opiniones pertinaciter defendebat, ac per id Quakeris eas opiniones accipientibus, aliis ut periculoſas novitates, aliis ut errores ſtultos, aut acutas delirationes, valde erat inviſus, ipſe quidem Quakeros omnes jubet valere, pergitque non modo ſuam ſententiam tueri, ſed etiam placitum hoc, viſum ſibi adhuc rude nec ſatis expolitum, limare politius, & e ſcriptis Judai-

Judaicis etiam atque etiam erudire, & ut eſt in fabulis, tanquam Peliam recoquere, & formare ad hanc formam, quam ut pauciſſimis potero verbis exprimam. Prius quam animæ uniuntur cum corporibus, in alio exiſtunt mundo. Poſtquam deſcenderunt in corpora, ſingulæ habent diem divinæ viſitationis mille annorum, eo fine, ut præparent ſe per abſolutam ſanctificationem ad felicitatem æternam, ſin divina patientia abutantur, ut condemnentur illa longa ac terribili pœna, quam Deus iis præparavit in fine hujus ſeculi. Id vero ſpatium annorum mille non continuum eſt, indiviſum, at diſtinctum ac circumſcriptum duodecim cujuſque animæ revolutionibus ac reditibus diverſis in idem corpus, exceptis ſanctis quibuſdam, qui primo vel ſecundo circuitu ſatis ſint purgati. Et hi reditus ſinguli accidunt poſt annos trecentos triginta tres & menſes quatuor. Dum autem animæ exulant e corporibus, non procedunt ac progrediuntur in pietate. idcirco ſi juſtæ ſunt, eſt iis bene, ſi malæ male. Eæ animæ, quæ ante Chriſti mortem migraverunt e vita, neque ſervatæ fuerunt, ubi redeunt in corpora, poſſunt tum acquirere ſalutem per Evangelium Chriſti. A morte Chriſti ad mundi finem, quæ animæ Evangelium non audivere, redibunt in corpora uno tempore, uno loco, atque tunc Euangelium percipient auribus, obtinebuntque ſalutem, ſi credant. Poſtea quam ſancti redibunt in terram,

ram, reſurrectio erit prima, futurumque ut ſancti ſimul omnes vivant annos mille, abſque ullo peccato, perinde ac Adam in ſtatu integritatis, & ut juxta exemplar ejuſdem Adami generentur e virginibus, patre Deo. Dein altera ſequetur reſurrectio, qua ſancti ad modum ſecundi Adami, Chriſti, erunt conſummati in corporibus cœleſtibus. Poſtremum erit quidem piorum felicitas prorſus æterna, at habebunt pœnæ impiorum ſuos terminos ac fines. Sed redeo ad Keithum. Mihi quidem ut puto certum, Keithum, ſi non omnes, at præcipuas harum propoſitionum vehementer amplecti, & tamen quæ de ea re ſua ſit ſententia, haut facile cuiquam, ac niſi iis hominibus, qui plus aliis ſapere videntur, ac præterea fidelibus atque arcanis, patefacere; neque eum ſolum eſſe, qui hujus ſit ſententiæ, ſed eandem etiam aliorum opinionem eſſe, tametſi pauciſſimorum, ut longe abſit eam univerſæ gentis droctrinam eſſe. Neque vero Quakeri diu inter ſe tolerarent, hujuſmodi opiniones qui foverent ac defenderent, ſi verum eſt quod non ſemel audivi cum præcipui ex iis viri dicerent. Volui de hac re paulo uberius loqui, non tam propter Quakeros, quam propter eos, qui cum de hiſce propoſitionibus, & libris hujus generis audiunt, aut eos legunt, ut aliquamdiu a multis curioſis factum, interim quodnam ſit principium, quæ origo ignorant, ac facile longe alter quam par eſt, de tota re judicant.

dicaſſt. Ab hoc tempore ſe Quakerorum nationi adjungebat *Gulielmus Pennus*, poſt obitum patris gubernator ac poſſeſſor Penſylvaniæ, ille vir tota Anglia celeberrimus, & notiſſimus cunctis exteris, non ignaris rerum Anglicarum, cujus acceſſu & ſtudio & conſilio auxilioque atque opera cum res Quakerorum dehinc non quidem junctim ac derepente, ſed ſenſim ac gradatim, plurimum auctæ & amplificatæ ſunt, non abs re erit, ſi, more de viris iſtiuſmodi ab initio ſervato, quædam de illius ortu & educatione, tum de occaſione converſionis ad hanc ſectam hominum, itemque de amore ac diligentia erga eam, ad poſtremum de ingenio ac moribus adnotem. Ei pater Gulielmus Pennus, Anglorum maris claſſiſque præfectus ſecundarius prudens & gravis, etiam in illa diſtractione & diſſidio imperii ita ſe gerens, ut juxta religionem divinam ſuam erga homines fidem coleret. Quum autem pater filium tanquam natum non ſibi, ſed patriæ ac communi, deſtinaret inſigniori vitæ generi, ad publicas, non ad ſuas privatim augendas res, ipſum probe curabat ad omnia divina & humana officia erudiri, poſteaque mittebat ad academiam Oxonienſem, ut inter adoloſcentes nobiles & optimates optimarum artium doctrinarumque ſtudio & exercitatione animum occuparet. Dein G. Pennus profectus eſt in Galliam, & aliquamdiu commoratus eſt Lutetiæ Pariſiorum, ſæpeque apparuit in aula regia. quo tempore cum admodum

dum eſſet juvenis, nihilominus & fortiſſimi viri, & hominis continentiſſimi, præbebat exemplum, dum ſuam ab inimico ac gladiatore, ejus cædem quærente, vitam ſtrenue defenderet, & iſti vitam, quam poterat eripere, relinqueret. Reverſus in patriam mox abiit in Hiberniam, ubi cum multa de Quakeris audiviſſet, neque ab ipſorum inſtitutis ac moribus abhorreret, adiit eorum cœtum. Is annus erat ſextus & ſexageſimus, ipſo agente ſuæ ætatis annum vigeſimum ſecundum. Accidit autem quum illic adeſſet, ut loci prætor ſuperveniret, & Pennum cæteroſque præſentes domo in publicum omnes vi extraheret, raperetque in cuſtodiam. Atqui tantum aberat ut Pennus hoc improviſo & repentino malo abſterreretur, ſeſeque partibus & doctrinæ vitæque Quakerorum ſubſtraheret, ut hoc ipſo in loco ſuum ad eos amplius animum adjiceret, poſtquam amplius ex iis intellexerat, quæ eorum hominum in doctrina vitaque propria erant. Itaque dimiſſus, inque Angliam ac domum regreſſus, ita vixit geſſitque ſe, ut quivis Quakerum poſſet cognoſcere. Quamobrem Pater miratus iratuſque non mediocri iracundia, cum fuerat filius hic parentum amor ac ſpes omnis, ſicuti is ſuos viciſſim parentes tanto ſtudio, quanto eſſe nullum maius poterat, colebat ac venerabatur, in eum, veluti factum dehoneſtamentum ſui generis, ſuæque familiæ dedecus in omne ævum futurum, valde

de inclementer, & verbis, & factis, invehi, & cum nullo modo poſſet revocare, tandem ſuis ædibus interdicere, & minari, velle ſe filium exhæredare. Et vero accedebant contumeliæ & contumaciæ inimicitiæque patris domeſticorum, & veterum ſociorum, & aulicorum ac regiorum, quibuſcum erat enutritus, & multum erat verſatus, & eccleſiaſticorum, qui ante impenſe carum habuerant. Quibus incommodis Pennus hoc unum remedii opponebat, in eo, in quo male audiebat, vitæ integritatem, in iiſque, quæ patiebatur, conſtantiam animi & corporis. Quin Pennus illud poſtremum his rebus conſequebatur, ut pater eum reciperet in gratiam, & quantum ante fuerat ab ipſo alienatus, tantum nunc erga eum animatus eſſet, neque ſolum ipſum adeo humiliatum & afflictum erigeret & recrearet, verum etiam teſtamento hæredem ſuarum opum ditionumque inſtitueret, ac porro propter ſingularem pietatem & magnam animi fortitudinem collaudaret, & hortaretur, ut ſic pergeret in virum. Præterea cum pater jam coram cerneret, quanta filius in invidia eſſet, facileque proſpiceret, quantam etiam invidiæ tempeſtatem ſubiret, quanta impenderent mala, idem graviter ægrotans, ac ſuam certam habens mortem, mittit ad ducem Eboracenſem, Architalaſſum, ut qui, ſicut ei Pennus in munere proximus erat, ita regi proximus erat dignitate, & ſine dubio, cum regi nulla regia aut legitima

gitima proles eſſet, regi ſupervivendo ſuccederet, qui ſuo nomine ab eo petant, vellet fratri frater ſuum commendare filium, ipſeque ipſum tutari ac conſervare, tot jam paſſum injurias, adverſus vim reliquam, cui is & ejus ſocii totaque illa multitudo erant expoſiti. Id quod regius frater & rex ipſe, propter viri in regnum merita, conceſſere, tametſi illi Pennum non ita defenſitare ſemper potuerunt, ut non quandoque in cuſtodiam aut carcerem daretur. Id nequaquam omittendum, Penni patrem ægrotantem ſic ut jam certum eſſet mori, antequam mors obreperet, ipſeque decederet, his poſtremis verbis filium fuiſſe allocutum: *quin tu, mi fili,* Deo *regi opt. max. ſic perpetim ſervire, atque id ſervitio regum terreſtrium antevertere rebuſque omnibus præferre memento. Quod ſi facis, & ſi, & tu, & tui ſimiles atque amici perſeveratis in veſtro ſimplici ac nudo modo concionandi & vitam inſtituendi, næ vos finem facietis præconibus omnibus uſque ad finem mundi.* E quibus verbis ſenis moribundi haut obſcure intelligebatur opinio ejus & affectio animi qualis & quanta erga Quakeros eſſet. Jam quodnam huic filio Guili. Penno, etiam a juventute, fuerit ingenium, quæ cum ingenio linguæ promptitudo, quæ cognitio linguarum, ſaltem inter homines, non vulgariter inſtitutos, uſitatarum, quæ rerum, tum cujuſmodi indoles, quique mores vitæ, ego quidem aut Quakeros, aut alios mavelim, quam me dicere. Scio enim quam arduum ac

mo-

moleſtum ſit, ubi judicia hominum variant, ſuum judicium interponere. Id certe, etiam me tacente, loquuntur ejus ſcripta, hunc unum eminere inter Quakeros omnes, & cum ſcribit omnia ad communem captum & intelligentiam popularem, tamen & rerum copia ac varietate, & oratione ac ſtylo, inprimiſque vocabulorum ac ſententiarum gravitate, idque quando ſcribit de rebus theologicis, vinctarum alligatarumque catenis verborum ſacræ Scripturæ, ſic inter ſuæ patriæ ſcriptores verſari, ut niſi quis alienis virtutibus ac laudibus ſit invidus, ſi quiſquam, diſertus & eloquens ſit habendus. Tanta Quakerorum ſpes de Penno ab ipſo initio erat, ut mox inter ſuos agere concionatorem permitterent, tanta uſquequaque exiſtimatio, ut non dubitarent appellare in eo genere perfectiſſimum. Neque quiſquam inter eos fuit unquam, qui non ſtatueret Penno ſummam ſemper conſenſionem in omnibus articulis religionis cum reliquis Quakeris omnibus fuiſſe. Hoc ei ſingulare erat, quod ea, quæ pertinent ad notitiam rerum divinarum ac ſacrarum, multo quam reliqui leviora duceret, & ſe valde equidem conſcientiarum in religione vi & coactui & perſecutioni opponeret, prout revera nulla hac re major feritas ac fœditas inveniri poteſt, ſed nimirum tolerantiæ ac libertati religionum cunctarum ſic indulgeret, ut non ſolum ipſorum illorum hominum exercitia vellet permitti, ſed & ipſos homines, ſaltem

Chriſtianos habitos, admitti ad omnem auctoritatem, & poteſtatem, & imperium in omnes, ne quidem Socinianis cum ſuis lepidis donis exceptis, non ipſis Papiſtis, illis ab ipſa ſua religione omnibus aliis religionibus inimiciſſimis, & uſque adeo truculentis ac ſævis, & in ſanguine Chriſtiano gaudentibus, ut eos nunquam teneat ſatietas. Quæ mira res. Quaſi ſic libertatem extendere non id ipſum foret libertatem ſubvertere, & ita contra nos alere ac fovere alios, itáque armare, ut noſtro nos enſe fodiant. Neque id latuit Pennum, quantum ad dictos homines, uti qui ad eum modum noverat tum Socinianos, tum Papiſtas, ut ſolitus eſſet dicere, *ſua Quakerorum genti a nullis magis quam a Socinianis ac Papiſtis eſse metuendum, & eſſe eos quibuſcum ſibi, devictis aliis religionibus omnibus, omnium poſtremo eſſet conflictandum.* Prorſus ut Pennus, aut omnium religionum aſſecla haberi vellet, aut eam a ſe opinionem amotam nollet, quæ ſic omnium hominum mentes occupabat, eſſe Pennum, cum minime adeo eſſet ſtolidus, aſtute in corde, ut quidam volebant, Socinianum, ut alii, ac fere omnes, Papiſtam, & quidem Jeſuitam. Profecto non cum Penno ſuper ea re Quakeri conſentiebant. Jam ſecundum hæc Pennus ita fidem concipiebat Chriſtianam, ut putaret ad eam tenendam ſufficere, ſi quis generatim Scripturam haberet & adamaret ut Dei verbum, ex eâque articulos amplecteretur Fundamentales. hoc

The-

Digitized by

Theologorum vocabulum. Qui fundamentales articuli Penno iſti, qui extant in Scriptura terminis expreſſis, vel ita ejuſdem auctoritate fultis, ut cuncti homines honeſti ac bona mente præditi, quid verba velint, valeant diſcernere. Quo poſito, exiſtimabat omnes, qui Scripturæ adhiberent debitam reverentiam, agnoſcerentque Jeſum Chriſtum ſoſpitatorem mundi, bene poſſe & debere ut Chriſtianos concordare. Quare id commendabat, ut Chriſtiani ejuſmodi fidei communis confeſſionem ſcriberent, eamque e veritatibus aliquibus, paucis duntaxat, generalibus, neceſſariis, planis, ſcripturariis terminis, conficerent. cujuſmodi res cui fini foret, quem uſum habitura eſſet, rurſus unuſquiſque ante eventum poterat conjectare. Præterea hic vir ita diſſerebat, eam conditionem eſſe plerorumque Chriſtianorum, ut qui ſe ſcire aliquid ſibi viderentur ſuam illam ſcientiam ſolum otioſe contemplando contererent; atqui vero Chriſtiano homini non tam ſcientia contemplativa, quam vita activa opus eſſe, neque ſcientiam, qualiſcunque demum ſit, ullam eſſe, umbratilem eſſe, quæ non dignam parit actionem, ſolitariam eſſe, ſolivigam, vel erraticam, cujus nullus fructus venit ad commune. Quapropter potiſſime in eam ſcientiæ ac doctrinæ partem cupiebat incumbi, quæ pertinet ad mores hominum, quæ conſiſtit in fugiendis vitiis, & colendis officiis verſus Deum ac proximum, ludabatque vehe-

menter, primis ſeculis poſt natum Servatorem, Philoſophos morales adhibitos fuiſſe doctores ac præceptores juventutis Chriſtianæ, neque quenquam inter Chriſtianos illos exiſtimatum fuiſſe doctorem, qui non bene erat initiatus philoſophiæ gentilium, ut optimæ recte vivendi duci. Profuit Pennus multum ſuis Quakeris ſcribendo. Verum ut præter omnes alios ad hoc erat aptus & opportunus, cum ab ingenio ac ſolertia, tum a divitiis & opibus, tum etiam gratia & potentia, qua valebat apud regem, atque ut ei hac in re non deerat voluntas, ita quotidie illis hominibus præſto aderat, & in hoc laborabat, ut ſuis Quakeris, quibus rebus cunque poſſet, prodeſſet. & eorum res & ab injuria defenderet, & promoveret augeretque, tanta animoſitate, ut ſæpe plus quam de ſe, de ſuis hominibus ſollicitus eſſet, interea non oblitus pro aliorum quoque, ac nominatim papiſtarum, libertate, imo aditu ad publica munia, agere, ut jam omni modo ſe de eodem grege eſſe opinabile faceret, & ad poſtremum ob id etiam ſuorum Quakerorum ſuſpicionem & invidiam atque odium incurreret. Tanta ei propenſio ac pertinacia in eo ut promiſcue omnibus, nomen Chriſtianum profitentibus, eodem jure eadem libertas daretur. Sed de hoc alio loco appoſite dicam. Cum autem hoc tractu temporis Quakerorum adverſarii paulum eos inſequi & oppugnare pigrarentur aut morarentur, Quakeri occaſionem

hanc

Digitized by Google

hanc arripere, ac non modo ſuos, etiam audentius, conventus ac conciones obire, ſed & ea omnia fortiter parare ac conferre, quæ ad mutuum auxilium & ſtabilimentum & ornamentum atque dignitatem ſuarum eccleſiarum ſpectare videbantur. Sic ab eo tempore introductæ noviter, aut magis accuratæ, œconomia, partitio, adminiſtratio ſuarum rerum omnium, ordo miniſtrorum, illorum inter ſe congreſſiones, liturgia ſeu cultus Dei, miniſtrorum ad hoc opus præparatio & vocatio, diſciplina ac cenſura morum, denique formula ac ſolennitas in confirmandis matrimoniis. Quæ cujuſmodi ſint non tam e ſcriptis illorum quis diſcat, in quibus pleraque ne attingunt quidem, quam cognoſcat ex ipſorum ſermonibus, ſiquidem nil de his rebus ſolent occultare, quando incallide de iis & ſerio judicatóque interrogantur. Objectavere ſemper hi homines Proteſtantibus in Anglia, & alibi, inordinatiſſimi ac vitioſiſſimi ordinis loco, Hierarchiam, ſeu illam perſonarum ac munerum in eccleſia ordinariam diſtinctionem & diſtributionem, nominatim illam quorundam excellentiam & juriſdictionem, aliorumque per tot gradus rectionum & adminiſtrationum varietatem, ut qui eccleſiam unam volunt eſſe compaginem, cujus ſingulis partibus ſua ſint munera neceſſitatis in obſervanda tuendaque tota eccleſia, prout quiſque aliquam vel in commune, vel in proximum, utilitatem poteſt conferre; pertenduntque, cum nulla cu-

juſquam dona data a Deo poſſint ac debeant eſſe infructuoſa, tot in eccleſia munera eſſe, quot ſunt dona, quemadmodum in corpore humano omnia membra aliquod negotium gerunt & faciunt officium ad bonum univerſum; denique contendunt, in his ſolum miniſterium, neque ullum imperium locum habere. Itaque hi Quakeri ab hoc præſertim tempore hanc viam inibant, atque illam ad hoc tempus tenent. Dicam ut in tempore præſenti. Agnoſcunt ſane, ut qui maxime, conſociationem & communitatem, & una *directionem & adminiſtrationem* in eccleſia. Cupiunt eos, qui ſapientia ac virtute plus aliis excellunt, majori pretio ac honore haberi, & hos præſtare ordine ac functione. Atque ita inter ipſos in quoque ſexu, virili ac fœminino, unuſquiſque prævalet ac præcellit dignitate & munere, prout ingenio ac probitate antecellit. Proinde ſunt iis qui conſtanter permanent in verbi prædicandi miniſterio. Hos vocant *miniſtros*, aut juncta oratione ſic efferunt, eſſe eos in miniſterio. Horum miniſtrorum alii non una ſede morantur, & quaquaverſus proficiſcuntur, ut explorent, ſi quos novos homines in ſuam ſocietatem aſciſcant, aſcitoſve reviſant quid agant. Hi tanquam *Apoſtoli*. Alii aſſidui ſunt in uno loco, & ſuo gregi incubant ut *paſtores*. Hoc exemplum etiam fœminæ ſequuntur. At enim ſufſecerit id ſemel hoc loco monere, hæc quæ dixi, quæque porro dicturus ſum de viris, vel

veluti

veluti de viris, intelligenda eſſe, juxta juris regulam, qua ſexus maſculinus etiam fœmininum ſexum continet. Miniſtris proximi ſunt presbyteri ſive *ſeniores*, ætate & experientia, adeoque ſapientia, eminentes. Hi miniſtris adſunt in conſilio, & aut cum iis una, aut ſoli cum aliis, prudentia validis, attendunt ad ea, quæ accidunt quotidie in eccleſia, & curam adhibent, ut cuncta bene procedant. Hos ita verſari in ſuo munere ajunt, ſi forte quis aberret a fide, ſi quod peccatum manifeſtum commiſerit, ſi facti ſuſpicio ſit, ſi aliquam culpam admiſerit in alium, ſi quid deſit deſidereturve quod ſpectat ad unionem, pacem, concordiam, ut hi præſto adſint, mittantve quibus præcipue rerum harum fidem habent, atque ea faciant quæ ad procurandum bona quæque, & tollendum mala maxime conducunt. His iiſdem incumbit onus inviſendi ad pauperes & egenos, etiam eos, quos putant ſuam inopiam occultare aut diſſimulare, ad orphanos, relictos in viduitate, affectos ſenio, calamitoſos, miſeros, ægrotos, quibus eos dicunt id, quod cuique neceſſarium eſt, proſpicere, & illos ad hoc cogere nummos, & tranſferre in ciſtas, inibique aſſervare, & comparare copias, & diſtribuere munera his illis, qui viritim ac partite ſingula, quæ opus ſunt, exequantur. Eſt de officiis hiſce epiſtola monitoria Stephani Criſpi ad omnes eccleſias, ſane lectu digna, cujus ſumma, ut in judicando per-

ſona amici deponatur, in faciendoque bona non gratia at ſola miſericordia valeat. Solent autem percunctati ſuorum his in rebus inter ſe diligentiam & liberalitatem & beneficentiam valde prædicare. Atque ita quidem hi miniſtri ac ſeniores, quo de ſuis rebus deque eccleſiæ neceſſitatibus deliberent, ſæpe inter ſe ſolent convenire, ut hæc poſſimus nominare, uti Angli ac noſtrates vocant *Presbyteria* aut ſynedria, ut Galli Conſiſtoria. Fuerunt quandoque in Hollandia, qui quoniam ſine rectione & regulis nulla ſocietas poteſt eſſe laudabilis ac perennis, vellent in unaquaque eccleſia conſtitui Senatum eccleſiaſticum, idque e provectioribus ætate, & quidem poſitis in matrimonio, ad quem ſumma regiminis reſpiceret, qui juxta certam normam certaſque leges omnia dirigeret. Verum his obſtabant alii, objectantes hanc viam fore ad novam hierarchiam, & communitatis diſtractionem, & cohibitionem ac ſuppreſſionem donorum Spiritus. Itaque infecto negotio diſceſſum. Sunt etiam hiſce hominibus congregationes, quas Proteſtantes, alii *Claſſes*, alii Colloquia appellant, item quas *Synodos* & Concilia, tum provinciales, tum nationales. Has celebrant plus minuſve, pro numeroſa varietate eccleſiarum, ad eum modum, ut quilibet ſexus virorum ac mulierum ſuos particulares ac diſtinctos habeant cœtus. Quare ubi aut numeroſiores aut ampliores eccleſiæ, miniſtri ac ſeniores frequenter conveniunt, cum aliis

Digitized by

aliis diebus, tum præſertim diebus primis hebdomadum, quibus temporibus inter ſe conferunt conſilia, quo quiſque potiſſimum contendat, quam partem officii ſuſcipiat, quidque agat, poſtquam ſinguli quid ſibi ſit viſum aperuerunt. Alii cœtus inſtituuntur quartis hebdomadis, in quibus rerum communium curas habent, alii ſingulis trimeſtribus, in quibus provincialia negotia tractant, ut & ea à quibus facta provocatio. Horum eſt librorum qui exeunt inſpectio ac recognitio definitiva, poſtquam ſcilicet jam ante à cenſoribus, ad id conſtitutis, fuere lecti probatique. In his acta perſcribunt in commentariis, qui ſatis curioſi, ego vidi compoſitos eleganter. Habent Synodos anniverſarias in unaquaque natione magna, in quibus iis rerum univerſarum eſt adminiſtratio & curatio. Habent autem certò Synodum anniverſariam *Londini* in Anglia, III. die Pentecoſtes, ſecundum calendarium Anglorum, quod tempus idcirco conſtituerunt, non e ſuperſtitione aliqua, quam illi ſi quiquam fugiunt & removent a religione, ſed ut omnibus certum ſit tempus, atque id conſtet omnibus. Ea Synodus celebratur triduum aut quatriduum quo cœpta eſt haberi, niſi ſi quæ ratio extraordinaria incidit decertandi, ac decernendi difficultas, quomodo anno præterito nonageſimo quarto, in cauſa Keithi, uſque duodecim fuit dierum. Huc veniunt legati ab eccleſiis omnium regionum ac partium terræ, in quibus Quakeri ſuas habent eccleſias,

Digitized by Google

verum ejuſmodi qui ſunt in miniſterio. Primo tempore in domo quadam datur copia conveniendi cujuſvis generis hominibus. id tempus impenditur in prædicationes & ſupplicationes gratulationeſque. Quibus geſtis legati ſe in unam domum recipiunt. Præſidem aſſeſſoremque non habent, quem ajunt Spiritum eſſe ſanctum, ſed ſcribam, qui quæ fiunt notat. Forte leve ac frigidum fuerit plura narrare, ut multa fuſe lateque commemorari poſſent. Quæ in Synodo illa tractatur materies hæc eſt. Tractant ea, quæ putant pertinere ad commune commodum omnium eccleſiarum. Ponunt in medium uniuſcujuſque eccleſiæ ſtatum, ſi quid præſertim dignum cognitione putatur. Recenſent qui, quid, ob quid, paſſi ſunt in cauſis religioſis. Examinant caſus & eventus rariores. Dirimunt controverſias ac diſſidia. Inquirunt in vitam ac mores miniſtrorum, & animadvertunt in eos, qui negligentius aut malitioſius ſuum munus gerunt, aut qui, cum ſint inepti & inconcinni, neque arceſſiti, ſe oſtentant, & ſua officia, in quibus eſſe debent, deſerunt, & volunt eſſe præcones verbi, & perſonati, ſimulato munere hoc, ambulant ac vagantur, & hoc negotium in ſuum quæſtum ac emolumentum convertunt. Monent hortatunturque alii alios, ut quam provintiam nacti ſint, eam ornent, ſeque ad illius dignitatem componant. Statuunt modos in iis, quæ pertinent ad Chriſtianorum curam domeſticam ac famili-

arem,

arem, cumprimis quæ attinent ad educationem liberorum, caventque, cum hæc duo vitia ſunt multo omnium pernicioſiſſima, puerorum nimia licentia, & ornatus cultuſque corporis, ne eæ res unquam ſint peccato atque infamiæ. Et de redimendis captivis, & de ſublevandis tenuioribus, quorum perſpecta indoles bona, & de multis rebus, in quibus uni alteris queunt prodeſſe, agunt. Ubi Synodus dimittitur, ſynodi auctoritate acta geſtaque omnia referuntur in commentarios, e quibus eadem ſummatim excerpunt, & exarata typis mittunt ad ſingulas, per totum terrarum orbem, ſynodos, aut gentes ſocias particulares, qualia exempla ipſe quoque varia habeo. Jam ut non pauci ante Quakeros in Anglia, ita Quakeri omni tempore admodum invehebantur in *Liturgiam* Anglorum eccleſiaſticam, quæ abolita ſub regimine Cromwelli, introducto pro ea Directorio, poſtea ſub rege Carolo repetita & reducta erat, quaſi oppletam plurimis tenebris atque ineptiis papiſtarum, nempe ſuperſtitioſarum & inconditarum lectionum, & precum, & apparatuum atque ornatuum, & cœremoniarum, & corporum actionum ac geſtuum, & feſtorum dierum cum multis ritibus obſervantiæ. Quibus omnibus Quakeri opponebant, & adhuc opponunt ſua in cœtibus *exercitia* hæc nuda atque ſimplicia. Namque ita illi, ubi conveniunt, poſtquam diu requieverunt, & taciti ſuas cogitationes recollegerunt, atque in eo ſo-

lum

lum negotio curaque fuerunt, ut tota mente attendant ſpiritui, quoad agitentur incitenturque ad loquendum, demum tunc, Spiritu movente & impellente, loquuntur, & pro modo impulſus, aut prædicant, aut orant, aut pſallunt. Quemadmodum pari modo populus ſedet ad audiendum. Nam & hi toto illo tempore, quo in loco commorantur, intro verſi attendunt Spiritui, quid is intus agat dictitetve, & ubi eſt qui loquitur, huc quæ ille loquitur aures animoſque adhibent, ſeſeque explorant, & referunt omnia ad ſuam unorum conſcientiam, itáque, dum Spiritus cunctatur, ſinguli pro ſe Deum orant cum ſuo animo, ſupplicant, ſuſpirant, gemunt, quandoque graviter, interdumque propter magnas, ſæpe & contrarias & concertantes inter ſe affectiones, ſe commovent, aut commoventur uſque eo, ut ingens conſequatur tremor corporis, non hujus modo illiuſve, ſed plerorumque & omnium. Quod & fieri crebro dicunt propter Satanæ, ſe occulte inſinuantis, repugnantiam. Retulit mihi quiſpiam fide dignus vir, ita tempore quodam tremuiſſe omnes, quorum ipſe erat unus, ut conclave omne velut terræ motu contremeret. Jam vero cum id interdum ita evenit, ut nulli ſint, qui Spiritum queant exorare, ſic ut faciat eos loqui, aut id agere Spiritui non ſit viſum, diſcedunt quandoque omnes ut venerunt, id eſt, ut nullum inter eos verbum ſit exauditum. Quanquam non ideo ſuum illum aiunt labo-

laborem perire, & negant ullum tamen ſine fructu abire, quoniam nihilominus unuſquiſque aliquid ſaltem emolumenti pro ſe aufert, & dum orant alii pro aliis, his quoque aliquid ſaltem boni communicat, imo dum etiam intercedunt pro iis, qui forte circumſpectatum, qui riſum, qui luſum veniunt, hi quoque ab ſe aliquando mirificam virtutem accipiunt ad ſui emendationem converſionemque. Porro illi ita in exercitiis ſacris, quæ publice ac communiter fiunt, verſantur. Prædicant verbum, & orant ac venerantur Deum, & pſallunt, pro varia agitatione Spiritus. Itaque interdum unum duntaxat colunt, interdum ſolum alterum, quandoque in duobus aut in tribus occupantur, non promiſcue, at ſingillatim, niſi quod accidit aliquando, ut ſimul cantent. Præcipuum autem illis ac fere ſolenne exercitium eſt *verbi prædicatio*. Ea maxime conſiſtit in propoſitione partis cujuſdam doctrinæ, aut ad virtutem aliquam cohortatione. Et quoniam vim oratoris ſacri, non in verbis ac motibus corporis (niſi ii ſint congruentes vocis ac vultus cum gravitate ac ſimplicitate moderationes) at vero in rerum dignitate ac pondere poſitam eſſe putant, non viam, formam, rationem, petitas a præceptis ac arte affectant, verum tantummodo verbis planis atque apertis utuntur, directis, minime ad implendum aurium ſenſum, alt ad ſui animi ſenſa exprimenda, & ea imprimenda in animos auditorum, cum convenienti actione

vocis

Digitized by Google

vocis ac vultus, non geſtus. Et reprehendunt vero acriter Theologos fieri ethologos, aut veluti mimos, quorum inſtitutio & eloquentia omnis in lingua ac geſticulatione. *Preces* potiſſimum lugubres ſunt lamentationes, quæ quanto ſunt ſubmiſſiores, tanto ſe magis ſuum exiſtimant officium conficere. Cantant & *pſallunt*, non moderata pronuntiatione verborum, aut muſica modulatione, nedum verbis metricis ac rythmicis (quod genus canendi adhibere neque liceret, niſi quis extemporalem in componendo facultatem haberet) at ſolius in ore ſoni colliſione ac flexu, fere ad eum modum, quo Hiſpanorum natio, & Mauri in Africa, hos ſi quis audierit, ut nos utroſque in illorum terris audivimus ſæpe, cantitantes. Atque ita aliquando non unus, neque alter, ſed tota multitudo canit ſuavi ac dulci ſono. Solent autem in his exercitiis miniſtri præcipui eſſe actores & frequentiores. quanquam nulli e reliquo genere excluduntur, niſi ſi omnino inepti habeantur, aut ſint importuni, aut ignoti omnibus. Et cum non modo id ſpectant, quid quis dicat, ſed etiam quibus dicat verbis ac modis, & cum multa ac propemodum omnia in iis ſunt ſingularia, quæ non cadant in illos qui ſunt alieni ab ipſorum communione, hinc ſi forte quiſpiam homo vafer & inſidioſus vel irriſor accedat, & ipſorum imitetur orationes moreſque, mox verbis, voce, vultu, dignoſcunt & notant ut ſannionem & prohibent arcentque. Et hic cul-

tus

tus eorum publicus. Privatim multum temporis ac curæ meditationi, multum precibus, multum lectioni, imprimis Sacræ Scripturæ, impendunt, & ſuos docent, & pueros erudiunt, cum ad artes atque mores, qui ſiti ſunt in ſocietate civili, tum ad cultum Dei, & converſationem Chriſtianam, & ſic viva voce inſtruunt, quam appellamus catechiſationem, in quos uſus habent libellos admodum concinnos. Cæterum & id his hominibus in more poſitum, in ſuis ædibus apud ſe non ante clara voce quidpiam proferre, aut Deum orare, exempli gratia, ante quam cibum capiant, aut abeant cubitum, quam ſentiant ſe ad hoc excitari & impelli a ſpiritu, & donec eò veniant, ſecum in animo cogitare ea, quæ iſtis rebus ſunt convenientia, & per hoc ſæpe ſolum tacito, nullo externo ſermone, uti. Unde natus aliorum error quidem, Quakeros nunquam orare Deum, aliorum malitioſa calumnia, eos pecudum ritu proſilire ad omnia. Quam orationem illi tolerantius ferrent, ſi tantum vulgi eſſet, parati confirmatique ad credendum omnibus, ac non etiam melioris habitæ partis hominum, eorumque, qui non quomodocunque percepta pro compertis, verum nil, niſi certi expertique videntur dicere ac ſcribere, & ſic, ut quæ ipſi dicant ac ſcribant ipſa veritas fideſque videantur aſſeverare. De cætero ſunt hi homines valde dediti ſuo divino cultui communi ac publico, & interim alieniſſimi à ſuperſtitione,

quam

quam neque quiſquam niſi aut irreligioſus, aut parum ſapiens, ant magis infelix ſolet ſectari. Itaque & ſæpe conveniunt, quo huic pio Dei cultui vacent. Habent autem ad id ſuas ædes, & alicubi ſpatioſas & etiam nitidas. Extra has his temporibus raro aut nunquam audias diſſerentes ac verba facientes hominibus de iis, quæ volunt alios de ſua religione aut officiis Chriſtianorum docere, ſecus quam olim in viis, in foris, in templis aliorum ſuas ſolebant oratiunculas habere. Cujus rei mihi ex ipſis ſciſcitanti cauſam, cum hodieque eadem id faciendi ſit neceſſitas & occaſio, illi haut aliud reſponſum reddunt, quam nunc non ita placere Spiritui ſancto. Hoc ipſis cum quibuſdam Proteſtantibus convenit, quod dies *feſtos* nullos agnoſcant, at non convenit hoc iis neque placet cum Proteſtantibus aliis, quod diem primum hebdomadæ, quem a Domino Jeſu Chriſto appellamus *dominicum*, habeant feriatum, & eum velint obſervandum virtute præcepti quarti. Cœteroquin affirmant perneceſſarium eſſe, ut detur tempus aliquod divino cultui, ac congreſſui ad illum cultum, utque Chriſtiani iſthoc tempore otientur ab operibus aliis, atque ad id tempus maxime opportunum eſſe diem dominicum, quo die inquiunt Apoſtoli & primi Chriſtiani ſe ad illum cultum in unum locum congregabant. Itaque & hoc die, & aliis, quotieſcunque obvenit occaſio, ſuos conventus celebrant. Atque ita in urbibus majoribus

ac frequentioribus, quemadmodum Londini, fere ſingulis diebus ſuos cœtus agitant, idque ſæpe tanta affluentia hominum, ut, cum tantus numerus conſtipari in unum locum non poſſit, & mediis ac primis poſtremi receſſum nequeant dare, quidam in animi deliquium incidant ex anguſtia, qui cum ſæpe aceto, quod ad id paratum habent, refocillantur ac reſpirant, hinc ortus lepidus cavillus, qui, ut jam fere omnis rumor, natus è quodam horum hominum facto male accepto, per animos ac ſermones omnium pervadebat, habere Quakeros in ſuis cœtibus ampullam ſive langunculam, in eáque potiunculam, è qua qui bibit evadat Quakerus. Sicut homines hi cum aliis inquietis hominibus, multa acriter reprehendebant in Proteſtantibus omnibus, quantum ad miniſtrorum eccleſiarum præparationem, inſtitutionem, ordinationem, ſuſtentationem, ita ipſi inter ſe quæque prorſus contrarie diſponere, atque ſuis injungere abhinc magis magiſque incipiebant, hodieque his rebus vehementer ſolent inſiſtere. Imprimis querebantur, atque etiam nunc queruntur de rationis pravitate qua hi, qui adeunt & exequuntur munus ſacrum, ſolent formari ad ſtudia, quibus ad munus hoc gradiuntur & accedunt. Ita enim exprobrant, pueros a parentibus atque amicis a primis annis deſtinari miniſterio huic, non aliter atque aliâs deſignantur alicui arti aut operæ mechanicæ, vel negotiationi, vel officio politico, ut habeant in

vita, in quo ſe exerceant, & unde victum quærant, atque ita quæſtui haberi & munus hoc, & religionem fidemque ac pietatem, non hæc omni lucro anteponi. Et ſic pueros continuo ad id educari, & aliquid hujuſcemodi doceri, & tradi inſtituendos præceptoribus, quomodocunque ſint animati, quocunque ducantur ſpiritu, etſi nil agant, niſi juſſi & coacti, cum tamen in omni alia occupatione ſoleat ſpectari, quo quemque ſua indoles ac mens ferat, cumque ſane ad hoc omne conſilium & inſtitutum ſit revocandum. Sic pueros mitti ad ſcholas & academias, neque illis tum quoque ſpatium deliberandi ſeſeque excutiendi dari, ut ad iſtud, ad quod ſunt aptiſſimi, ſe applicent potiſſimum, verum hanc viam ingreſſos jam modo implicari ſtudio ac labore, multa, quæ putent e ſua eſſe re, addiſcendi, nil ſollicitos de gratia Spiritus ſancti illuminante & convertente, & cum ad id vitæ genus ſunt delati, tum ita adhæreſcere, ut quicquid obvenit, a propoſito non deſiſtant, cumprimis dum ſera eſt mutatio, & tranſiit ætas, qua opus aliud, quod conducat ad emolumentum & commodum, incœptent. Adhæc ſic rudes & indoctos homunculos, quorum mens ut cera inprimitur, & animus molliculus in quamcunque facile trahitur partem, quos ſibi ſemel delegerunt præceptores, hos inconſiderato impetu, audiendos, hos imitandos ſibi proponere, in omni cogitatione actioneque miniſterii & vitæ. Inter hæc multos

multos inſuper inertiæ, ludis, luxui, voluptatibus ſe dedere. Ita poſtremum ſe tradere concionalibus exercitationibus & declamationibus, & multos ſolum bene coram populo dicendi volvendique linguam peritiæ omnes ingenii vires intendere, quoſdam & vocis & geſtuum modulationi, in quibus omnem diſſerendi vim & eloquentiam collocant. Atque ubi his modis ex infantiſſimis perfecti oratores evaſerunt, & digni habiti ſunt, poſt examen ac probationem, ita munus appetere, & poſita in medio palma ei, qui ex omni examine optime ad voluptatem aurium & oculorum verba ſcit fundere, homines, captos eorum oratiunculis, ſicut paſtoritia fiſtula, ſibi aſciſcere paſtores, iiſque ſuam animam ac ſalutem committere, cum interim nil quicquam ſpirituale ac ſalutare ex illorum virorum pectoribus ad animos auditorum effluat, nihilque ad eos veniat præter verba, & hi ad ſermones concionantium aridos ſedeant in templis, tanquam lapides ſuper lapides, & inſtar mortuorum ſupra mortuos, quos habent infra pedes. Adhæc hoc de ſtudioſorum in Scholis affectationibus habent dicere. Agnoſcunt notitiam *Linguarum*, cumprimis Hebreæ, Græcæ, ac Latinæ, olim perutilem fuiſſe, & etiam nunc eſſe, ad intelligendam & interpretandam ſacram Scripturam, ſed non ideo eas ſcientias putant neceſſarias ad opus miniſterii, ut quod unice peragi volunt Spiritu, neque adeo proficuas, ut ſi quis eas

linguas non calleat, idcirco merito clueat idiota & illiteratus, & minus autoritate valeat. *Philoſophiam* autem ut docetur in ſcholis, & quæ hinc exorta, *Theologiam Scholaſticam* non modo ut inutilem habent, at ut pernicioſam, & contra ſanam doctrinam plagam exiſtimant, introductam a Satana, ut pſeudothyrum mendaciorum, ac repagulum genuinæ Dei divinarumque rerum cognitionis, & vitæ probitatis. Contemnunt *titulorum* nominumque diverſitates dignitateſque inter eccleſiaſticos, ut ſunt magiſtrorum, licentiatorum, doctorum, profeſſorum, contenduntque eos titulos eo ſolummodo tendere, ut ii, qui his honoribus dignantur, atque inde ſic digito monſtrantur, elati & inflati modo ſupercilium attrahant, & imperium affectent in ſocios. Coarguunt Proteſtantes, numerum miniſtrorum verbi paſtorumque eccleſiarum ab iis reſtringi variis conſtitutionibus, nempe eos multas leges ambitus, & leges annarias ponere, aut pati ſibi imponi, & prohibere, aut non id operam dare, ut per omnes eccleſias, utique per majores, plures ſint miniſtri paſtoreſque, qui cunctos publice ac privatim doceant, moneant, alia obeant munia, atque mittantur foras ad gentes alias, qui curam ac laborem impendant, ut homines, alienos a notitia Dei ac pietate, hac cognitione cultuque hoc imbuant, quique de proferendis eccleſiæ finibus & augendo regno Dei per totum terrarum orbem cogitent. Denique incuſant

ſant Quakeri vehementer Proteſtantium eccleſias, dicamque grandem ſcribunt, propter rationem *Salarii*, quo ipſorum miniſtri ac paſtores ſuſtenſtantur. Non negant hiſce viris deberi ſuſtentationem in victu & amictu, & cæteris rebus, quæ ſunt ad vivendum neceſſariæ; affirmant, probant, deberi è mandato divino. Unde perſpicuum eſt eos multum diſcrepare ab noſtratibus Anabaptiſtis, cum apertis illis & ſimplicibus, tum maxime illis doloſis, ſuorum operum liberaliſſimis, atque interim ſub ſpecie benignitatis ac munificentiæ homines trahentibus in ſuas naſſas, inde ut arbitratu ſuo affatim cotidie eſcam petant. Hoc nolunt, ita hoc ſtudium, quod ducit ad munus hoc, ac tum munus ipſum, a quoquam tractari, ut omnem aliam operam, qua ſe ſuſtentet, omittat, ac poſtea hoc miniſterium ſuam habeat vitam. Nolunt dari ſtipendia ad certam ſummam, intervenire pacta conventaque, populum, ut det, cogi, dari adeo ampla, ſuperflua, ſumptuoſa, magnifica. Dicunt & clamant, totum illud genus eſſe illiberale, mercenarium, conductitium, ſordidum, & homines ſolo lucro ad officium impelli, & tantum propter opes opus ſuum agere, atque ubi nunc ad ſummum pervenerunt, parum aut nihil agere, imo quæſtum hunc fontem ac fomitem eſſe, incitamentum & irritamentum avaritiæ, cupiditatum, otii, laſciviæ, luxus, ambitionis immenſæ, contentionum perpetuarum, dominationis, pluri-

marum graviſſimarum iniquitatum. ſic regali magnificentia ſplendidas domos ac familias videri illorum, qui ſe miniſtro Chriſti, & ob Chriſtum, eccleſiæ prædicant, & pompam omnem, & inter hæc negligentiam muneris, & contemptum minorum, & oppreſſionem ſubditorum ac tyrannidem, & hac via quondam Antichriſtum intraſſe in eceleſiam, in eâque invaluiſſe. His omnibus homines hi hanc unam ſimplicem opponebant ſui miniſterii rationem ac formam, eamque conſtanter ſervant, ſic argumentantes. Cum ſinguli in eccleſia, ut quæque in corpore membra, ſua habent dona, etiam ſuas functiones & operationes ad utilitatem communem habere poſſunt. Ergo dicunt unumquodque membrorum Chriſti oportere ſe expergefacere, & experiri in ſe dona ac virtutem Spiritus vitæ in Chriſto, & quod accepit donum in commune miniſtrare, certe, ſi ſentiat ſe ad id allici ac duci a Spiritu, poſſe & debere, ut bonum canditatum, ad ſacrum miniſterium aſpirare, & eo fungi, etiam paſtoris eccleſiæ, & poſſe & debere ſe ad illud applicare eo tempore ac loco, quo Spiritus trahit atque impellit; & hanc ei volunt ejus *vocationem* eſſe, neque ad hanc requiri, ſive neceſſario, ſive ordinis ac decori cauſa, ullam exercitationem, præparationem, vocationem ſingularem, factam a quoquam cœtu, atque ullam approbationem vel acceptionem, quæ fiat a populo, ſive ſit eccleſia conſtituenda, ſive conſtituta. Nihilo-

hilominus id habent. Ubi quis ſentit in animo, ſe non ineptum ad miniſterium eſſe, & trahi huc a Spiritu, non continuo accurrit, at tum demum, cum probatus ac dignus habitus eſt a cœtu miniſtrorum, quibus talis res credatur, aut a conventu generali, ut accitu arceſſituque quaſi horum virorum veniat ac Spiritus. Itaque hi ante eum perquirunt, utrum ſit ad hoc officium idoneus, & an ſatis expediat ipſum ad id applicari, ac monent porro, ut ſi id obtineat, ei ſe accommodet, & laboret in eo, ut id ſibi non minus ornamento ac ſaluti ſit quam eccleſiæ. Sic ille exit. Neque enim ullam apparationem admittunt, aut ordinationem, nedum cæremonias, quales ſolent adhiberi a multis Proteſtantibus, in inaugurandis miniſtris, quales hi viri habent inutiles, ineptas, nugaces. Ut autem hi novi præcones, adeundo ad remotas & ignotas eccleſias, eo promptius ſe in ſuum miniſterium accingant, atque eccleſiæ eos minus dubitanter recipiant, ſolent a concilio vel particulari, vel generali, interdum addi literæ, quibus eos illis eccleſiis commendent, quibus literis quandoque & aliarum eccleſiarum, & virorum inſignium aut amicorum, accedunt epiſtolæ commendatitiæ. Mercedis miniſtrorum ratio hæc eſt. Statuunt accipiendam eſſe mercedem, at populo ſua ſponte largiente, & eandem ita revocandam eſſe ad calculum, ut exacte uniuſcujuſque facultas conſideretur, neque dandam accipiendamque

Digitized by Google

tamen ultra quam ut cujuſquam ſatiet vitæ neceſſitatem. quod ſi vero miniſter aliquis prematur inopia, atque illi, quibus miniſtrat, ſint adeo parci ac reſtricti, aut adeo duri, ut nil velint præbere, hanc ei libertatem largiuntur, ut abeat, ac quoque pulverem excutiat de pedibus. Sic Chriſtum juſſiſſe aiunt, ita feciſſe Apoſtolos. Accidit Quakerorum quod nulli non contingit ſocietati, ut etiam ingerant ſe viſi facie ac fronte, & ubi una ſunt cum ſuis, quantivis pretii, quorum, ubi abſunt ſocii, aut res eſt cum iis, qui, ut diu ſe ſuo illo modo teneant, non permittunt, immoderatio & petulantia in verbis factiſque brevi conſpicitur. itemque quorum poſt longum tractum temporis audacia & importunitas erumpit e latebris. Quod cum ſæpe apparuit, e multis ſimilibus facile nata ſuſpicio hominum, eſſe Quakeros omnes gentem ſimulatricem, non adeo ſimplicem, & cum ſe maxime omnium Chriſtianorum pios ac probos videri cupiant ac ſtudeant, longiſſime abeſſe, & modo hominum e turba hominum teterrimorum eſſe congeriem. Atque hoc Quakeris nequaquam ignotum. Præterea concedunt eſſe, qui non tali ſimulatione ac prætextu ſectæ ac religionis, ſuæ pravæ naturæ ſuarumque cupiditatum operimento, at dum animitus iſti ſocietati adhærent, interim communi fragilitate, non ſtudio, neque omnino ex voluntate, ſed inopinato incidunt in vitia graviora; & alios eſſe, qui diſtracti blanditiis

atque

atque illecebris rerum mundanarum ac præſentium, quod earum impetus ſemper ſuſtinere non poſſunt, ſe adſtringunt opibus, & dant otio & delectationi & delicatiori vitæ generi; item qui erga liberos ſolutioris aut remiſſioris ſunt animi; poſtremo qui ab moribus atque exemplis plerorumque, & doctrinæ inſtitutis, deficiunt, ceu nimis rigidis & duris & odioſis hominibus, & ruptis diſjectiſque clauſtris, quibus obſidebantur, plus amant ac conſectantur apparatum nitidiorem, & ſuavitatem atque elegantiam urbanitatis & humanitatis in converſatione civili, ut bonæ nempe fortunæ bonæque educationis indicium, quod mulierculis & junioris ætatis animulis ſæpe evenit. Atqui pro his delectis Quakeri ſibi diſciplinam eccleſiaſticam & cenſuram ſuorum in uſu aiunt eſſe. Eam autem exercere ſe dicunt gradatim, juxta formulam præſcriptam a Domino ac Conſervatore Jeſu Chriſto, quam licet legere apud Matthæum. Itaque neminem inauditum indefenſumque damnant. Si qui adeſſe non poſſunt, ſcribunt ad eos, qui tum reſcribunt, quiſque quod ſibi eſt dicendum. Neque tamen ubique eandem ſervant ſeveritatem. Quod ſi quæ delicta ſunt temporis, infelicitatis, neceſſitatis, magis quam liberi arbitrii ac voluntatis, in his ſolent eſſe mitiores, in aliquibus connivere. Cujuſmodi illud. Etiam hodie in Anglia, & alibi, Quakeri abnuunt & refugiunt ſolutiones oblationeſque decumarum, quatenus cedunt in u-

ſum eccleſiaſticum aut in bellum. Verum cum omnes eam ob cauſam tot vexationes ac direptiones toleravere, hodie plerique omnes, quotiens ejus generis nummi exiguntur, ne totiens incurrant eaſdem pœnas, id, quod ſolet hoc fine peti, ſuo tempore largiuntur, neque rogant cui uſui. Cum vero cenſores morum putant eos ſic tamen delinquere, eam rem ut debilitatem inevitabilem prætermittunt. Hic *contrahendi matrimonii* inter eos mos. Monent juvenilis ætatis homines crebro, ne tantam rem, quæ vitæ ac ſalutis inſtar eſſe poſſit, temere neque abſque conſilio ac conſenſu parentum aut propinquorum aggrediantur. Si ſunt, qui cupiunt matrimonium inire, id in cœtu indicant ſenatui eccleſiaſtico. Is rogat, utrum hoc ſerio velint, utrum parentum, cognatorum, tutorumve accedat conſenſio, utrumne ſe aliis deſponderint, ſi ſunt qui vixere in viduitate, an juxta conjugalium præſcripta tabularum ſua bona diſpenſaverint. Dein omnes rogantur, qui adſunt, an quis quid contra eos. Inde a ſponſalibus, hujus contractus & futurarum nuptiarum fit mentio, die dominica, in conventu coram univerſo populo, bis, interveniente ſpatio ſeptem dierum. Eſt ubi promulgatio ea fit in cœtibus menſtrualibus. Poſtquam id tempus tranſiit, ſponſus ca ſponſa veniunt in cœtum, proſequentibus cognatis & affinibus, & familiaribus, & notis cujuſcunque nominis ac generis, qui volunt.

Illic

Illic ſponſus atque ſponſa rogantur ſuum propoſitum, an ament ac velint ſe invicem, hunc & hanc, in conjugium, & promittant, ſe daturos operam, ut conjugium hoc honeſtum, animam puram, & corpus, ut animæ vas ac veſtimentum, mundum habeant, ſitque perpetim mariti affectio erga uxorem, uxoriſque in maritum animus, & peracturos ſe eſſe impigre officia communia, & ſua quemque omnia, neque ſe mutuo derelicturos, antequam fatum illud inevitabile, cunctis experiundum, eos dirimat. Sic rogati, quiſque pro ſe, mentem declarant, & his dictis, quæ perſcribuntur in commentariis, ſua ſubſcribunt nomina. quod idem faciunt cognati, & quotquot eam rem volunt ex iis, qui coaccedunt. Sic hunc actum cludunt. Sequuntur quandoque, ſi qui ſunt in parte lauta ac copioſa, chariſtia, ſive nuptialia convivia & epularum hilaritates, verum abſque feſtivitatibus ſolennibus, ut quas non dignitatis nuptiarum ornamenta, at ſolum oculorum & aurium, & gulæ atque abdominis oblectamenta, & luxuriæ atque impudicitiæ irritamenta ac nutrimenta cenſent eſſe. Cum autem hæ factæ inter Quakeros nuptiæ diu a magiſtratibus, ut illegitimi concubitus, & liberi ex iis nati, ut nothi improbarentur, eædem nunc, ſaltem in Anglia iiſque terris, & in pleriſque aliis regionibus ratæ habentnr. Quoniam dixi de matrimonio, dicam & de uſu illorum circa natos ex eo liberos. Nato infante

infante, paucis poſt diebus convocant obſtetricem & cœteras mulieres, quæ parturientem adjuverunt, petuntque ab his teſtificationem, talem infantem, tali loco & tempore, iiſque parentibus natum eſſe, & indunt infanti nomen, atque curant hæc perſcribi in ſingularem librum, quem ad hoc aſſervant in unis ædibus. De ritibus funerariis antehac intellectum eſt. Sic res ſunt humanæ, nunquam ut in eodem ſtatu maneant, neque diu uſquam otium ac tranquillitatem habeant. Poſtquam modico intervallo temporis quies facta his hominibus, & circa fora alcedonia eſſent, nova exorta tempeſtas, quæ primum incidit in capita, & ea quidem, quorum nuper ad Quakeros acceſſum prolixe commemoravi, deinde in membra propemodum omnia deſævit totius ſocietatis. Namque ita G. *Keithus* anno ſeptimo ſupra ſexageſimum in Scotia datus in carcerem Aberdonienſem, conſeditque per plures menſes. quo tempore ſcripſit librum illum de immediata revelatione Jeſu Chriſti in homine. qui liber breviarium totius ipſius doctrinæ. Sequenti anno G. *Pennus* Londini cuſtodiæ datus, propter hanc cauſam. Erat Penno & quibuſdam è ſociis colloquium cum aliquibus Presbyterianis, de Presbyterianorum doctrina, quæ attinet ad ſacroſanctam Trinitatem, & peccatorum juſtificationem. In quo colloquio cum alteri alteros non modo argumentis vincere nequirent, ſed ad extremum neque dicentes audire

dire poſſent, & magna orta eſſet confuſio ac perturbatio, Pennus firmus vir propoſito, qui niſi eo hic quoque perfecto, non poterat quieſcere, confugit ſeque confert ad ſcriptionem. Itaque mox edit libellum, atque in eo hæc tria dogmata Presbyterianorum quaſi convellit, contenditque pugnare cum teſtimoniis Scripturæ, & rationibus, petitis ab hominum intelligentia ac notione inſita menti, nempe eſſe unum Deum ſubſiſtentem in tribus diſtinctis & ſeparatis perſonis; non dari a Deo veniam delictorum, niſi plena intercedat ſatisfactio; homines immundos a Deo juſtificari per juſtitiam imputatam. Utor in his verbis, quibus Pennus utitur Anglice, noſtro ſermonis generi accommodatis, ut iiſdem hodie utuntur omnes, quando loquuntur de rebus Theologicis. Adhæc ita viri verbis utor, ut putem, nequaquam ab eo poſita eſſe è mente illorum Presbyterianorum, certe non illud, quo utitur Pennus circa articulum primum, de perſonis in Deo *ſeparatis*, quaſi ſic loquerentur Presbyteriani. Præter quod Pennus non tam de ipſa re, quam de nominibus tantam movebat controverſiam, dum ſinguli utrinque verbis utuntur ſuis. Ad hunc libellum non ſolum Presbyteriani, ſed etiam reliqui per Angliam eccleſiaſtici, erumpere in iram atque odium, & clamare ſatis nunc inveſtigatum & perſpectum eſſe hujus animum hominis, ac ſolum librum hunc indicare, qui homo eſſet, minimum, ut ſan-

ctam

ctam Trinitatem abnegaret, proinde minime inter Chriſtianos tolerari fas eſſe eum. Ad hos clamores igitur Pennus in cuſtodiam conjectus. Ubi conſcribit alium librum, illum, cui titulus, *Non ſine cruce corona*, opus non religionis articulos, ſed vitæ actiones tractans, non rebus vacuum ac verbis tumidum ac turgidum, ſed copioſiſſimum materia, pariterque phraſium & ſententiarum pondere, omnibuſque ornamentis oratoriis præſtantiſſimum, quod ipſi ejus inimici, etiam in hoſte poſitam induſtriam ac virtutem laudantes, non verebantur de eo affirmare. Ex hac cuſtodia Pennus liberabatur interceſſione regis, qui etiam, quod ex eo tempore Penni fortunæ atque opes, quas plurimas habebat in Anglia & Hibernia, in deſcrimen veniebant (quoniam non deerant, qui id ſtudebant, quo Penno pennæ penitus præciderentur, ſic ut neque aliàs renaſcerentur) ſic Pennum protegebat, ut ne ejus ſaltem bona corriperentur ac confiſcarentur. His temporibus etiam *Salomon Eccles* multum ſenſit mali, ſed ita, ut illud ſua audacia & temeritate atque impudentia, quum vitare potuiſſet, ultro attraheret. Hic ille vir, quem libro ſuperiori vidimus factum e muſico Quakerum ſua illa inſtrumenta omnia, tot dulces fœtus muſarum, exponere igni ac concremare. Imo hic vir factus interea temporis eccleſiaſtes & concionator, mirum quanta cupiditate ſui officii partes, ſuorumque de ſe ſpem atque exſpectationem,

tionem, ſimul ſuorum adverſariorum ac hominum cunctorum aures atque ora, implere ſtudebat. Scripſerat anno ſexageſimo ſeptimo dialogum, in quo certamen de artis muſicæ dignitate atque utilitate, inter ſe reprehenſorem, & defenſores iſtius artis, quos ipſe faciebat loquentes, inducebat, ac poſtea horum ſilentium ſibi ut magnum victoriæ ac laudis inſigne adſcribebat. Deinde proximo anno ſcriptum edebat provocatorium, per quod Presbyterianorum, Independentium, Baptiſtarum, Papiſtarum, doctores paſtoreſque omnes vocat in certamen, poſtulatque ut ſecum experiantur, quinam ex omni multitudine veri cultores Dei eſſent, idque hoc experimento, ut omnes ſeptem dies ac noctes omni cibo ac potu abſtineant, ac jejuni vigilent, atque illa pars, in quam ignis cadat cœleſtis, ea exiſtimetur, quæ ſit grata Deo, eaque veræ religionis a Deo ſempiterna teſtificatio maneat. Verum non extitit quiſquam tam facetus aut fatuus, ut hoc prælium cum iſthoc homine committeret. Et hæc quidem verba inulta impunitaque. At non ita tutum atque impetrabile quod ſequebatur anno deinde ſequenti. Agebat Eccles in Scotia Gallovidiæ, & cognito extra mœnia urbis habitum iri conventum Papiſtarum, aſſciſcit tres ſocios, capitque foculum cum ſulphure atque igne, & ſuo imponit capiti. Ita conciliabulum ingreditur papiſticum, & tradita ollula amicis, qui excipiunt genubus, emicante

te

te igne, denuntiat omnibus, tanta deſiſtant idololatria, cœteroquin futurum, ut univerſi igne intereant. Ubi autem ex hoc loco evaſit, redit in urbem, atque illo eodem modo civibus idem præclarum dat præceptum ac ſignum quo illi diſcant ſapere. qui hominem cum prædicatione ac monumento, poſt aliquot dura verba ac verbera, rapiunt in carcerem. Inde emiſſus ac reverſus Londinum, ibi nundinis Bartholomeis ſimile quippiam incipit in foro, coram pegmate circumforanei ac nugivendi, frequentiore populo. Ubi vir acris illum aggreditur, atque ſic ſua ſcutica depexuiſſet, ut illius bene temporis ac loci meminiſſet, ſi non alius vir honeſtus ac multipotens ſtricto gladio defendiſſet, ac porro multitudinis concitatæ manibus eripuiſſet. Hujuſmodi viri facta ipſi Quakeri habebant inconceſſa & inconſiderata. Non multo poſt Eccles abiit in Hiberniam, atque Corcagiæ in templo majori, omnibus ſolenniter peractis a verbi miniſtro ac populo, illud ſuæ gentis ſolenne carmen intonat, *impiorum orationem rem Deo execrabilem eſſe.* Id non adeo commode tranſiit. Primum raptus conjectuſque in ergaſtulum, deinde per ſingulos in urbe vicos admonitus nodoſis verberibus vindicis rerum capitalium, ex urbe ejicitur tanquam nihili homo, vagabundus, factioſus, quem ad perturbandos homines animus pravus, & mala conſuetudo, & ſua in ea delectatio ſtimularent. Poſtmodum Eccles diſceſſit in Angliam

gliam novam, ubi in quodam ſermone, vehementi contentione iræ, in quempiam quoddam judicium, ceu juſſum dictumque à Deo, venturum intra quoddam certum tempus, pronuntiabat. Quod oraculum quum falleret, quumque Eccles ſuam vanitatem expertus, ſpatium reſipiſcendi haberet, poſtea, etiam publico ſcripto, ſuam præcipitantiam atque errorem agnovit ac faſſus eſt, hoc poſtremum ingenuum imitatus virum, ſiquidem optimum nil pœnitendum agere, proximum ejuſdem duci pœnitentia, idemque corrigere. Dum hæc hiſce Quakerorum capitibus incidunt, ſimiliter in Anglia, Scotia, inprimis Hibernia multa oppugnatio fit multorum totius Societatis, denegantium ſuas ad ſua ſacra congregationes omittere. Sed cum de ea nihil invenio præter quod ante dictum memorabile ac dilatandum, ſufficit digitum intendiſſe. Excurrebat Foxus hoc anno in Hiberniam, verum nihil rerum gerens, niſi quod viſeret amicos, atque iis, ſingulis quod iis bono eſſe cenſebat, id perſuaderet. Ubi vero Foxus ex itinere hoc rediit in Angliam, quum uſque ad hoc tempus, propter moleſtiſſimas occupationes, vitam egiſſet cœlibem, & cum eum jam nactum paulo plus relaxationis & otii, lecti, liberi quidem & hactenus jucundi, at ſolitarii tœderet, cœptat cogitare de connubio, & cum hoc conſilio abiens ad ſuam veterem amicam & hoſpitam, Margaretam, viduam L. Felli, illam

ſibi petit uxorem, ac poſtea è communium amicorum ſententia ducit, nubitque illa Foxo, non ad paſtum hujus mendicitatis, atque illius libidinis, verum ex mutuo amore, atque ideo nil utrinque de dote ſolliciti, & vixerunt ambo, tametſi ſine communi prole, conjunctiſſime uſque ad ſeram ætatem. Hæc non inconveniens putavi addere, propter ea quæ non ita diu antehac Gallus ille, impræſentiarum bonus quidem, ſi fas eſt credere, catholicus, verum antea bis apoſtata, ſcripſit de hoc pari, deque variis honeſtis hominibus, in ſuo opuſculo Gallico, non invenuſto, quantum ad linguæ Gallicæ nitorem, ſed omnibus mendaciis referto, factoque ad cachinnos populares. Dignior memoria dictuque annus ſeptuageſimus. Oppreſſi vexatique omnibus modis in Anglia, quotquot perſtabant in celebrandis cœtibus, qui nolebant ſolvere decimas, aut cum exactoribus ad ipſorum voluntatem ac conditiones depaciſci, qui, non quidem facere juranda, ſed juramenta dare recuſabant. Et concurrebant vero ad cœtus hos diſturbandos & opprimendos exſtinguendoſque Quakerorum, velut exſtinctores communis incendii, in unis locis ipſi magiſtratus, in aliis officiales ac miniſtri, alicubi milites, alibi ipſi eccleſiarum paſtores cum æditúis ac cuſtodibus templorum. Et hi quidem congregatis ſupervenire, atque illorum annotare nomina, ut poſt dicam ſcriberent, ac jure in eos agerent. Nihilominus factum

id

Digitized by Google

id quandoque horribili impetu. Et leve erat hominibus infringere colaphos, impingere ſcipiones ac fuſtes, tanta vi ut aſſulatim diſſilirent. *Corinii* in Gloceſtria quidam è cœnaculo in parte domus ſuperiori, ſublatis ſcalis, in imum detruſi ac graviter alliſi, inter quos mulier vidua & admodum anus, fractis ſcapulis, brevi poſt ſuam edebat animam. Pauci abducti in carceres. Impoſita omnibus viritim multa pecuniaria, aliis quinquies, aliis decies, quibuſdam vicies ſterlingpondium, pro habitu perſonarum aut divitiarum. Qui ſuas domos commodaverant, qui erant locuti, qui ſoliti crebro adeſſe, his major ſumma irrogata. Multa inter hæc ab officialibus avaris, à militibus humanitatis expertibus atque ignaris, ab improbis civibus, aut civitatem uſurpantibus, à peregrinis, à fæce hominum, pro quibus viri honeſti ac frugi non ſentiebant, ficta atque cum ſuſpicione arrepta ab aliis. Quædam ab iiſdem fœde ac turpiter admiſſa. Accidit ut etiam ii multarentur, qui ne quidem adfuerant, ſed qui, ideo quod nunquam non adeſſe credebantur, etiam nunc non abſuiſſe, at abſcondiſſe ſe, deferebantur exiſtimabanturque. Et quanquam nemo fuerat locutus, tamen ponebatur ut certum, non potuiſſe ipſorum ſacra aliter conſtare, niſi qui fuiſſet locutus adfuiſſet. Tradunt Quakeri contigiſſe, cum in ædibus cum patrefamilias ac familia ipſa ſolum unus eſſet Quakerus extraneus, ut ex

inquiſitoribus acceſſerint, qui herum, præſente Quakero altero, velut de re quadam convenirent, & illo paucis reſpondente, abirent, eumque, quaſi in cœtu Quakerorum inſtar præconis verbi fuiſſet locutus, deferrent, ac ſimul locutori, ſimul amico grandem multam facerent. In has ac ſimiles fraudes ac fallacias plures ex his hominibus tradunt incidiſſe in *Northingamia* comitatu. Mihi hi homines narraverunt accidiſſe, ut quidam nebulones compoſito aliquo ingrederentur, & tacentibus Quakeris, unus ex iis ſe in medium proriperet, & inciperet fari, & ad hoc reliqui protinus aſſilirent, & primum in Quakeros, tum in ædium bona impetu irruerent, eademque ſecum auferrent. In hac oppugnatione, ſane inſigni confectatione & machina concinna ad evertendas opes hominum, cum nullus Quakerorum injuriam largitione pecuniæ redimere, neque ullus alicujus violentiæ & impugnationi, quantumcunque ſibi noceretur. Repugnare vellet, quod utplurimum facile factu fuiſſet, ſi juxta ipſorum legem fieri debuiſſet, ſinguli ex iis copiis, qui ſibi aliquid deberi putabant, pro ſua parte, loco pecuniæ, quicquid apprehendere poterant, capere, rapere, ex agris jumenta, pecora, inſtrumenta ruſticationi propria, ex ædibus mercimonia, ſuppellectilia, culcitras, ſtragula, vaſa, veſtes quoque, ipſaque cibaria, tametſi duplo pretioſiora. Quidam advehere plauſtra, iiſque ſuas domos pervehere

vehere omnia, tantummodo relicto quod loco moveri atque exportari non poterat. Quæ bona tunc ſæpe, poſita haſta in foro, veniebant, ſed qua propoſita auctione, quidam homines adeo probi erant, ut ex ejuſmodi bonis, quæ his, qui perdiderant, mœrori, & mercantibus pudori eſſent, nil emere cuperent. Quorundam bona clam, noctu quoque, ablata. In hac raptura etiam decumani valde vigilantes paratique ad curſum erant. Pecuniæ multatitiæ è partibus trinis una in gazam regiam, altera in pauperum ærarium efferebatur, tertia in crumenam veniebat eorum, quibus mandata erat cura legibus in Quakeros agendi. Scribebant Quakeri ſe inprimis adeo duriter & inhumaniter excipi in ducatus *Eboracenſis* parte ſeptentrionali, in *Bercheria*, in *Colceſtria*, in *Suria*, in *Notinghamia*. Infandum, quanta vis pecuniæ hoc multatitio nomine deperdita hominibus. In hac perſecutione præcipue animadverſum in præcipuos primoſque magiſtros horum hominum, itemque in altioris gradus ac dignitatis ſocios. Porro cum homines hi expulſi ex ædibus in quibus convenerant, ſæpe ante eas ædeis in publico ſubſiſterent, interdum taciti, interdum etiam ſuos habentes ſermones, ſingulis vicibus vel omnes, vel ii, quorum præ cæteris audiebatur vox, majori multitudine pecuniæ, aut captivitate multati, quandoque hoſtiliter ac belli lege, aut, cum illi minime reſiſterent, jure victoriæ, quem-

Digitized by Google

admodum qui jam univerſa in ſua habebant poteſtate ac manu, in eos actum. Quarum rerum cum non pauca edita ſunt exempla, tantum è multis unum cujuſque generis adferam. Accidit in provintia *Herefordienſi*, in vico Sawbridgeworto, ut *Thomas Grenius*, quem libro primo numeravi inter excelſiores Quakerorum duces, cum ſuæ ſectæ viris, ſuæ religionis exercendæ gratia, in unum coiſſent locum. Quod ubi deprehenſum ab inquiſitoribus, illi confeſtim accurrunt, & animo infeſto atque inimico Grenium, nixum genubus, ac præeuntem reliquis precibus ad Deum, adoriuntur, deferuntque ad judices, qui Grenio ſolitam multam dicunt. Quam cum is more quoque ſolito negat perſolvere, dum ſe injuſte multatum contendit ac proclamat, illi duobus præfectis limitaneis mandant, ut quod Grenius debeat ac nolit dare à multa, illi hoc capiant ex ejus bonis, quæ habebat in oppido Reyſtonio. Id quod illi, hanc occaſionem aucupantes, & ad ſuum traducentes quæſtum, impigre agunt, ſic, ut omne viri mercimonium auferant, & vendant per auctionem, ex eaque pecunia plus duplo quam eſſet multa avertant ac ſibi retineant. Alio tempore Grenius in ſui ipſius ædibus concionabundus exinſperato opprimitur, atque ita ſuæ tabernæ mercibus ab invaſoribus exuitur (erat autem fili venditor) ut nihil reliquum eſſet, præter unum glomum, qui non ſponte ab illis relictus erat, ſed

ſed ipſis exciderat. Item alio tempore accidit, quum Grenius in ſua domo, in media ſuorum multitudine, haberet orationem, ut quidam emiſſarii, inſtructi inſigni armatu, quaſi prælium aut certamen inirent, concionem obreperent. Facto ſilentio, illi petunt concionatorem. Hi negant proferre. Ita iſti multos ex auditoribus arripere, & intentare ſclopum aut enſem, ac niſi concionatorem prodant, ipſam mortem minitari. At irrito incœpto, quando nec illi quod minitabantur perficiunt. Poſtremo ubi ventum ad Grenium, quandoquidem is ſe oratorem fuiſſe aliquibus ſignis conſpicuum fecerat, & eum idem rogant, eoque ſimiliter tacente, eaſdem minas proponunt, quibus cum is quoque nihil moveretur, & illi de illius habitu maxime duxerant ſuſpicionem, neque eum quidem interimunt, verum ducunt ad magiſtratum, cui Grenius, ſtatim ut erat rogatus, ipſene fuiſſet concionator, fuiſſe reſpondet, eoque porro ſciſcitante, cur non illis ductoribus idem indicaviſſet, ait, *ſe tunc noluiſſe, propterea quod iſtorum hominum nulla in ea quæſtione eſſet auctoritas, at nunc facere lubentiſſime, coram magiſtratu, ideo quod magiſtratus juſte ac legitime non modo rogare poſſit, ſed & imperare.* Quod ſequitur exemplum propter perſonarum, & loci, variarumque circumſtantiarum claritatem memorabile. Convenerant *Londini* medio die in unam domum perplures Quakeri, conclavi vix omnes capien-

te. Quod ubi nuntiatum magiſtratui, mittantur aliquot milites, qui cœtum diſturbant, & cunctos è domo expellunt. Qui ubi migravere foras, univerſi eadem frequentia permanent in via, qua tangebat domum, inter multas commotiones & vociferationes prætereuntium. Erant in numero præſentium & *Guilielmus Pennus*, ille genere nobilis ac notus vir, quem nuper deſcripſi, & *Guilielmus Madus*, gener Felli ac Margaretæ, nuptæ ante Fello, poſt Foxo, mercator bonus magis quam illuſtris ad id tempus, Hos milites è toto grege capiunt, & abducunt, atque includunt ſic, ut ſuis ædibus publicoque carerent, eo prætextu, quod ambo in congregatione illa in platea fuerant concionati. Indicitur concilium, inſtituiturque examen. Conſtituitur crimen, Quakeros congregaſſe ſe (hæc verba erant) vi & armis, illicite, tumultuoſe, ad conturbandam pacem, in contemptum regis. Vocantur, adducuntur in comitium ambo Guiljelmi. Atqui cum certum erat, velle judices, atque deſiderare comitiorum leges, ut viri iſti nudis capitibus coram judicibus apparerent, quo ſe quam demiſſiſſime ac ſubjectiſſime apparere oſtenderent, & cum in hoc quidam ex officialibus iis viris ſuccurebat, & ſuis manibus illis pileos detraxerat, judices ad primum aſpectum ſuis ſatellitibus mandant, ut recipiant pileos, ac imponant illorum virorum capitibus, & ut viri illi eos ipſimet è ſuis auferant capitibus.

bus. Illi viri id detrectant, quoniam judices juſſerant eos tegi, poſtquam denudati venerant intro. Id judices valde graviter accipere, & utrique ſingillatim infligere, tanquam ob proruptam irreverentiam ac deſpicientiam regis, illiuſque conſilii, multam quadraginta marcharum. Valet autem apud Anglos marcha tres nummos aureos, quos vulgo appellant ducatos. Eam ob rem Pennus ac Madus valde diſceptant. Tum introducuntur teſtes, qui interrogati nil aliud affirmant, quam audiſſe ſe Pennum ac Madum in ea in publico congregatione quædam verba proferre, at quæ verba, non audiviſſe. Quod teſtimonium Pennus ac Madus, ambo exprompto ingenio, & ubi opus erat lingua quoque veloci, pluribus & acribus verbis confutant. Deinde poſtquam judicii præſes & quæſitor (ego nomina virorum nullo certe ipſorum damno prætereo) id criminis in duos hos viros objiciunt, peccaviſſe contra leges communes, Pennus eo pacto ſe ſuoſque defendit ac vendicat, ut præſes, ratus Pennum dignitatem auctoritatemque comitiorum nimis minuere ac convellere, iiſque non exiguam inſcitiæ ac malitiæ imputare culpam, jubeat, eum removeri extra fori cancellos. Idem fit de Mado, quia is etiam nimis audax & præfractus ſui facti propugnator videbatur exiſtere. Poſt varias contentiones introeunt cognitores juris, qui ubi in judicium juraverunt, & omnia, quæ de objecto crimi-

ne poterant exiſtimare, examinarunt expenderuntque, talem ferunt ſententiam, Pennum locutum eſſe in concione in publico, Madum criminis, de quo accuſabatur, expertem eſſe, nullo alio inſuper verbo addito. Quæ ſententia cum præſidi ac quæſitori valde diſpliceret, quorum hæc fixa & immobilis opinio, viros illos duos omnino ejus criminis, cujus inſimulabantur, reos eſſe, illi in judices illos perquam iraſci & ſtomachari, inprimiſque invehi in Eduardum Bushelum, quaſi is ſolus rem omnem gubernaret, & ſuos ſeduceret collegas, & hoc ei invidioſum ac noxiæ fore minitari. Judices jurati in ſua ſententia perſiſtunt, & Pennum nihil contra legem feciſſe, & Madum à culpa remotum eſſe, neque id adeo obſcurum eſſe ac cœcum, ut non quivis aſpicere poſſet, & vero ſe, cum nihil gratiæ, nihil odii cauſa agerent, neque quicquam præter ſuum officium ac fidem in judicium adferrent, adeoque nil commiſiſſent, nihil timere. Qui poſtquam dixiſſent, Pennus etiam liberiore & acriore ſermone uſus, perinde ac judices nil quod pertineret ad jus cogitarent, & totam quæſtionem ſolummodo ad ſuam libidinem judicarent. Ob quas voces illi, qui ſedebant judices, adeo exardebant, ut juberent cuſtodem carceris illum abducere ac vinculis ſervare. Sic cum forum adeo eſſet confuſum ac litigioſum, quæſtio dimittitur eo die, & rei ampliantur in diem ſequentem. Eo die cognitores denuo

denuo rogati, illinc viri rei eſſent dictæ rei, negant eſſe. Poſt multa, judex quæſtionis revocat multam, quam initio indixerat, marcharum, jubetque Pennum ac Madum tam diu ſervari in carcere, quoad debitum hoc reddidiſſent. Hujus pœnæ hoc meritum & hanc culpam ajebant eſſe, quod ambo curiæ multum obtrectaviſſent. Hic Pennus ſuam nequaquam tenebat linguam. Et cum neuter judicatæ pecuniæ ſatisfacere vellet, uterque in carcerem duci juſſus eſt. Delata res à ſubſelliis in roſtra. Quiſque ipſe præſens ſuæ defenſor atque orator cauſæ erat, in concionemque in loco adſcendebat diſſerebatque, idque in magna frequentia civium, & civitatis primorum, & præcipuorum ordinum ipſorum luminum, qui quæſtioni apparebant. Cumprimis digna notatu oratio Penni, quæ in dicendo identidem interrupta & intermiſſa, at vero progreſſu ac tenore indiſtincta ac continua, hujuſmodi erat argumenti. *Nemo mortalium, cui non ſuæ injuriæ magnæ videntur, neque quiſquam, qui non ad ſuam defendendam cauſam, ſuumque propulſandum periculum, ſatis promptus eſt ac præceps. Hoc modo utrum nobiſcum in hoc judicio coram tribunali hoc ſit comparatum, & an non infra magnitudinem mali, cujus poſtulamur, quod à vobis imminet, noſtræ querelæ eant, voſmet ipſi vobiſcum conſiderare poteſtis, dummodo animo attento & ſedato & vacuo affectibus velitis diſpicere. Ita enim jam controverſia omnis & lis conſtituetur eo*

no-

nomine, quod in conſeſſu hoc non aliquibus caremoniis uſi, quod non ultro & illico ut rei in noſtram damnationem aſſenſi, quod nimis libere, quod audacter, quod ſpiritu accuſatorio locuti ſimus. Itaque ergo jam in apiculis, in tricis, in nugis, in hac ampliſſima togatorum advocatione morari placet, & nos, dum ſoli ritus noſtri, dum verba duntaxat arguuntur, factorum innocentes ſumus. At enim num quæ lex, quæ jubet adductos in jus, nedum aperto eſſe capite, ſed etiam illud ipſos ſibi aperire? Et cum non per nos noſtro inſtinctu, at veſtro juſſu hoc capitis velamentum impoſitum ſit, quam id perverſum, quam ridiculum, adhuc nobis, ac non potius vobis ipſis, pœnam quampiam irrogari. Sed parum aperte ac rotunde à nobis ad quævis interrogata reſponſum. Ergo neque id ullam violati officii excuſationem habet. Verum cum non unas rogati res nunc tacuimus, atque reſtrinximus nos, nunc veſtris verbis reſpondimus, vos quid de unoquoque ſtatuendum ſit, ſcitis. Non ſane qui tacet affirmat, ſed & hoc verum, eum non idcirco negare. Tum loqui expedit, cum obeſt ſilere. Qui autem ne rogatus quidem ſe defendit, quid facit aliud, quam quod ſuſpicandi, cavillandi, calumniandi occaſionem præbet? Certe nemo ſe accuſare tenetur. Quod ſi vero verbum aliquod præproperum, ſi durum, exciderit, hoc quid aliud quam humanum, quod nemo à ſe putet alienum, quod in hac, uti in omni re, difficillimum, tenere modum, præſertim ubi animus ex ægritudine eſt commotus. Sed non ii ſumus, qui hac linguæ intemperantia plus

aliis

aliis peccamus, non nos, qui hoc tempore hac incontinentia nos peccaviſſe nobis conſcii ſumus. Illud, illud crimen noſtrum hodiernum, & hic, & paſſim, quod protracti ad judicia, non veluti culpam deprecantes, aut gratiam aucupantes, nos ad veſtros provolvamus pedes, aut ad minimum iis byſſinis utamur nominibus ac verbis, quæ veſtris auribus, ſed & noſtris animis inſidientur, & ſi minus impræſens, at impoſterum, tum noſtræ, tum noſtrum omnium communi cauſæ incommodent. Quod ſi vero illud eſt accuſare ac reprehendere alios, eorum à ſe accuſationem injuſtam depellere, atque id quod ab iis factum male, ingenue, modeſteque indicare, agitedum valeat in nos nomen, quod non niſi ad bene actorum conſcientiam ac gloriam valere poteſt. Cæterum cum hæc propria & una eſt, aut eſſe debet, quæſtio ac contentio, quale iſthoc negotium ſit, quod ſit geſtum à nobis, à vobis tanti criminis ducitur, cum nulla lex vetet, nulla obſtet, quin licite à nobis factum ſit, à vobis inique reprehendatur, nemini dubium eſſe poteſt. Quippe ubi lex non eſt, ibi neque tranſgreſſio. Nam quod noſter hic quæſitor in judicio hoc legem allegat generalem ac communem, tanquam firmamentum ac robur totius accuſationis, cum dictum generale generaliter eſt intelligendum, & communia non poſſunt obligare abſque ſtatuto ſpeciali, quandiu is regulam hanc non applicat ad hoc ſingulare, quod venit in quæſtionem, circa quod totius diſputationis cardo verſatur, næ is citando nihil citat, dicendoque dicit nihil. Neque vero illi priſci ac

ſa-

ſapientes reges, qui leges has condidere, neque illi legum periti antiqui & vernaculi, magnis ingeniis viri, qui leges illas optime ſunt interpretati, eas leges generales ita acceperunt, ut non certis rebus, perſonis, temporibus, reliquis circumſtantiis, queant accommodari. Quare ita ad legem aliquam controverſiam revocare, perinde eſt atque eam ſejungere. Quanquam quæ lex poteſt eſſe juſta, quæ quod mandat lex divina, & ratio dictat omnibus, vetet, quodque ea vetat, & natura cunctis negat, præſcribat, ac præcipiat, idque in iis, quæ pertinent ad reverentiam ac cultum ſummi Dei. *Proin hæccine juſtitia, hoc judicium, quibuſcum nobis nunc res eſt, ubi ſi quid contra dicatur, continuo audiuntur voces, his obturator os, hi rapiuntor ad ſupplicium. Equidem cum id lege communi receptum ſit, ut cui plus licet, non debeat huic quod minus eſt non licere, quid obſtat, ſiquidem ita agitur de religione, illo maximo bono, quo minus cuncta minora, licet pretioſiſſima, in diſcrimen vocentur, omniſque obſtrependi licentia præcludatur, & univerſa eripiatur libertas, conjuges raptentur, liberi diſtrahantur aut redigantur in ſervitutem, familiæ diſſipentur, cunctæ facultates ſtatuſque omnes in triumphum abducantur, propter conſcientiam, per criminationem uniuſcujuſque mendici ac delatoris malitioſi, argute incumbentis ad noſtram perniciem. Dijudicet hac in re inter nos dominus cœli ac terræ. Magnum ſemper habitum judicium virorum duodecim, ab origine patritiorum, nobilium, optimatium, qui jurati aſſidens, auditiſque teſtimoniis ſententiam ferunt.*

ferunt. Magna quoque uſque in honore habitus codex, qui regis, & parlementi, & populi jura continet, quem vocamus Magnam Chartam. Quænam in his comitiis adhibita reverentia ſit adverſus judices hos, qui totius quæſtionis arbitratu ſuo finiendæ debebant integram habere poteſtatem, quæ iracundia & moleſtia exhibita ab iis, qui ſuas appetitiones nullo modo tegere ac regere poſſunt, hi ipſi loquantur judices. Et loquitur res, factam magnam chartam naſum cereum, tractabilem in omnem formam. Ut rebus ita procedentibus, ea ad poſtremum veniant tempora, ut actum ſit tum cum religione, tum cum ſtatu univerſo, certe ſi ſit omnium, quod eſt hujus quæſtionis, hujuſce judicis & archontis, cujus animo uſque adeo inſita inquiſitio Hiſpanica. Nos quod attinet, cum nequaquam ſumus accuſati, non potuimus damnari, imo quoniam per judices juratos ſumus abſoluti, nos noſtram petimus libertatem. Quod ad vos, utique Deus maximus, juſtiſſimus, de veſtrum omnium his rebus omnibus eſt judicaturus. Cæterum cum Pennus & Madus abducti in carceres, in eo pertinaciter perſiſtebant, ut quod erat judicatum non ſolverent, pater Penni ambos ære illo, & per hoc carcere, de ſuo liberabat. Sequitur quam ſeverum & bellicoſum facinus, editum in hos homines in comitatu *Suthrionia* ſive Suria. In aliquibus locis præfecti cum ſuis militibus, quique ſua auctoritate ac procuratione, Quakerorum irrumpebant ædes, & cum nulla res eſſet, quamobrem id facerent, hunc præ-

tex-

textum adferebant, eſſe in iis abſcondita arma, cæteraque inſtrumenta ſeditionis ac perduellionis, & ſe ea ſcrutatum venire, atque ita otioſe & attente omnia perveſtigabant & contemplabantur, & invadebant in hominum bona, eaque ſpoliabant. Et manabat ac corroborabatur jam iſte uſus ac conſuetudo, ut iſtiusmodi viri militares, pedites, equites, nequaquam juſſi, homines illos tum, quum una ſuis operabantur religionibus, adorirentur, & ſine hoſte canerent bellum ac ſumerent, quanto maximo ardore & ferocia, & clamore & execratione, tanquam ipſum cœlum territantes, & homines ex ipſorum illis locis proturbarent in publicum, atque illic, ſicubi conſiſterent, ſi qui verbum unum facerent, quod ſæpe ac fere ſemper accidebat, quoſdam proriperent in vincula, & in reliquos ſuis militaribus inſtrumentis acerbiſſime ſævirent. Is mos ſolennis erat in vico *Harſlidownii*. Domus erat plena Quakerorum ſuis ſacris incumbentium. Advolant bene multi milites, & item equites, armati ſuis machinis ignivomis, & haſtis, & gladiis. Ex his hi, qui pedibus veniebant, introeunt, ac ſine mora incurſant & expellunt omnes quos vident. Sic expulſos in plateam extemplo excipit eos turba equitum, contraque illos concitat equos. Ubi illi, videntes unam eſſe in fuga ac celeritate poſitam ſpem, ſe in pedes conjicere, & quacunque poſſent, exitum reſpicere. At vero ſic illi equi-

equites quoque ſubdere ſibi animos, equis calcaria, in viroſque & mulieres, diſſipatos, circumcurſantes, etiam in fixos loco, utpote ætate ac viribus inferiores, irruere, eorumque corpora & ora ſuis ſclopetis quam valide poterant, ferire. Quod dum fit, pedites domo effuſi, eoſdem homines, ita demum circumretitos & implicatos, pone à tergo inſequi, & ſuis bombardis & haſtis percutere, tanta vi, ut quædam dirumperentur, atque ita omnes non ante ſignum dare receptui, ac ceſſim ire, quam multi vulnerati caderent, qui ad numerum ſupra quam viginti. Quakeri octiduo poſt denuo congrediuntur. Et hos nova copia pedeſtris & equeſtris ſimili furore, eademque expugnatione, aggreditur, & ejectos diſperſoſque ex fuga, ac tum circumdatos, ita opprimit, ut & eorum ſanguine humum adſpergerent. Hic pars altero tanto quam ante major vulnerati. Rurſus poſt diem octavum, Quakeris ſuos conventus non intermittentibus, pars peditatus equitatuſque accedit ad domum. Ex iis unus introit concionem cum pala plena cœno atque excremento, & exonerat in mediam multitudinem. Tunc pedites concione domoque expellunt, expulſoſque pone perſequuntur à tergo, & quoſdam ita afficiunt vulneribus, ut pene exanimes redderent. Et quum eſſent è popularibus, qui tam triſti facie & lamentatione ac lachrymis hominum innocentium, ac proinde miſericordia commoti,

Digitized

laborantibus ſubvenirent, eoſque in ſuas traherent ædes, illi homines feroces huc ſe convertere, & introrumpere, illoſque extrahere, extractiſque ſua arma diu incutere in capita, aliis, etiam mulieribus, diſcindere veſtes, quidamque omnes modeſtiæ fines tranſeuntes, turpiſſime impudentiſſimeque impudiciſſimis manibus attrectare. Una erat mulier gravida, capta ex itinere, cui è duobus militibus unus bombarda bis ventrem, ſemel pectus feriebat, & alter lutum conjiciebat in os, ad iſtum modum, ut illa poſtmodum faceret abortionem. Hic ſauciati homines quindecim. Necdum ardor ille Quakerorum in conveniendo, neque militum in perſequendo remittebat. Quare cum Quakeri iterum, idque frequentiſſime redirent, redeunt & milites, & eos pari modo inſequuntur, & eadem clade afficiunt, uſque eo, ut iterato ipſorum ſanguine terra imbueretur, & caderent ex iis viginti & amplius. Quod cum quidam præfectus limitaneus, homo ordinis ſui modeſtiſſimus, aut non omnibus horis adeo difficilis ac ſeverus, videret doleretque, & moneret, ut ne diutius in tanta aſperitate ac feritate verſarentur, ſperans ſe facile ſua interceſſione quod cupiebat impetraturum, milites non modo ejus petitionem deſpiciunt, ſed etiam illum ipſum petunt virum, atque iſtum in eum capiunt impetum, ut pene caput comminuerent. Hujuſmodi crudelitatis exempla plura hoc tempore in aliis locis edita.

Inter

Digitized by Google

Inter hæc quanquam homines hi nunquam noctu atque in ſolitudine conveniebant, ne aliquod luce indignum factum ac ſcelus moliri, atque inde timere viderentur, tamen non minus plerumque conveniebant caute, ac quam minimo motu, metuque maximo alicujus incommodi, poſſent. At vero non idcirco, quod alicubi ſic nihilominus reperiebantur, & magna afficiebantur calamitate, facile ob imminens periculum eadem omittebant tempora, & negligebant loca. Et accidit aliquando, cum homines prohiberentur domibus, quæ ſæpe & magna illorum frequentia celebrabantur, ut ſic iis privarentur, uti oſtia, & alii ingreſſus, juſſu magiſtratus, cœmentis & laterculis obſtruerentur, quando tamen Quakeri, rati quemque ſibi ſuæ domus eſſe dominum, eas injuſſu & inconſultu aliorum, aperiebant, in iiſque pergebant ſuo more convenire. Notabant Quakeri anno hoc, de ſuæ ſectæ hominibus, ab eo tempore, quo rex ad regnum veniſſet, uſque in præſens tempus, fuiſſe captivos ſupra octo millia, & adhuc teneri ſupra ſexcentos. His ita conſtitutis rebus ad annum ſeptuageſimum ſecundum, incidit eo anno bellum maxime memorabile inter copulatos Britanniarum Galliarumque reges, & Provintiarum unitarum Ordines. Quo in bello noſtri ſcilicet, & navali expeditione ac prælio illam inauditam victoriam ab rege utroque reportabant, & terra ita victores exiſtebant, quod

tantis exercitibus duorum potentiſſimorum regum, duorumque epiſcoporum, conantium plus homines perdere, quam ſervare, vinci non poterant. Ejus belli initio Carolus Britannorum rex veritus, ne tantum bellum quod foris gerebatur, aliquo modo domi ſeditionis incitamentum ac inſtrumentum foret, quo in ſuo regno inter ſuos ſubditos pacem & concordiam atque otium retineret, omnium religionum hominibus, exceptis Papiſtis, adeoque & Quakeris, non modo vacationem à perſecutione, ſed etiam ſuæ cujuſque religionis immunitatem ac libertatem dabat. Unde Quakeri velut è turbulentiſſima tempeſtate in portum delati, & memoria temporis præteriti, & jucunditate præſentis, ac futuri ſpe, ſe oblectantes, ſeſe ubique ad ſua communia negotia reſtituenda ac perficienda componebant. Sed non diu conſtitit hæc quies ac tranquillitas, non ultra quam bellum inter Anglos ac Belgas, quod brevi, ac poſt biennium, finitum, ut inter veteres amicos ac fratres, facile, at non diu, rixantes, & amorem poſt iram redintegrantes ac magis aſtringentes. Quare homines illi exinde multis novis rebus adverſis agitati, haut ſecus ac perlatos in portum novus turbo inproviſo procellit in altum, ac vehementer quatit abducitque in ſummum periculum. Cæterum cum huc uſque de his hominibus omnia relatu digna notavi, cumque poſthac vix quicquam accidit, quod non ſit ſimile

mile eorum, quæ ante acciderunt, ſtatui reliqua, quæ ſuperſunt, ordine quidem, at ſummatim ac breviter enarrare. Per hoc tempus *Georgius Foxus*, poſtquam univerſam Angliam non ſemel perambulaſſet, & ſe ſatis in ea ſtudii atque operæ in ſua annuntianda & promovenda religione contuliſſe exiſtimaret, ſibi jam non modo intus laborandum, ſed etiam foras exeundum, atque illic quoque aliquid inchoandum, ſuo cum animo proponebat. Itaque anno ſeptuageſimo primo mare vaſtiſſimum tranſit, excurritque in Americam Anglicanam, ut ſuæ doctrinæ ac diſciplinæ ſocios inviſat, & eoſdem confirmet animetque, ut receptam doctrinam fidemque pie inviolateque teneant ac conſervent. Sic primum tendit in inſulas Barmudas, atque inde Jamaicam, Marilandiam, Virginiam, novam Cæſaream, inſulam Longam, ad extremum Rhodum adit. Ex hac inſula Rhodo Foxus anno ſeptuageſimo ſecundo, menſe quarto die undevigeſimo ſcribebat itinerarium, ad formam epiſtolæ, mittebatque hinc in Angliam ad ſocios, cujus exemplar habeo. Sed nil aliud in eo invenio ſcriptum, quam quas in navigando cœli temperies, quas intempeſtates habuerint, qui ſitus fuerint litorum ac tractuum, quot in oris aut regionibus, in quas erant egreſſi, repererint ſuorum cœtus, aut formarint, convocarintque, qui ubique perplures, præſertim in Virginia ac Rhodo, quam benigno vultu & ſermone atque hoſ-

Digitized by Google

pitio à quibus excepti ſint. Id in ea relatione Foxus maxime tangit, in Virginia veniſſe quandoque in Quakerorum conventus regulum unum & item alterum illius barbaræ gentis, parum Anglorum linguæ callentes, eoſque erga Quakeros valde affectos fuiſſe, & dum Foxus cum comitibus penetraret ulterius, atque illic in alios incideret regulos, eum cum ſuis ab his quoque perquam humaniter ac ſuaviter acceptos fuiſſe. Hoc itinere peracto, quod fuerat biennis ſpatii, & interjectis paucis menſibus, Foxus in *Vigornia*, propter frequentatos cœtus, juſſu judicis Parkeri, compingitur in provintialem carcerem. Perdurabat captivitas hæc integrum annum & plus. Adducebatur Foxus aliquoties in judicium. Verum cum nil efficiebatur, Foxus identidem reductus in carcerem, aut ita ad certum tempus liberatus, ut promitteret ſe aliud tempus obiturum judicii, & res delata in ſequens cognitionis tempus, quando Foxus judicibus ſatisfacere, & ſuam liberare fidem non negligebat. Omnis lis ac controverſia erat de juramento fidelitatis ac primatus, illud Foxus ut daret. Quod Foxus ita diffugiebat, ut jurare in rem, verbis, ac corporaliter, nollet, non ut rem in ſe ſuſcipere, & hoc affirmare non vellet, quod tantum aberat ut etiam paratus eſſet, ea de re judicibus exhibere ſyngraphum, ſic ſcriptum, ut quo ſuam fidem obſtringeret, nil amplius ab ipſo poſſet requiri ac deſiderari. Defenſitabat

Foxus

Foxus ſingulis vicibus ſuam cauſam multis ſonantibus ſententiis & argumentis, iiſque quæ vulgo è ſacra Scriptura peti poſſe putantur, ſed ſine fructu, quandoquidem judices rationes habebant diu & ſemper ab iſtis hominibus allegatas, & contritas ac contemptas. Quemmadmodum vero Foxus, hoc carcere detentus, ſuum tempus traduxit, declarant multi libelli in eo ab ipſo conſcripti, nominatim is, qui continebat confeſſionem fidei de Chriſto Jeſu, confertus contextuſque locis è Scriptura novi Teſtamenti mutuatis ſingulari ordine. Habuit quoque Foxus in hoc otio carcerario varia colloquia cum viris doctis. In quibus colloquiis Foxus non ſemel oſtendebat, quam impar eſſet, qui cum viris præditis arte diſſerendi congrederetur. Cujus rei hoc habeo exemplum. Erat ei diſputatio cum doctore *Crowdero*, diœcete ſeu præbendario Worceſtrienſi, de juramento, quatenus ſub Euangelio lege aut licitum, aut prohibitum eſſet. In qua diſputatione, cum Crowderus ſic concluderet, ſiquidem juramentum olim licitum fuiſſet à lege, nunc ſub Euangelio illicitum non eſſe, perinde atque adulterium, & talia vitia, vetita per legem, nunc nequaquam licita eſſent, Foxus iſtiuſmodi argumentationis inſolentia, & inſcitia conſequentiæ offenſus, inæſtuare, & prius quam viri continentem orationem audiret, omnes qui aderant, conteſtari, & clamare, & ſinere hunc de eo ſermo-

nem ſpargi, aſſerere ac docere eum ut orthodoxum, juramentum, adulterium, ebrietatem, & ejuſmodi vitia legitima eſſe, Crowdero fruſtra reclamante, erumpere in tam obſcœna maledicta ac mendacia virum, qui ſolum nutum ſuum facere fidem, & unum verbum juramenti loco eſſe debere contenderet. Alius vir eccleſiaſticus erat, qui differens cum Foxo de perfectione ſanctorum in hac vita, & utens inductione è ſacris literis, in qua ille magnum argumenti pondus putabat eſſe, accedebat ad Foxum, eumque percontabatur, ille quid de ſe cogitaret, atque id, ut ingenue reſponderet, majorem in modum ab eo petebat. Ad quod Foxus, ne quidem exſpectans quorſum illud genus interrogationis ſpectaret, nil aliud quam verba hæc, ego gratia Dei ſum is qui ſum. Ita non quidem rem negans aut affirmans, ſed tamen non obſcure detegens quid ſentiret. Tandem Foxus poſt multas fruſtrationes judiciorum, interventu ſupremi Angliæ judicis *Aleſii*, dimiſſus, quando is vir poſt tam longam viduitatem rediit ad ſuam domum atque uxorem, & in ea cum ſua ſic aliquamdiu conſedit, ut de Foxo nihil diceretur. Inter hæc Foxus multas ſcribebat mittebatque epiſtolas, ſuaſorias, hortativas, aliaſque, de iis rebus, in quibus ſuam operam hanc poſſe eſſe utilem exiſtimabat. Scribebat quoque ad Judæos qui ſunt Amſtelodami, ut & ad Papiſtas, atque ipſum Papam Romanum, nec non ad

ad Africæ minoris rectores, etiam ad imperatorem Turcarum, etiam hac ipſa inſcriptione ac titulo magni Turcæ ſalutans, ſane inſuavi ac horrida in ea gente ac lingua nominatione. Sed ſcribebat Foxus, curabatque excudi & edi ſua lingua Anglicana has epiſtolas omnes, & neque ſic tamen, nedum tranſlatas in cujuſque gentis linguas, mittebat, aut mitti curabat, ad eos, quorum inſcriptæ erant nominibus, ut potius ſigna fuerint animi operoſi, & confidentis, atque etiam arrogantis, quam aliquam utilitatem habuerint. Habitum Londini anno quarto & ſeptuageſimo, Octobris die nono, & decimo ſexto *colloquium* in æde ſacra Baptiſtarum, inter *Quakeros* & *Baptiſtas*, de perſona Jeſu Chriſti. Locutores erant à parte Quakerorum G. Withadus, St. Criſpus, G. Keithus, & Gu. Pennus. A Baptiſtarum parte erant Th. Hickius, Jer. Joëſius, Gu. Kiffinus, & Th. Plantius, omnes in ſua quiſque gente miniſtri verbi. Cauſa erat libellus vulgatus ab Hickio, in quo libello ille vir Quakeris inuſſerat notam hanc, eos nequaquam Chriſtianos eſſe, ut qui docerent, Chriſtum non eſſe perſonam, quæ ſit extra hominem, at hominis cujuſque lucem mentis internam Chriſtum eſſe. Quod Quakeri à ſuis doceri oſtendi ab illis volebant, ſin id oſtenderetur, cupiebant calumniatorem pœna digna affici ab illius cœtus hominibus. Actum primo die de ſententia Quakerorum. Allegabant Baptiſtæ ver-

 ba,

Digitized by Google

ba, ſcripta à Quakeris in quodam libro, quæ hæc erant: Chriſtum nunquam oculis corporeis à quoquam homine viſum fuiſſe. E quibus verbis cum Baptiſtæ nondum probabant hoc, quod Quakeris attribuebant (Quakeris ea explicantibus, utut certum eſſet, Chriſtum, quatenus homo ſit, externus, viſum fuiſſe ab hominibus, tamen quatenus Deus eſt, nunquam fuiſſe viſum, & cum Scriptura phraſi illa, quod quis Chriſtum videat, interdum intelligit, Chriſtum cognoſci, amari, coli, & illud evidens eſſe, id non corporis viſu, at intuitu mentis fieri) deinde altero conventu Baptiſtæ alio argumento demonſtrare nituntur, Quakeros Chriſtianos non eſſe, idcirco quod docerent revelationem divinam immediatam regulam eſſe fidei ac vitæ. Ad quod argumentum cum Quakeri reſponderent, & illud, quam leve & nimis puerile eſſet, evincerent, Baptiſtæ cum ſuis, quod diſputare amplius contra non poſſent, primum ad alia, quæ nihil ad controverſiam, ſe conferre, & narrare ambages, deinde cum & ea defendere nequirent, & ut fit, vinci ſe & refelli turpe putarent, victoriam in verbis & dicacitate ac maledicentia ponere, & clamore ac tumultu omnia opplere, interim dum Quakeri animo ſedato & conſtanti firmoque tacebant, & eorum impetus tanquam ſaxa fluctus excipiebant frangebantque. Sic non modo infecto, ſed & exaſperato ſermocinatione hac negotio, diſceſſum. Proximo anno *Robertus*

tus Barclajus ſcribit ſuas theſes Theologicas, mittitque ad doctores, profeſſores, ſtudioſos, Theologiæ, quacunque in regione Europæ verſantes, tum Pontificios, tum Proteſtantes, eas ut examinarent, atque ad eas reſcriberent. Dein ſequente annô ſcribit vulgatque Apologiam, opus majus, notiuſque quam ut indicem. Et hujus libri exemplaria duo mittit dono legatis omnibus ac ſingulis regum principumque, qui tunc Neomagi de pace communi convenerant, quò & ipſi expenderent, & mitterent quiſque ad ſuum regem ac principem, ut & illi cognoſcerent atque inquirerent, additâ ad unoſquoſque gemina epiſtola hortatrice, ut ſicut iis onus imperii orbis Chriſtiani incumberet, ita ipſi omni curâ in communem ſalutem & quietem incumberent omnium Chriſtianorum. Hiſce theſibus Nicolaus Arnoldus in academia Friſiorum Theologiæ profeſſor opponebat quandam exercitationem Theologicam de Quakeriſmo, in quâ breviter ita Barclaji ſententiam refellit, ut diu ante fotam ab aliis, & exploſam à noſtris. Cui opuſculo Barclajus mox alio opuſculo reſpondet, oſtenditque, ſolum verbis commutatis eandem rem, quæ ſæpe dicta ſit, repeti ab Arnoldo. Paulò poſt Thomas Browius, Scotus, Barclaji popularis, verbi divini miniſter unus è duobus prope millibus, dimotis ſuis muneribus, eo quod epiſcoporum ſe regimini nollent ſubjicere, in opus majus Barclai librum ſcribit magnum ac ſpiſſum volumen

men, lingua Anglicana, in quo cum Barclajo videretur ſæpe aberrare ab Quakerorum mente, & nimium oberrare & exſpatiari, Barclajus reſcribit eâdem lingua, neque in ſuo libro plus minuſve quam opinabatur neceſſe eſſe, reponit. Poſtea Joh. G. Bajerus doctor & profeſſor Theologiæ Jenenſis, puta Lutheranus, diſſertationem contra Barclaji in theſibus & apologia doctrinam de principio veræ ac ſalutaris cognitionis divinæ edit. Qui cum quædam Barclaji dicta carpſiſſet, tanquam aut inconcinna atque abſurda, aut obſcura, è quibus quid Barclajus cogitaret, ſciri non poſſet, G. Keithus, Barclajo aliis tum negotiis diſtento, ille philoſophus inprimiſque logicus plane peritus, pro Barclajo reſcribit, & ſui amici verba ac ſenſa adverſus Bajerum explicitius evolvit, & totum hoc argumentum pertractat unico reſcripto, poſt quod Bajerus nullum reſponſum reddidit. Poſtremùm Joh. Chriſtoph. Holthuſius, præco ac paſtor addictus Auguſtanæ confeſſioni Francofurdi ad Mœnum, ſua linguâ Germanica opus conſcripſit prolixum, cui nomen fecit Germanici Antibarclaji, dignum, cum Quakeri necdum ad illud reſcripſere, quod unus, qui iis in majoribus, exacte expendat atque examinet. Hoc anno quinto & ſeptuageſimo Romæ *Michael Molinus*, Hiſpanus, Sacerdos & Theologiæ doctor, lingua Italica ſuum edebat librum, cui titulum faciebat *Ducis ſpiritualis*. In quo libro Theologiam myſticam, ut vocant, jam multos

annos

annos in papatu intermortuam revocabat, & infinitæ hominum multitudini dux atque pædagogus ad eandem viam ſtudiorum vitæque exiſtebat. Dicta ſecta *Quietiſmus*, & aſſectatores ac diſcipuli *Quietiſtæ*, ab ſingulari diſciplina, quæ erat, ut miſſis adminiculis accedendi ad Deum externis, & meditatione ratiocinationeque, quæ fiunt per res extrinſecus conſideratas, & inter ſe collatas, & operationibus activis (quæ tanquam prima ſint elementa, pertinentia ad eos, qui demum incipiunt ingredi viam ſpiritualem) ſolâ contemplatione, & fide ſimplici, hi, qui jam multum profectus fecere, aut cupiunt facere, in via cœleſti, ſe occupent & intenti ſint, & voluntate prompta, & enixo amore, Deum in ſe admittant percipiantque, Deumque in ſe patiantur operari per ſuum Spiritum, cum quiete & ſilentio & tranquillitate. Ego de hac doctrinâ & eventu viri, ut re noſtri temporis hiſtoricis & literatis nota, verbum ultra non addam. Jam quemadmodum poſt natum Quakerorum nomen, nihil inter Chriſtianos viſum in religione, in moribus, in converſatione, majori cura meditatum factumque, & exquiſitum remotumque à conſuetudine vulgari, quod non relatum ad auctores, aut patronos, aut ſocios, Quakeros, ita ſtatim in Italia, atque alibi, plerique hujus ſectæ & horum dogmatum cauſam & originem attribuere Quakeris, qui erant in Anglia, & hos iis aſſimilare & aſſociare. Sed & ſimili-

ſimiliter in Anglia mox habiti Quakeri, ut propago illorum religioſorum, quos appellant myſticos, & cum Quietiſtis rami, ex trunco uno ſuam communem tenentes ac conſervantes naturam atque indolem. Quæ quidem ſuſpicio ac ſermo eo magis augeſcebant, quod ſanè Quakeri, inprimis Barclajus in ſua apologia, illos myſticos veteres majorem in modum collaudabat commendabatque, & omnium maxime, quod Keithus non multo poſt in ſuo libro, dicto *Via ad civitatem Dei*, quem edebat lingua Anglicana, ſic Theologiam illam myſticam docebat, aſtruebat, provehebat, ut omnino illis Quietiſtis manus porrigere, eaſque cum iis jungere videretur. Et quoniam ea opinio adeo multorum inſidebat, & etiamnum inſidet animis, eſſe Quakeros de eôdem grege myſticorum, aut non multum inter ſe diſcrepare & illos & Quietiſtas, excerpam præſertim ex libro Keithi breviarum iſtius doctrinæ, idque ita, ut nil de meo addam, præter verſionem verborum. Id erat hujuſmodi. *Debemus nos ſubtrahere ab omni cogitatione vana, terrena, etiam ea, quæ fit ſola mente, etiam divina, quæ ſunt ſubjecta ſub verba aut propoſitiones, tales, quæ cadunt ſub argumentationes rationeſque aliunde conquiſitas. Oportet, cum Deus ſe manifeſtat in homine, in ſemine Dei, quod in ipſo homine eſt, & cum Deus per hoc influit in animum hominis, ſe admovere & applicare ad Deum, in Dei ſemine, inter influentiam & operationem Dei* *in*

in illo, & tantummodo vacare hiſce animi ſenſibus à Deo profectis, id eſt, viſui, auditui, odoratui, tactui, guſtui Spiritus, & potentiæ, & lucis, & vita Dei in Chriſto in iſthoc ſemine. Atque ita conſentaneum eſt homini, poſtquam ſe hoc modo convertit ad Deum, in eo ſtatu perſiſtere & perſeverare, multa patientia & tranquillitate ac taciturnitate, antequam aggrediatur ad exercitia uſumque operarium. Quod cum ſit, animus exili tempore menſura quadam attingit ſanctam & divinam vitam, ad initia mortis ſpiritualis, & regenerationis, & actuum operoſorum. Tunc autem nil decet facere ſine clara certaque notitia fidei ac conſcientia, nil quod non is dux internus, ille conſiliarius & inſtructor ſpiritualis, docet, nil abſque ea claritate ac certitudine, quin Spiritus jam in nobis exſurgit ac ſe erigit, & facit nos intus ſentire libertatem ac copiam hanc ad aliquid gerendum dari, ſive Spiritus quid mandet, ſive permittat quippiam agendum. Et ita convenit fidem initio ſolùm agere recipiendo, poſt exercendo, ſicut ſurculus inſitus arbori, primùm aſſumit, poſteàque creſcit ac fructificat. In his cum viro hoc reliquos Quakeros tunc conſenſiſſe, & nunc etiam conſentire, vix eſt dubitandum. Cæterum etſi, quod ex dictis facile intelligitur, myſtici illi, & Moliniſtæ & Quakeri, in hac doctrina & ſtudio hoc hactenus haut diſſimili ſunt ingenio, & alteri alterorum exemplum atque imitationem neutiquam deſpiciunt & extimeſcunt, tamen inter utroſque longè maxima differentia, quin rixa eſt, quate-

quatenus iſti Moliniſtæ ſuis illis conſcientiarum rectoribus, & ordinibus ſacris, & ritibus plurimis adhucdum adhæreſcunt, & Quakeri hujuſmodi principiis ac regulis omnibus renuntiaverunt. Qua de re, ut non abſtruſa ac difficili cognitu, plura quòque non addam. Enimvero dato in Anglia otio illo à bello, ac reſtituta pace cum noſtris, illa diu collecta & corroborata in Quakeros ægritudo, atque iracundia compreſſa ac relicta aliquamdiu, revireſcebat ad renovandum in eos bellum. Adhuc Foxus ſe in rebus Quakerorum omnibus maximè intereſſe, imo præeſſe debere exiſtimabat. Sic dùm in primis magnâ audacia ac confidentia concionabundus agit, & ſuorum negotia curat, in multa pericula incurrit. Similiter Keithus ac Pennus. Sive autem id inde factum, ut hi viri pericula hæc ſubterfugerent, ſive hinc, quod arbitrabantur, ſe etiam alibi de ſuis hominibus ſuo conſilio & autoritate poſſe & debere bene promereri, illi anno ſeptuageſimo ſeptimo una abeunt in Hollandiam, ac partem Germaniæ, ad ſuos, qui in iis regionibus erant perpauci, viſitandum. In qua profectione quid ab iis geſtum, exponam libro ſequenti. Interim multa in multos opprobria, multæ oppreſſiones factæ, creſcente indies malo. Sane magna dehinc perſecutio cœpta adhiberi in provintia *Nothingamia*, quæ deinceps in alias provintias, atque ad extremum per omnium provintiarum orbem delata anno octogeſimo, velut univerſum

ſum

Digitized by Google

ſum populum pervadebat. Quam omnem rem eo anno Pennus & Madus, multique alii, quorum cum calamitoſis hominibus erat societas, & quidem talis ac tanta, ut illis quod fieret, ſibi hoc fieri putarent, accurate deſcribebant, & ſuper qua re illi eo tempore ſua deſideria mittebant ad Regem ac Parlementum, ut eos de tot ſuorum injuriis monerent, atque illi tantis ac diuturnis malis tandem auxilium ac remedium adferrent. Cum autem, ut patet, harum moleſtiarum innumerabilia exempla commemorare poſſem, ne extra limites brevitatis, quos mihi ipſe præſcripſi, declinem, tantum duo exempla in medium proferam, iis relatoribus quos dixi, non ut puto ignorata, at neſcio quomodo tacita, & vero prodita multorum etiamdum memoria atteſtante. Neque enim alia ſcribo, quam quæ certo comperta. *Guiljelmus Godrigus* Banwalienſis in comitatu Somerſethenſi à judicibus rogatus, ut rei alicujus teſtificationem juramento firmaret, ideo quod eam rem maximæ habebat religioni, ſe commiſſurum negat. Sic trahitur in carcerem, atque ei detrahitur poſſeſſio bonorum omnium, tum mobilium, quorum pretium taxabatur pondo Sterlingianûm bis centies quadragies quater, tum immobilium, quorum reditus quotannis habebatur pondo eorum quadantenus plus aut minus ſexaginta, ad extremum poſt captivitatem tredecim annorùm, cunctæ illæ opes in fiſcum publicum redactæ. *Michael Renaldus*,

 ruſti-

ruſticus locuples ac pecunioſus in comitatu Berceria, ex agro debebat unius anni decimas ad pondo Sterlingiana admodum decem. Quos nummos cum is ſolvere fugeret, ac propter id à ſuo creditore citaretur, atque is æquè fugitans litium, & potius habens quodcunque, etiam magnum, habere detrimentum, quam ejuſmodi litem ſequi, cauſa in judicio ita conſtituta eſt, atque ita ipſi lis, ei ab actore facta, æſtimata eſt, ut liceret executoribus petere è pecore & frumento, loco multæ, pro pondo decem, pondo decies ſex. Quo numero illi homines, adeò ad ſuum quæſtum & callidi & calidi ac ſeveri, necdum contenti, eripiunt pondo nonaginta ſeptem, dum præterea adminiſtri pro ſe è frumenti acervis, nondum conditis in granarium, partem capiunt pretii, ad pondo duodecim. Numerabant Quakeri ad hoc tempus mortuos è ſuis, plagis ac vulneribus, acceptis propter celebratos cœtus, ducentos quadraginta tres. Dum autem hæc fiunt in Anglia, etiam in *Scotia*, præſertim in parte ſeptentrionali, Quakeris multum moleſtiæ faceſſitum, propter publicas conciones, & aliis indictæ multæ graves, aliis, denegantibus eas ſolvere, erepta bona, non æqualia, ſed altero tanto majora, quidam diu in miſeris cuſtodiis retenti, inter quos etiam pater Barclaji, ſuperiori libro memoratus, & Alexander Skeinæus, ante inter magiſtratus urbis Aberdonenſis clarus. Etenim in his calamitati-

bus

bus atque ærumnis nullâ iis major hominibus acerbitas erat, nullus dolor cruciatuſque major, quam quod viderent atque intelligerent, ſuam religionem, & ſuos mores factaque, uſque adeò maledictè contumelioſeque diffamari ac proſcindi. Ita enim uſquequaque libellis, carminibus, picturis, probroſis fœdiſque, ſæpe ab ipſis deſpicatiſſimis hominibus, ea deſcribebantur ac deſignabantur. Ita in congreſſionibus familiaribus, in concœnationibus atque compotationibus, nullus garrulus, loquax, volubilis ſcurra, qui quid per jocum ac ludibrium dicere aut facere vellet, quin ad illa illorum hominum propria omnem revocabat ſermonem actionemque. Sic nulli leves, ſordidi, inquinati circulatores, unguentarii, talarii, ſi quos delectare, & raptare riſum, atque ſe deridendos præbere vellent, quin in eorum geſticulationes hi homines incurrebant. Jam & theatra, & ſpectacula, in comœdiis ac fabulis, quæ nimirum abſque laſciviâ & turpitudine & ſtultitiis atque inſaniis rerum ac verborum exploduntur, his Quakeris etiam ſuos actus, & perſonas, & orationes, & motus tribuebant, atque ita in conſpectu ponebant eorum, quibus ſe vitæ hominum cognoſcendæ, ac veluti in ſpeculo videndæ, magiſtros profitebantur. Et jam in aulis principum ipſiuſque regis, moriones ſannioneſque, quos illi animi à labore ac dolore relaxandi gratia, aſciſcunt miniſtros, non magis ſe ridiculos præſtabant,

Digitized by Google

quam ſi ore, vultu, voce, motibus imitandis Quakeros repreſentabant. Lepidum quod ab illis hominibus audivi. *Helena* erat, Anglis Nelia, illa ſcenica ludia ac ſaltatricula notiſſima Londini primum, poſt Caroli regis cariſſima amaſia. Ea quanquam inter hiſtriones omnes homines omni corporis geſtu exprimeret, tamen nunquam, quam id ſtudioſiſſime ſcrupuloſiſſimeque tentaret, ne quidem coram rege & aulicis, quos etiam hujuſmodi ludicris ſæpe oblectabat, Quakerum ita poterat effingere, ut etiam in eo ſe accommodaret, ut pari modo duceret, comprimeret, remitteret ſpiritum, ac tum quippiam eloqueretur aut precaretur, ut non animadverteretur, affectare quidem illam ſuſpirationem, quoſdam etiam affectus, ſed eadem opera oſtendere, ſe eas res nullô ingenio, nullo uſu, habere cognitas, neque ulla conjectura potuiſſe aſſequi. Simile de quodam morione ac ſannione regio mihi teſtes oculati narraverunt. Magna oppugnatio Quakerorum facta annis octogeſimo primo ac ſecundo in provintis *Leceſtrienſi* & *Somerſethenſi*. Vicus eſt in Leceſtria non longe diſtans ab univerſi tractus urbe primaria Legeceſtria. Eò multi ſæpe Quakeri commeabant atque conveniebant in cœtus. Id quibuſdam incolis, & præſertim miniſtris eccleſiarum in iſtis locis diſplicebat. Ad hos cœtus diſturbandos juvenes ac pueri excubabant, atque id graviter diverſis temporibus exequebantur, & homines, quum una eſſent, ex impro-

improviſo adoriuntur, capiunt, detrahunt viris pileos, fœminis tegumenta exteriora, expellunt ex ædibus, expulſos limo perfundunt, & fugant quaquaverſum. Quandoque cum hac puerorum turba Limenarchæ omnes, in unum conglobatos, multis pugnis contundunt, ac dein collo & cervicibus extrahunt, & per cœnum convolvunt, ac poſt viros detrudunt in carceres. Alio tempore rurſus juvenes pubereſque atque extrema pueritia homuli virili audacia involant, & uni è mulieribus ita aqua & luto os opplent, ut pene vitam exhaurirent. Hæc iſti adoleſcentes ſe incipere ajebant juſſu cujuſdam eccleſiæ miniſtri. Certe hoc poſtremum perfectum ab iis inſpectante, neque vetante, ut ab opere iſto decederent, uno è miniſtris. Sed hæc quidem vulgi facta, à quibus conſilia & inſtituta magiſtratuum oportet ſeparare. Atqui longè alia & major perſecutio ea quæ accidebat *Briſtollii* in provintia Somerſethiæ, in cujus relatione paulum, propter magnitudinem rei, à propoſita brevitate diſcedendum. Ea urbs ut in bello, geſto inter Carolum hujus regis patrem,& Parlementum, in primis à partibus ſteterat Parlementi, ita nunc quoque præcipue votis ac conatibus regis, ac regii fratris, ducis Eboracenſis, obſtabat, tenebatque partes eorum in Parlemento optimatium, qui papiſmi deſtructionem, & Eboracenſis, devoti papiſmo, exhæredationem à regno, ſumma animoſitate urgebant. Et quoniam

niam in hoc numero maxime erant Presbyteriani, & Independentes, illi propterea valde incurrebant in invidiam atque odium & regiæ domus, & eorum ſummatum virorum, qui idem quod familia regia in ſuam rem eſſe exiſtimabant. Ita hac quoque ipſa in urbe non deerant ex iis, qui cum poteſtate præerant, qui ſuâ facultate, ad gratificandum aliis, & ſuis non minus quam aliorum commodis proſpiciendum, utebantur, atque his, qui ſibi videbantur adverſari, inultos non ſinebant eſſe Difficile erat aliquid incipere in Presbyterianos. Sic itum ad Independentes. Horum paſſim cœtus turbati. Ne plura, ſic infeſtatio cœtuum hæc & vexatio direptioque & afflictio erumpebat in Quakeros, & hi denuo facti theatrum ac ſpectaculum calamitatum. Prætextum erat antiquum, nunc tamen magis prætentum, Quakeros fovere bellum civile, & cum armis convenire. Rapti quotidie è conventibus, adductique coram magiſtratu, cum juramentum fidelitatis, propter juramenti conſcientiam, dare nollent, conjecti in carceres & ergaſtula. Quæ cum fruſtra eſſent, majori apparatu & vi agendum cenſebatur. Sic quaſi cohors inſtituta inſtructaque, cujus perpetuus fere dux quiſpiam urbis prætor, quem vocant Sheriffum, non quem vocant Majorem, itemque aliquis cognitor cauſarum, neque enim ad rem, virorum adſcribere nomina. Sic quoties Quakeri congregabant, ſimulatque cognitum,

Digitized by Google

tum, ſtatim eam domum omnes proſilire, cædere januam, homines expugnare, mares, fœminas, prima, media, extrema ætate, trahere, vexare, abducere, includere in carceres. Prima aggreſſio facta in parræcia S. Jacobi medio menſe Decembri, eo obtentu, quod herus ædium non ſolverat multam pro eo, quod in militum luſtratione virum non miſerat, & quod illi eam multam nunc exigebant, & regiam manum injiciebant bonis, quæ erant in ædibus. Sic correpto convaſatoque ut collibitum erat, quod erat reliquum vaſtant, deſtruunt, comburunt, nonnihil ut eſſet occupantium, diſpergunt. Exin poſt dies ſex redeunt, & parum, quod tempore intermedio erat illatum, & pari modo proterendum & conculcandum exponunt. In hac expeditione anteſignanus fuerat quidam civitatis centurio. Nunc prætor ſe accingebat. Revertuntur Quakeri ſeptimo die poſt eandem domum vacuam, ita ut nullo in loco ulla ſeſſio eſſet. Quod dum fit prætor cum cognitore, ſequente caterva ac colluvie juvenum ac puerorum, hoſtili animo viam affectant ad Quakeros, eoſque non auſos reſiſtere, invadunt ac nullo negotio fundunt, atque inde in receſſum viduæ contubernalem irruunt, & arcas, capſas, thecas, aſſeres, coaſſationes, tranſennas, rapiunt, rumpunt, ejiciunt. Regrediuntur Quakeri triduo poſt. Idem illi faciunt, & fugatis rurſus hominibus, exiguas reliquias do-

domus projiciunt ; & domum totam everrunt atque extergunt. Quakeris primo die Januarii, ut nos annum diſtribuimus ac deſcribimus, novi anni initio, aliâ domo in vico ſumptâ, eò ſe conferunt. Id ubi prætori indicatum, is cum iiſdem ſuis clientibus ac circumpedibus, illectis nova præda, incitatiſque eſca hac audaciæ, approperant incitato curſu, ac mox dato ſigno quiſque pro ſe, nullo ſervato ordine, involant, ſeque in homines, eorumque bona mittunt, & cum hic quoque nemo eſſet, cui contra agendi facultas aut voluntas eſſet, ſuos, ut ante, animos explent. Adhuc Quakeri alio triduo poſt aliam ſibi deligunt domum. Et illuc ii viri ac pueri ad prædam ruunt, & homines aggrediuntur, & manus inferunt, ac mactant, ipſam vero domum fiſco regio addicunt. Feriæ erant dierum quinque. Tunc Quakeros remigrantes ſuam in vico illo antiquam domum prætor cum ſuis accedunt, & captis Quakeris è domo, cum è domo ſemiruta ac ſpoliata nil amplius poſſent diripere, raptos Quakeros ducunt ad magiſtratus, qui cum juramentum exigerent fidelitatis, atque illi jurare nollent, Quakeri partim in carcerem, partim oppleto jam carcere ordinario, in ergaſtulum concluduntur, & loca alia. Inter hæc dici non poteſt, quas illi ſummas pecuniarum multatiarum imponebant, capiebant, eripiebant damnatis, non aliam ob cauſam, quam quod eos in cœtibus Quakerorum, qui

ſæpe

Digitized by Google

ſæpe ſilentiô tranſigebantur, invenerant. Et quum eſſent, qui ſolvendo non eſſent, non modò animo, etiam re ipſâ ac paupertate, ditiores coacti pro iis pendere. Id quod plerumque recidebat in mercatores. Quâ in re quæ raptura ac turpitudo interdum videbatur, exemplo ex uno poteſt judicari. Mercator erat ſpectatus *Richardus Marshus*. Ejus ad ædes cognitor & quidam limenarcha, venientes, petitum multam paucorum florenorum, cum viris ſociis Marshi conclave negotiale effringunt, & perſcrutantur ſi reperiant pecuniam, non inventâ illi librorum negotiatiorum omne genus, diaria, rationaria, tabulaſque accepti & expenſi, faſciculos chartarum & epiſtolarum, multaque alia, velut confiſcantes ac conſervantes, prætereaque percurrentes omnes partes domus, quicquid mercium, utenſilium, venit in manus, ſimili obtentu capiunt, disjicientes, diruentes omnem ſupellectilem, ac poſtremùm lautè epulati vinoqne ſatiati ſecum auferunt. Illos præſertim viros ambos prætorem atque cognitorem ex illâ divexatione hominum & diviſione pecuniæ bonorumque, brevi egregiè nummis & copiis divitiores factos eſſe, omnium vulgatum & tritum atque celebratum erat ſermone. Et accidit cum prætor apud *Thomam Earlem*, eô tempore urbis prætorem ſupremum ſive majorem virum honeſtum & ſui officii ſuæque dignitatis bene memorem, in ejus rei veniret ſuſpicionem, atque is eum

Digitized by

de diſpenſatione pecuniæ ac bonorum illorum appellaret, ut ille vir, cùm quod revera erat non poſſet negare, neque vero confiteri vellet, primùm quidem orationem aliò deflecteret, at poſt, cum alter inſtaret, & ipſe, quantò magis ſe volebat expedire, tantò magis ſe impediret, atque interim ejus ira inciperet ebullire, ei interminaretur, ſi ſic pergeret, haut promotum iri inter Parlementarios, fieri poſſe ut ne is id nequicquam faciſſet. Etſi autem Quakeri tot quotidie diminutionibus hominum atque opum afficerentur, neque porro cujusquam perſona ac poſſeſſio certa ac tuta eſſet, illi tamen nequaquam omittebant ſuo priſtino conveniundi more agere. Quamobrem & illi illorum hoſtes non deſinebant eadem via progredi, quoad nihil ſibi ad inſolentiam ac fœditatem reliqui reſervarent. Itaque jam & officiales, & ſatellites, & greges epheborum, non modo quoties Quakeri ſe alicubi congregabant, ſed etiam ubicunque, quoſcunque, habebant obvios, alios apprehendere ac reſupinare, ut ſine magnô dolore non poſſent reſurgere, alios tundere, ac membra debilitare manibus fuſtibuſque, & inter lamentabiles voces crepituſque plagarum in illorum cruciatibus inſultare. Quin ille cognitor ipſe, quaſi amens furore, modò puerulum crinibus tollebat in altum, modo ut bene res tenens ac verba amantium, filiam adoleſcentem, lepidis dictis aggreditur, ſed quod ejus amationes & com-

plexum

plexum atque oſculationem effugeret, tanta vi retinebat, ut ipſi manum diſtorqueret; modò mulierem, cui flos ætatis perierat, modò gravidam ac plenam, modò vetulam, ac non ſolum ſenem, detrudebat calcibus in humum. Cui rei ſi quis dictò factoque minimo intercederet, etſi maritus pro uxore, huic continuò parata erant verbera. Ita parum erat hæc aſſiduè ex ejus ore audiri nomina, meretricum, impurarum, proſtibulorum, & quæ talia, neutiquam Chriſtiani ad Chriſtianos, vocabula. Ferum, ac non ſolum inhumanum, puer erat vixdum veſticeps, ita juvenans ac ludificans virginem levitate atque impudentia, ut tunicam levaret, & manum aliquo adferre tentaret, cui virgo, tum ob ſceleſtam tactionem factionemque, tum ut ſuæ honeſtati atque pudicitiæ ſuccurreret, uti nequiſſimo ne potulo at maſtigiæ alapam dederat. Eò cognitio cognitor illam virginem, quod ſuam ſcilicet pudicitiam ab ejus libidine defendiſſet manu, in ergaſtulum abjici jubet, id criminis in eam objiciens, eam non neceſſitate ſubactam ſed ultro puerum deverberaſſe, & eſſe eam turbulentam ac rebellatricem. Lux erat menſis Aprilis decima ſexta anni ſequentis. Eo die prætor cum cognitore curſim irruunt ac ſe præcipitant in mulierculas decem una congregatas, eaſque rapiunt in exgaſtulum, quarum unam, valde teneram ac prægnantem prætor ſua manu (erat enim is vir qui facile poterat lictore carere)

rere) violenter trahens, nullis querimoniis ac precibus poterat moveri ut abſiſteret. Sic domo evacuata prætor aut inducit, aut patitur ingredi quoſdam viros ſaccarios, bajulos, delatores, non paucis inſignes notis petulantiæ, & ad hujuſmodi opus appoſitos, qui dum illi homines tantas capiebant miſerias, ſuas capiebant voluptates, edendo, bibendo, è prædiis ac manubiis eo die factis, poſt bene paſti ac poti, inſtructi vexillo, & tympano, & fidibus, pſallendo, ſaltando tempus terunt, interim prætore ſubinde ſpectaculum hoc capiente ſuis oculis. Quod ipſum mulier Quakera adſpiciens cum prætorem rogaret, an ita locum deſtinatum religioni facerent ſacrarium ſuarum libidinum, prætor, cujus animus ita odio in Quakeros obſeſſus erat, ut aditus nulli verbo, quod ab iis proficiſcebatur, eſſet, ſic offendebatur, ut mulierem actutum juberet redigi ad ſocias, & in idem includi ergaſtulum. Cæterum & in ergaſtulo hoc non minor hos homines ſubſequebatur afflictio ab ergaſtulario homine duro ac crudeli cujus tota in toto corde crudelitas ſedebat, & illius adminiſtris illoque dignis. Camera erat in qua licitum erat captivis non ob flagitium, verſari, & operari, & una colloqui. Hac libertate quo minus Quakeri fruerentur, impediebat ille. Et cum eſſent qui ſuis ſtatis diebus quicquam inter ſe aut loquendo aut aſſidendo tacite tentarent, ille interturbare, diſtrahere, excludere, dictum-

que

que & factum inveniendo ferire, conjicere inter fures ac nebulones, ubi certo nulla poteſtas conveniundi aſpiciundique, & ubi præterea cum illa ſentina conflictari cogebantur. Inter hæc quoties prætor atque cognitor diverterent in carcerem & ergaſtulum, ii non minus duriter, interdum furioſe, in hos homines agebant. Ad extremum tantus numerus erat captivorum, ut nullus locus eſſet, in quo nedum per noctem cubare, ſed etiam per diem reſpirare libere poſſent, utque omnes in varios inciderent morbos, & periculum eſſet, ne cunctos obreperet mors. Pars ſolatii ſuum expromere dolorem. Atqui hic illi vel deflere ſuos caſus vetabantur. Scribebant captivi, ſcribebant eorum nomine medici urbis quatuor, quibus res comperta erat, epiſtolam ad Majorem reliquoſque magiſtratus, quo illi horum hominum calamitatum, & illius ergaſtularii tyranni crudelitatum, ac rei totius ea ex epiſtola commonefierent, & de levandis horum miſerorum cruciatibus cogitarent, contraque eos iis auxiliarentur. At vero cúm Major, qua nulla major tamen erat poteſtas, & reliquus ſummus magiſtratus, lectis epiſtolis, acti miſericordia, omnino hominibus ærumnoſis ſuccurrendum cenſerent ac decernerent, non per illos inferioris ordinis viros, ac ſpeciatim iſtum quem ſæpe indicavi prætorem, qui ſe tantiſper Londini alia auctoritate muniebat, impetrari potuit, ut puſillum ac minimum levamenti daretur,

Digitized by Google

retur; ut ſi vellent, jam inter ſe, quique in locis iis, à ſuis deſertis, conſtituti erant, ad parietes & ad humum, ſua conqueri & deplorare mala poſſent. Celebrata III. Kal. Apr. comitia Briſtollienſia pro captivis Quakeris. In quibus poſtquam omnibus auditis ac perpenſis, Quakeris certa imponeretur multa, & unà datio juramenti fidelitatis, cum eaque libertas daretur exceſſus è carcere & miſeriis, illi quàm multam ac juramentum, magis in carcere manſionem eligebant. Unus erat *Eraſmus Dolus*, qui eò ſe patiebatur induci, ut pro verbo jurandi declarandi uteretur. Quod cum faceret, lictor de improviſo exhibet Biblia coram facie, & capiendo ejus manum, eam imponit libro, ac tum librum admovet ad os ejus, ritu videlicet in jurejurando illic terræ ſolenni. Quo facto non pauci jactabant, jam inventos inter Quakeros, qui jusjurandum non verebantur, & jam jactum gradum, quo ad cætera, quæ adeò refugiebant, facilè pervenirent. Quod ut non ita influeret in hominum animos, Dolus libello, quemadmodum ea res geſta eſſet, edocet. Sic Quakeri hi relegati in carcerem, ubi à carceris cuſtodibus etiam durius habiti, nullo nec preci nec pretio, pro quadam corporis commoditate, relicto loco. Hæc omnia Quakeri, non contenti ſuâ totiuſque civitatis de hiſce rebus conſcientia, etiam plurimis libellis publicabant, dimulgabantque in univerſæ gentis ſuæ memoriam. Per

idem

idem tempus *Londini* multi Quakeri, ideo quod ſuos celebrare cœtus deſiſtere, atque pecuniam quam ob id debebant nomine multæ, dependere nollent, conjecti in carceres, neque datus exitus, cum interim delatores harpagi ex illorum bonis extorquebant amovebantque, non quanti ea valebant, ſed quanti illi ea cenſi erat, quod erat ſane minimi. In his captivis duo erant Quakeriani eccleſiaſtæ, *Guilj. Binglius* & *Franciſcus Stamperus.* Stampero amplius quàm quadraginta novem pondo ſterlingiana adempta. *Worthami* in comitatu Sulfolchia *Job. Bishopius* ruſticus, eccleſiæ miniſtro debebat à decimis annorum duorum ſterlingiorum pondo octo. Quæ quum non erogaret, miniſter tandem à judicibus impetrat, ut è ruſtici equis, bobus, vaccis ovibus reciperet ſequeſtro pondo ſeptuaginta ſex. In hoc ſtatu regni, & his procellis conſectationum moleſtiarumque, cedit è vita rex *Carolus* II. ſucceditque ei in regno *Jacobus* dux Eboracenſis. Is annus erat ſexcenteſimus poſt mille, & octogeſimus quintus, XIV Kal. Martii. Rex Jacobus, ſic ejus nominis VII. cum ab initio ſtatim regni nil prius in votis habebat atque conabatur, uti ſtatim exequi regium, quàm ſuam papalem religionem introducere ac promovere, quo ei viam muniret, & invidiam aliorum minueret aut præcideret, omnibus omnium religionum hominibus eandem communem & æqualem immunitatem tribuit, pro ſuo lubitu

ſuas

ſuas religiones exercendi. Ad hunc ſpecioſum titilum ac titillatum dum cuncti, exoſi propter ſuam religionem, veluti dato ſigno convolant, ac regi ſuis literis gratiam hanc congratulantur, & ſe porro in ejus clientelam commendant ac fidem, Quakeri quoque omnes, alioqui non adeò ſuaves & ruſticiores, unis literis, ſcriptis juſſu concilii generalis, admodum urbanis & venuſtis, gratias agunt, ac porro illius captant benevolentiam. Eô tempore è Quakeris pet Angliam detinebantur in carceribus mille quadringenti ſexaginta. His omnibus edicto regis data exeundi poteſtas, & libertas vivendi ut vellent. Et cum poſtmodum nonnulli alii adhucdum raperentur in carceres, uſque numero amplius ducenti, his anno ſequenti eadem impunitas atque licentia data. Adhæc rex, quò non tantum ſeveritatis ſuſpicionem effugeret, verum etiam benignitatis ac popularitatis laudem aſſequeretur, ſuis aulicis & ſatellitibus miniſtriſque præcipit, ne quis alicui Quakero, ſi regem præterierit, aut ei adſtaret capite tecto, ullam moleſtiam exhiberet. Quin rex ipſe eos accedentes, & aut contemplari aut affari cupientes, & cunctantes verecundanteſque, aut perculſos metu, interdum præveniebat. Rara in aula res. Et elegans ac facetum, quidam Quakerus regem compellat operto capite. Rex ſuum caput aperit. Ille regem monet, ne id agat. Ad quod rex, oportere ubi rex eſt unum duntaxat capite

capite operto eſſe. His rebus rex Quakerorum in ſe amorem ac ſtudium ſingularem in modum alliciebat incendebatque. Quamquam nonnulli, qui ideo ſibi ſuam mentem datam exiſtimabant, ut plus ſaperent atque ulterius providerent, quàm oculis viderent, hanc tantam regis munificentiam ac facilitatem tanti non faciebant, & plurimum putabant differre, utrum quis ex animo ſtatuat aliquid, an ex affectu & commodo atque utilitate, & dum regis conamina non adeo procul eſſe à ſua cognitione cenſebant, illam omnem indulgentiam capiebant ut malum omen, & ut ſignum, poſt hanc ſerenitatem orituram ſævam intempeſtatem ac perturbationem. Cum hoc rege *G. Penno*, quem Quakeri ſibi unum habebant patronum in aula, & in quem omnium ſuorum inimicorum oculi erant conjecti, magna intercedebat familiaritas, ut rex non ſecus amaret, ac ſi ſummus & intimus fuiſſet amicus, eique ſua conſilia crederet pene omnia. Et ſumebat rex ſæpe ſecretum, non horarium, verum horarum plurium, in quo de variis rebus cum Penno ſeriò ſermonem conſerebat, & interim differebat audire præcipuorum nobilium ordinem, qui hoc interim ſpatio in procœtone, in proximo, regem conventum præſto erant. Quod unus ex iis, aut invidus ei rei, quod ille unus pluris quam illi omnes fierent, aut impatiens moræ, & hanc quoque ignominiæ ſpeciem accipiens, regem ſubmonebat, dicen-

 do,

do, quando rex penes ſe Pennum habet, de ſua alia nobilitate non cogitat. Cui rex nil aliud reſpondebat, quam, imo Pennum ſcite ſermocinari, & ſe eum libenter audire. Quum autem Pennus tanta gratia plurimum apud regem valeret, ac per id perplures ſibi amicos acquireret, illum omnes, etiam qui modò aliqua notitia erant conjuncti, quoties aliquid à rege poſtulandum, agendumve apud regem eſſet, adire, ambire, orare, ut eos apud regem adjuvaret. Cumprimis Quakeri. Qua in re Pennus nullum officii genus omittebat, præcipue pro Quakeris, quibus exinde nihil, quicquam petentibus à Penno, deerat, quod erat pro religione ipſorum apud regem agendum. Eſt id ita in uſu poſitum, ut cui non invitus facias beneficium, ei, ut invitet novum, addas animum. Ita ergo illi indeſinenter ad Pennum recurrere, tanquam ad unicum perfugium, & Pennus nihilo remiſſius, atque etiam alacrius, illorum rationes ac publicum bonum ſua privatâ gratia, & item eloquentia, apud regem procurare. Unde ejus domus ac veſtibula quotidie referta clientium, ſupplicantium, ſua ei ad regem deſideria offerentium. Viſi quandoque de hoc genere hominum non minus bis centum. Atqui hic, cum magni in his negotiis ſumptus eſſent faciendi, in aula, in curiis, pro ſcripturis, pro relationibus in acta, ex iiſque repetitionibus, pro cerariis, pro cæteris pecuniis, quæ ſic debent, & etſi

non

non debent, tamen ſolent ſolvi Pennus hæc omnia ita tractabat, ut quemadmodum ei facultates abunde ſuppetebant, ita liberaliter ad omnia hæc ſumptus faceret. Quod quanquam faceret, non ita tamen hominum medioxumorum, & etiam ſummatum, mordacitatem poterat effugere, ut non ſæpe veniret ad ipſius aures, eum non tam ſuapte voluntate ac propenſione quàm ſuæ utilitatis & emolumenti cauſa, adeo eſſe animatum, atque cum ita in amicos, magis erga ſemetipſum affectum eſſe, videlicet illam omnem concurſationem hominum, illiuſque adminiſtrationem, non gratuitam, at bene mercenariam ac cum grandi præmio eſſe, & ſi revocaretur ad calculos, repertum iri, Pennum multò plus quam daret accipere. Quam maledicentiam Pennus apud alios quidem ſilentio, optimò vindice calumniarum, redarguebat, at vero apud regem, qui quid ea de re eſſet, ſcire volebat è Penno, ſic diluebat, ut rex nihil in Penno reprehenderet, & talia de viro dici vanum, credi ſtultum, putaret. Poſtea tamen Pennus, obrutus tot negotiationibus curationibuſque, & conſulens ſui patrimonii copiis, ut ne nimia magnanimitate ac liberalitate earundem fontes exareſcerent, non quidem illam unquam ſedulitatem & benevolentiam prorſus relinquebat, ſed ita ſenſim moderabatur, ut nemini cauſam invidioſæ criminationis daret. Cæterum cùm hæc Penno certa eſſet ſtaretque ſententia,

 opor-

oportere unam Chriſtianorum ſocietatem eſſe, ſaltem id Chriſtianorum hominumque, univerſorum poſcere utilitatem communemque ſalutem, ut quilibet in ſua religione Deum libere ab omni impeditione coleret, & dummodo pacatè viveret, ad poteſtatem & honorem, & magiſtratum, atque imperium facultatem haberet, & cum ad id via in hoc regno occluſa eſſet per juramentum, quod unuſquiſque de religione tenebatur dare, & per pœnas conſtitutas in diſſentientes à religione publica, Pennus in his duabus rebus cum rege, qui id ipſum cupiebat, deliberabat ſtudebatque, hoc ut fieret, & ita regium de hoc edictum, quod jam exierat, libello publico confirmabat, ut hinc in omnium Proteſtantium odium implacabile incurreret, & eorundem ſummam iracundiam atque acerbitatem in ſe cumularet. Præter quod etiam Quakeri Pennum non amplius ut ante ita amabant ac magnifaciebant, quidam averſabantur ac fugiebant. Clamabant Proteſtantes, Pennum non minus ac regem, toto animo ac ſtudio Papiſtam eſſe, Jeſuitam eſſe, qui ordo omnium peſſimus. Quakeri ſtatuebant, haut malam eſſe rem, abrogari leges pœnales, quibus maxime omnium ſubjecti erant Quakeri, ſed id malum eſſe, etiam reſcindi legem de juramento, utpote qua lege ſublata, ac miſſis Papiſtis ad imperium, atque illud capeſcentibus, iidem confeſtim illas leges pœnales repeterent, atque ea via captarent,

rent, fatigarent, expellerent, aut interimerent, ſuo more, ſuaque religione, Proteſtantes omnes, & in primis Quakeros, ut homines hujuſmodi conſtitutionibus novis, non pœnis abſolverentur, ſed vero ad pœnas duriores damnarentur, & in ſe potiſſimum hæc cuderetur faba. In hac animorum commotione Pennus ita ſe aliò libello defendebat, & ſe nequaquam Papiſtarum religioni addictum, at oſorem eſſe, oſtendebat verbis, cum teſtificatione conſcientiæ ſuæ, ut mille teſtium, & Dei, quò nullus teſtis poteſt haberi major, ut ſi qua verbis ac dictis hominum de ſe ſit adhibenda fides, cuncti Pennum id non ſubtiliter ac veriſimiliter dicere, cum eſſet falſum, at verè atque ex animò ſcribere deberent confiteri. Quemadmodum Pennus eodem libello, licet etiam tum multorum de ſe opinionem delere non poterat, Quakeros tamen ſic convincebat, ut illi ei parem laudem, ante datam, nunc ad tempus intermiſſam, impertirent, eumque, relicta ei ejus opinione ſingulari, pro ſuæ religionis homine conſtanti recognoſcerent. Itaque ergò Quakeri ſub rege hoc in otiò ac quietè vivebant, exceptis pauculis, qui quorundam dolis atque inſidiis adhuc gravabantur. Sed jam novæ perturbationis ac rerum omnium converſionis tempus appropinquabat. Quippe rex, ratus non ultra exſpectandum, ut jam nullis ſuperabilis hominibus, quod à principio intenderat, Papiſmum non

ſimulate, ſed propalam, introducebat, & ut alia prætercam, etiam præcipuæ dignitatis viros eccleſiaſticos, etiam epiſcopos, etiam Archiepiſcopum, quod ejus obſiſtebant conſiliis, aut movet munere, aut turris Londinenſis cuſtodiæ mandat. Qui viri, in ſua hac honeſtiſſima cauſa adeo firmi ac fortes, jam experiebantur, quantopere oporteat, & quam interea dura ſit res, pati propter conſcientiæ libertatem. Et quoniam me huc deduxit oratio, non poſſum non adjicere, quod ab ipſis tum commemorabatur Quakeris. Cum is nunc horum epiſcoporum ſtatus eſſet, erant inter Quakeros, qui in populò id epiſcopis per Angliam exprobrabant, ac circumſtrepebant, redire nunc ad eos malum, quod ab ipſis venerat ad Quakeros. Quod ubi ab illis præſulibus intellectum, illi graviter queruntur, talia de ſe à Quakeris dici ac diſpergi. Quò viciſſim cognito à Roberto Barclajo, is nulla interpoſita mora ad eos adit in turrim, atque ita iis res omnes in Quakeros factas ac commiſſas, tum juſſu, tum permiſſu horum illorumque epiſcoporum, narrat, ut ad iſtam narrationem nulla alia iis eſſet defenſio, quam ſilentium. Sed exſpirabat jam poſt triennium imperium Jacobi. Poſt quem ſecutus *Guiljelmus* III. princeps Arauſionenſis, gubernator Belgii fœderati hæreditarius, gener, ac nepos è ſorore, Jacobi, qui princeps, ut ſe ſemper per omnia optimum principem, nec non imperatorem,

rem, inſtructum omni civili ac bellica virtute, ſimulque pium Chriſtianum præbuerat, utiliſſimum & reip. & eccleſiæ, cum ſuopte ingeniô, tum inſtitutione in noſtrâ gente, quæ non quidem reges habet, at parit ac parat, ita ab ipſa prima ingreſſione in regnum ſe eô pacto gerebat circa omnium conditionum & religionum mortales, ut manifeſtum eſſet omnibus, ipſum malle, ſe diligi, quàm metui, ac nemini libertatem conſcientiæ ac religionis velle præripere, & ut nulli eſſent, qui non cum regem eſſe prudentiſſimum moderatiſſimumque, & omnino cum quovis præſtantiſſimo rege comparandum, cenſerent. Exemptis Papiſtis, quibus rex, eorum ſemper infidelitatem extimeſcens, ſe velut medium inter gratiam & ſeveritatem, & inſecutionem atque indulgentiam, præſtabat. Quocirca Quakeri quoque regem hunc impenſe amare, & ut ſuum efficacem defenſorem amplecti, ac proinde ſua ſine interturbatione atque metu negotia ac ſacra facere. Cui benevolentiæ ac propenſioni regis accedebat Parlementum, videlicet ipſum primum, quod rex poſt ſuam in regnum inaugurationem convocabat, prout id unuſquiſque rex initio ſui regni ſolet celebrare, more antiquo, uti ſi quid ex antelatis legibus inſtitutiſve ſit abrogandum mutandumve, illud communi conſilio fiat. Itaque & Parlementum hanc religionis libertatem & immunitatem à lege pœnali largiebatur omnibus, demptis ite-

iterum Papiſtis, quibus perpetuum indicebatur bellum, ut iis hoſtibus, quibuſcum nulla pax poterat eſſe, quibus hujuſmodi concedere libertatem, eſt ſibi libertatem omnem ipſis præripere, & de ſua ipſorum ſalute confligere; itemque Socinianis, & eorum ſimilibus, vel aperte, vel occultis ſermonibus ac fraudibus clandeſtinis, fidei Chriſtianæ fundamenta evertentibus. Itaque ergo & Quakeris talis vacatio ac licentia data. Verumenimvero quoniam hæc res, quantum ad Quakeros, non exigui eſt momenti, ad dignoſcendum privilegia ac jura Quakerorum, quæ quidem, ut á Rege ac Parlemento iis donata, ita actis de religionum libertate inſerta fuere, haut indignum erit idem hoc paulo latius narrare, idque vel ob hanc cauſam, quod idem ille auctor Gallus, quem paulo ante non ad ejus laudem notavi, & nimirum homo impurus, nequam, quem nunc poſt multiplices in religione caſus & errores & converſiones, hi qui eum norunt, quique mihi non ſunt ignoti, mihi ſcribunt, ſtrenue agere Papiſtam Pariſiis, in ſuo libello maledico, non modo mendaci, hanc rem ita narrat, ut certum ſit, eum non aliud habuiſſe propoſitum, quam homines bellulis verbis, alios ludere, alios inducere. Hæc verè res eſt. Incumbebat Parlementum in iſtam partem, ut iis quos dixi hominibus, illam religionis libertatem indulgeret. Demandata provintia, ut de hac re agerent, quibuſdam è medio Parlementi

menti ſelectis viris. Hi quum de Quakerorum doctrina ac fide de Scriptura ſacra, & myſterio Sanctæ Trinitatis, ambigerent, quoniam homines hi id in uſu non habent, ut Scripturam appellent verbum Dei, (exiſtimantes id nomen tribuendum eſſe ſoli Chriſto, aut Dei ſermoni interno, neque in iſtius ſocietatem nominis venire literas externas) & ut Patrem, Filium, ac Spiritum S. nominent tres perſonas (ut quod vocabulum perſonarum in ſacra Scriptura negant reperiri) ſtatuunt, ultra inquirendum eſſe, quæ de his articulis Quakerorum ſententia eſſet. Agebant tunc Quakeri duo celebres, Georgius Withadus, & Johannes Virughtonius, de hiſce negotiis ſuis præſertim cum equeſtris dignitatis viro *Thoma Clargeſio*, inferioris domus aſſeſſore. Is hos duos viros monet, prout Quakeros ſuo conſilio ac ſtudio valde juvabat in hac re, ut circa iſtos articulos ambos ſuam ſuorumque Quakerorum mentem clare atque candide exponant. Illi ſine ulla cunctatione ſcribunt, ſubſcribunt, exhibent viro illi honorato, à quo ut conſilium ſalutare ceperant, magnum ſperabant auxilium, quiſque pro ſe, hanc formulam: *Credo corde, confiteorque ore, ſanctas Scripturas eſſe divinas, relictaſque nobis eſſe à viris inſpiratis à Deo, & eſſe eaſdem regulam noſtræ fidei & morum noſtrorum. Item declaro, credere me in unum ſolum Deum, qui eſt Pater, & in Jeſum Chriſtum, ejus Filium æternum, verum Deum ac verum hominem,*

minem, & in Sanctum Spiritum, unum & eundem Deum cum Patre & Filio, benedictum in ſempiternum. Perplacuit confeſſio hæc laudato viro Clargeſio, & cum is eandem ſuis collegis daret legendam, viſum collegio, adduci ad ſe novem vel decem Quakeros, qui in atrio præſto erant, & ſingulos eorum tentari, illane Quakerorum ſententia ac fides eſſet. Quibus annuentibus, res poſtridie delata ad Parlementum, atque ita à Parlemento cognita eſt, ut ſtatueretur, Quakeris ſuam in religione certam libertatem fore, & ſtatutum hoc in tabulas publicas relatum iri. Cum hac mutatione regni ac rerum publicarum Guiljelmi Penni nequaquam illa apud regem & regios exiſtimatio atque dignitas erat, quæ fuerat apud regem Jacobum, idque tum propter ſuperiorem amicitiam, quæ ipſi cum rege Jacobo interceſſerat, tum quod Pennus in nulla re diſſentiebat à ſua antiqua opinione, circa juramentnm fidelitatis, quod hoc tempore quidem mitigatum, ſed non ſublatum erat. Quo accedebat ſuſpicio, Pennum adhuc facere cum priſtino rege, latente in Gallia, ſub umbra ac præſidio regis Galliarum, regis regnique Britannici, pariter ac noſtrarum provintiarum, hoſtis infenſiſſimi, imo quicum nunc Britannis ac noſtræ genti bellum erat capitale. Quam ſuſpicionem deinde ſequebatur opiniatio & aſſenſio ex epiſtola regis Jacobi ad Pennum intercepta, per quam ille rex petabat, ut Pennus

nus ſibi in hoc ſtatu, in quo impræſens erat, ſuppetias veniret, atque ſua in eum beneficia benevolentia officiorumque viciſſitudine remuneraret. Quanquam Pennus ob has literas citatus adductuſque in judicium, & rogatus, qui rex Jacobus ad eum ſcriberet, reſpondebat, ſe rem hujuſmodi non poſſe impedire, rogatuſque qualenam munus rex ab eo peteret, addebat, *ſe id neſcire, verum ſe id exiſtimare, regem cupere, ut Pennus pro ſe eniteretur & efficeret, ut reſtitueretur in regnum, at vero ſe quod attinebat, ſeſe ejus rei culpam quidem vitare poſſe, ſuſpicionem non poſſe, & cum Jacobum ante maximopere amaſſet in rebus ſecundis, nunc in adverſis non debere odiſſe, imo adhucdum amare ſe Jacobum, uti eum, à quo plurima beneficia acceperat, ſed nequaquam ſe cum eo conjungere in iis, quæ ad ſtatum pertinebant regni, & velle ſe ei, ut homini, cui plurimum erat obligatus, tanquam hominem, privato officio, omnia quæ poſſet retribuere, inviolato præſenti regimine, integroque erga illud officio publico aut communi cum omnibus ſubditis, ideoque ut hoc conaretur, quo ei corona, quæ de capite decideret, in caput reponeretur, ſe de ea re ne quidem cogitare, & idcirco nihil ex iis literis in hoc judicio debere in ſe criminoſum videri.* Ex illo tempore Pennus multis ſe negotiis magis magiſque ſubtraxit, atque ad poſtremum Lòndini, in ſua domo, velut voluntarium exilium ab hominum congreſſibus & colloquiis & uſu & conſuetudine omni indixit, ac ſolum ſe dome-

domeſticis finibus tenens etiam ſolis domeſticis curis, mentiſque meditationibus & exercitationibus vacavit, unde prodiit anno ſuperiori nonageſimo tertio ejus geminus libellus, patria lingua conſcriptus, alter de vita ſolitaria, alter clavis ad intelligentiam articulorum fidei Quakerorum. Exiit autem hoc anno Pennus ex hoc carcere, jam nunc tantum otium, contracto denuo matrimonio, hoc viduitatis ſolatio, poſteaque copioſiore labore, etiam in obeundo omni munere, compenſans. Hanc quoque mutationem Georg. Foxus poſt tot ſuæ à ſe inventæ ſectæ variationes, & caſus atque diſcrimina conſpiciebat, & cum ante ſæpe de progreſſu ac diuturnitate fuerat anxius, nunc de conſummatione ac perpetuitate non dubitabat. Namque ille quidem ad finem laborum venit, ac vitam reddidit, initio anni nonageſimi primi. Quo mortuo ejus vidua, Margareta, eo anno anus annum agens ſextum & ſeptuageſimum, & etiamnum partem capiens in munere concionatorio, ſic ad cœtum generalem mulierum, eo anno celebratum Londini, ſcribebat: *Cariſſimæ amicæ ac ſorores, in Domino, non ſum cunctata ad vos ſcribere, è ſenſu ejus quod fuit in principio, & nunc eſt, & futurum eſt æternum, idque propter magnum amorem veſtrum ac curam erga me & meam partem, meum maritum, quamdiu is propter Dominum ſua inter vos opera functus eſt. Cum autem ille nunc introiit in requiem & gloriam cœleſtem, nos, ſi*

ipſius

ipſius præconio, quod vivus fecit, innitamur Deo vivemus. Neque dubium mihi eſt, quin ſi eodem quo ille ſpiritu vitæ ac roboris ambulemus, ad finem uſque conſervabimur, cum interim ita creſcentes, ac Deo fructus ferentes, erimus arbores juſtitiæ quæ cedunt in laudem ejuſdem Dei. Quapropter vos moneo atque hortor, ut perduretis in veſtro miniſterio erga Deum, utpote quando in hoc quidem mundo plurimam conſolationem, & in futuro ſempiternam mercedem reportaturæ eſtis. Valete, ac mecum Deum celebrate. Scripſit Foxus non multo tempore ante quam deſiit inter mortales verſari & eſſe, interventu & opera quorundam diſpenſatorum & amanuenſium amicorum, lingua Anglica, librum permagnum, ſolum de ſuis rebus geſtis temporibus ſui inter ſuos miniſterii, cavebatque teſtamento, hunc librum excudendum typis, illiuſque mittendum exemplar ad ſingulos ſuæ ſectæ cœtus annuos & trimeſtres, per univerſum orbem terrarum, in ſui memoriam, & ipſorum uſum privatum. Exiit liber authoritate conſilii generalis illorum hominum, ſub extremum anni præcedentis. Is liber diu à me magno ſtudio quæſitus, ac tandem multa impenſa comparatus, ſero ad me venit, non ante quam prope integrum opus hoc eſſet confectum, & pars exacta à typographo. Id ex eo libro deprehendo quædam à nobis relata omiſſa in eo libro eſſe, quatenus ad res Foxi attinent; ea vero quæ pariter in noſtro ac Foxi libro de Foxo leguntur,

quan-

quantum ad rei ſummam, inter ſe congruere. Annotavi exinde quædam de Foxo ex opere Foxi, inquantum mihi ante incognita, ſed ita, ut fretus Foxi, ad quem illa attingunt, teſtimonio ac fide. De cætero licet mihi de illo prægrandi Foxi libro dicere, perpaucas complecti hiſtorias, ac potiſſimum conſtare enumerationibus locorum ad quæ Foxus omnibus diebus vitæ adiit, & eorundem contentionum cum variis in locis illis hominibus, & de iiſdem rebus orationum & epiſtolarum innumerabilium. Fuit Foxus vir & corporis & animi habitudine pariter inſignis, nempe corpore ſolido ac ſucci pleno, animi habitu veluti ad corpus attemperato, magna memoria, ingenio, non quidem omnino hebeti, ſed neque valde acuto ac ſolerti. Meditando quam dicendo, dicendoque quam ſcribendo promptior. Nullius non doctrinæ, & artis, etiam vulgaris, expers, & æque incurioſus, interim interdum doctis dolis ludens. Laborioſus, etiam in otio communi, operoſus, etiam de nihilo, indefeſſus, etiamſi in medio ærumnarum. Vigilans multum, ſemperque arctiora ſomni quam noctis ſpatia capiens. Deditus frugalitati, pariter ſanitatis ergò & religionis, qui ipſe de ſe teſtabatur, fuiſſe tempus, quo dies decem jejunus egiſſet, & pari modo temperans in omni parte vitæ. Audax, & indurata patientia, ita cuncta palam factitans, tanquam hoc ſolum tenuiſſet, ne ab ipſo facta,

co-

cognoſcerentur, & ſic perferens omnia, tanquam ſi ſola paſſio, non actio & cauſa facerent glorioſum, & quaſi ſolum ſufficeret nomen, ſic nomen appetens martyris. Novies ſubſtinuit captivitatem. Præterea erat ille vir, animoſus, opinioſus, moroſus, ſibi confidens, ita reputans, conſiſtere omnia in ſua perſona, & conſilio, atque opera, neque quicquam recte fieri aut perfici ſine ſe, ut nullibi non adeſſe, intereſſe, præeſſe cuperet, ac tum quicquid in proſperis rebus geſtis numerandum eſſet, ſibi præſertim acceptum referret, illiuſque pretium laudis ſibi debere omnes prætenderet. Et hæc ſpecie ſimplicitatis atque humilitatis. Jam erga ſui amantes placidus ac benignus, adverſus alios iracundior, cæteros, qui extra ſocietatem erant, non quidem rebus, ſed verbis, quantum poterat, lædens, in eoque interdum non ſolum imprudens, ſed & inverecundiſſimus atque impudens. Scribit unus è Foxi pervetuſtis amicis ac perneceſſariis, in quadam ad me epiſtola de Foxo, *fuiſſe pro ingenii modo devotum cultui Dei ac pietatis promotione inter homines, & in converſatione mitem, ſed habuiſſe hoc, quod omnes in ſecta ſeu diſciplina certa ac nova magiſtri, & fuiſſe etiam inter Quakeros ſuos nimis durum adverſus eos qui formulas ab ipſo conceptas ac conſtitutas non acciperent.* Reliquit Foxus perplures libros, quos ejus ſectatores quidam modicis, nonnulli ad cœlum lan-

di-

dibus efferunt, verum quos illi, qui non ſunt de ſocietate, pauci attingunt, nulli facile relegent, qui ſæpius legere de iiſdem rebus, aliis tantum verbis, fugiunt, aut faſtidiunt ſingulis vicibus audire, non quantum ſufficit, ſed quantum poteſt, una de re commemorari. Etenim cum quoad Foxus vixit, Quakeri uti fratres inter ſe concordiſſime viverent, etſi nunquam non aliqui erant, qui in aliquo articulo diſſentiebant, præterquam quod interdum quidam omnino à ſocietate recedebant, nunc Foxo mortuo, veluti ſublato jam ſupremo magiſtro, cujus dicta factaque omnia omnique ſic vice legum obſervaverant, & rupto jam vinculo unitatis, dum hucuſque illius viri una mente ac voluntate cuncti regi ac duci videbantur, ortum in Anglia ingens *diſſidium*, ac quaſi inteſtinum bellum, præſertim inter eos, qui quamvis præter vulgus non multum ſaperent, tamen ſibi majoris ingenii & acuminis nomen aſciſcebant & uſurpabant. Cauſa erat controverſia de Jeſu Chriſti gemina humanitate, orta ante paucos annos in Penſylvania, & agitata inter Keithum ac ſocios, & quoſdam aliqua cognitione elatos viros, & illorum aſſeclas, de qua tota controverſia ſtatui agere libro ſequenti. Itaque in Anglia quidem de illo articulo ex hoc tempore pene ad diſperditionem ſocietatis certatum. Qui vitam petit inimici, omni genere utitur armorum, qui famam,

om-

omnibus contumeliis inceſſit. Adeo ea diſputatio multis erat moleſtiæ ac dividiæ rixæque, tantoque multi ardore mentis, eoque ſtudio vincendi, erant accenſi, ut non ſolum verbis diſputarent, neque tantum alteri alteros multis ſuſpicionibus onerarent, ſed etiam quamlibet ſiniſtram famam de ſe invicem ſpargerent, ac ſe mutuo convitiis omnibus urgerent ac lacerarent, quidam aperte inimicitias ſeceſſionemque & ſciſma denuntiarent. Quas ob res mirum quas Quakeri ubique incurrebant ignominias, & qualis ubique locorum ſermo diſſipabatur, cum tantus eſſet eorum hominum pruritus diſputandi, videri nunc quanta ſit ſcabies ipſorum eccleſiæ, & cum tanta contentio eſſet partium, conſtare jam quæ ſit animorum conjunctio & pax atque affectus fraternitatis, & brevi adfore tempus, quo ſecta ac nomen ſuo proprio niſu ad nihil recidant. Intercedebant in hoc certamine, quod videlicet, etſi non aperta vi, ſed occulte ac cuniculis, neque vero cæſim manibus, verum punctim linguis gerebatur, tamen videbatur certo ſpectare ad exitium gentis, concilia generalia, habita quotannis Londini, inde ab anno ſecundo ad annum quartum & nonageſimum. Quo anno cum Keithus jam è Penſylvania venerat in Angliam Londinum, concilium ejus anni Keithum, ceu principium & caput & conſilium totius rei, accerſit ad ſe. Quo adventante,

& diu multumque audito, neque concilium hoc lites potuit componere, vel tantillum negotium decidere. Itaque manet adhucdum malum cum ſummo probro ac dedecore. Tanta nunc horum hominum in hoc otio rebuſque proſperis animoſitas & vehementia atque incitatio, quarum nunquam alias antea, nimirum in negotiis rebuſque adverſis, ſimiles ac vel ſpecies ullæ apparuerant. Sed ut dixi, dicam de tota controverſia hac copioſius libro ſequenti, tum ne liber hic nimis longe progrediatur, tum quod illic res ſuo proprio loco veniet dicenda. Jam ut illud, ita & plura ſigna erant ab hoc tempore, quantopere ſæpe otium & tranquillitas externa diſcordiæ, & ſecordiæ, & laſciviæ, & intemperantiæ vitæ ſint periculoſæ, neque vero valeant ſemper ad bene beateque vivendum, dum non pauci inter hos homines invenirentur, qui nimium in iſtiuſmodi vitia propendebant, cum interim morum cenſores ac magiſtri non omittebant, eadem vitia graviter, quidam, qui committebant, ipſi acriter in ſe animadvertere. Quarum rerum exempla, cum nos quidem ſine contumelia adduceremus, ſed illi forte quos attingunt, non ita à nobis tradita acciperent, prætermittam, excepto uno, propterea ne fama, qua urbs tota Londinenſis percrepuit, rem aliter forte, quam geſta eſt, divulget. Quakerus erat ſinceriſſimus, & ab hujuſmodi

ſuſpi-

Digitized by

ſuſpicione remotiſſimus, qui ex amicæ amore immoderato eo perducebatur, ut nimis impotenter ac turpiter cum ea conſueſceret. Quo intellecto ille illam conſuetudinem illi renuntiat, & cum inſuper eum ejus rei puderet ac pœniteret, ille quidem ſuæ eccleſiæ cenſoribus facinus publice coram ſociis vindicandum relinquit, verum ſuis ipſe manibus ſe, propter tantum ab honeſtate exceſſum, ita caſtigat, ut certo nunquam iterato ſic delinqueret, aut facinus tale perficeret, videlicet ut ſe caſtret. Cæterum quanquam hoc toto tempore tanta libertas his hominibus data, non ideo tamen ab omni motu ac perturbatione liberi fuere atque ſunt. Neque cum magnum illud invitamentum oppreſſionis eſt ablatum, juramentum fidelitatis, idcirco alii juramentorum prætextus, ut conſectationum irritamenta, deſunt. Quare exinde uſque in hunc diem etiam varia viſa exempla illorum hominum, quorum ob negatum juramentum, aliis ſua hæreditas abjudicata, aliis bona in univerſum adempta, aliis præter bonorum ereptionem conſtitutus carcer. Et cum adhucdum eadem quæ ante tempus hoc, in exigendis & denegandis decimis plerorumque omnium & poſtulantium & poſtulatorum ſit pertinacia, nullum tempus abit, quo non carceres his hominibus habitentur. Quam rem tribuendam eſſe ſimultati veterum & levitati novorum inimicorum, ac

non ſuperiori aut ſummæ poteſtati, unuſquiſque facile agnoſcet, qui conſiderabit, etiam regibus multos quidem oculos, & plures aures, & plurimas manus eſſe, ſed eoſdem quoque ſemper longanimos, & interdum patientiſſimos debere eſſe, neque omnia poſſe quæ volunt, neque quæ poſſunt eadem omnia velle ac facere oportere.

GE-

Digitized by Google

GERARDI CROESI

HISTORIÆ QUAKERIANÆ

LIBER TERTIUS.

Argumentum Libri.

Quakerorum profectio ad Americam Anglicanam. Quakerarum mulierum in Angliam novam adventus. Hæ quibus modis acceptæ. Civitatum adverſus Quakeros leges. Varia illorum inſecutio. Alii cæſi flagris, alii quibus aures amputatæ, quidam patibulo affixi. Magiſtratus Boſtonienſis de patibulatis reſcriptum. Edictum regis Caroli ad præfectos ſuis in iis terris regionibus de vacatione perſecutionis. Quid in nova Belgica acciderit. Quid in Virginiæ, Barmudum, & aliis partibus. Penſylvania regio Quakerorum. In ea libertas quarumcunque religionum cultoribus data. Varia & miſcella hominum in ea regione turba. Hinc multiplex & confuſanea inter Quakeros

Digitized by Google

keros ipſos doctrina & converſatio. Inde acris contentio Keithi eorumque qui cum eo, & adverſariorum, inprimis de Jeſu Chriſto interno & externo, & ex ea magna confuſio rerum & perturbatio. Eadem diſputatio, & ex animorum diſſenſione commotio & diſtractio in ſpeciem tumultuationis ac belli domeſtici, è Penſylvania diſſipata per Angliam, præſertim Londinum, uſque in hunc diem. Quidam Quakeri iter affectant ad Indiam Orientalem. Alius in Africam proficiſcitur. Quakerorum tranſgreſſio in alias viciniores regiones tranſmarinas. Acta ab illis in Hollandia, & Friſia. Brevis hiſtoria Labadiſtarum. Seceſſus & obitus inter eos Annæ Mariæ à Schurman. Quakerorum quorundam inter illius ſectæ homines conatus. Quakerorum acta in Friſiæ Orientalis urbe Emdena. Illic tandem libertas oblata iis hominibus à civitatis primoribus. Ameſii & Penni tentationes in Palatinatu Rheni. Foxi ad Eliſabetham Principem Palatinam epiſtola, & ad eam reſponſum Principis. Penni concio coram Principe illa. Quakerorum res in Holſatia, nominatim Fredricopoli. Et Gedani. Foxi mirifica epiſtola ad regem Poloniæ. Hiſtoria Pietiſtarum, ut appellant, in Germania. Quorundam magna aberratio. Nonnullorum exceſſus in Quakerorum regionem Penſylvaniam. Qui Quakeri profecti in Galliam, & quo exitu. Qui in Italiam. Lovi & Perrotti eventus Romæ. Georgii Robinſonii mirabilis caſus Hieroſolymis.

DUA-

Digitized by Google

Duarum mulierum Quakerarum perpeſſio in inſula Melita ab Inquiſitione. Mariæ Fisheræ rara profectio ad Imperatorem Turcicum, & reverſio.

OStendi duobus ſuperioribus voluminibus quis fuerit ſtatus rerum Quakerorum, inde à principio uſque in hoc tempus, in Britannia, illorum hominum matrice & nutrice regione. Nunc quemadmodum alibi terrarum ſe res eorum habuerunt, quam potero paucis abſolvam. In hac relatione primum occurrunt loca quædam novi orbis ſive *Americæ*, ſubdita Anglis, inprimiſque *Anglia nova*, ſita in America ſeptentrionali ad Oceanum, quam homines profugi ex Anglia vetere, propter ſuperbum ac ſævum regimen regum atque epiſcoporum, incolebant, ac ſibi propriam & hæreditariam fecerant, & quam hi ipſi Quakeri omnium primo adibant, ideo quod ſperabant, ſe illic inter ſuos, quaſi non ſolum propinquitate, ſed etiam una cauſa, cur patriam fugiebant, conjunctos, plus promoturos, ſaltem majori libertate quam in veteri Anglia fruituros. Primi autem, qui deſerentes illam amœnam ac fortunatam inſulam Britanniarum, deſtinati miſſique, uti ver ſacrum ac religioſum, iſthoc animo illa nova, ſed inculta ac deſerta loca petebant, fuere *Johannes Burniatus*, Cumbrus, clarus magis quam doctus, vocatus ad miniſterium concionato-

rium anno tertio ſupra quinquageſimum ſeculi, *Robertus Hosbonus*, *Joſephus Nicolſonus*, aliique generis maſculini, & *Anna Auſtina*, mulier provectæ ætatis, mater liberorum aliquot, *Maria Fishera*, virgo, quæ animi dotes morum gravitate ornabat, poſtea nupta Guiljelmo Balæo concionatori celebri, & aliæ ſexus muliebris. Accidit id anno quinquageſimo quinto. Ex his ſuperſtes hac memoria Burniatus, adhuc in præſentia concionator in Hibernia. Jam horum plerique iter dirigebant in Virginiam, & Marilandiam, & in inſulas Barmudas, & Caribes, & Barbados cæteraſque adjacentes. De his quia vix quicquam commemorabile comperi, poſteriori loco dicam. Atqui profectæ in Angliam novam mulieres, *Anna Auſtina*, & *Maria Fishera*, quas brevi inſecutæ mulieres aliæ, ut & viri. Et horum quoque hominum non multum commemorabilia acta fuerunt, quorum iis poteſtas erat adempta per ea, quæ ipſis erant patienda, quæ quidem talia ac tanta fuerunt, ut imo hæc omnino videantur digna, quæ annotentur ac tradantur. Ergo hæ ambæ mulieres quas dixi, navi proficiſcebantur in novam Angliam. Eſt hujus tractus novæque Anglorum reip. oppidum primarium, & item ſedes judiciaria, *Boſtonium*. Et erat ea tempeſtate ejuſdem provintiæ rector ſive gubernator *Johannes Endicotus*, qui ex infimo ad ſummum hunc pervenerat gradibus, de cujus indole & moribus ac rectione rerum cum & tum varia fuerit

Digitized by Google

ſuerit opinio, & etiam poſt teſtes ſuerint in utramque partem, ego nil dicam. Illi proximus erat *Richardus Bellinghamus*, de cujus itidem vitæ ſtatu ac natura ſuperſedeo dicere. Necdum hoc tempore ullo in loco lex aut quid ſimile legis contra Quakeros erat latum. Appellit navis Boſtonium, & ſimul ac deligatur ad anchoram, it rumor, adveniſſe cum navi duas Quakeras. Aberat gubernator urbe. Ibi autem gubernator proximus mittit ſtatim qui mulieres detineant, & quaſilla & reliquas ciſtulas obſignent aſſerventque, & libellos illius ſectæ, quos magno numero habebant, ferant in urbem, ubi publice manu carnificis comburuntur. Deinde & ipſæ mulieres deducuntur in urbem, citanturque in eas judices, qui ſimul ac primum conſederunt, ſtatuunt mulieres eſſe Quakeras, propterea quod, dum judices compellabant, ſingulos pronomine ſingulari numero, *tu*, non plurali *vos*, nominarent, contra morem Anglorum plerorumque omnium, non omnium omnino. Itaque cum judices illi cenſerent, hoc ſatis ſigni eſſe, & eſſe rem claram ipſam per ſe, iidem ut optimi ratiocinatores ſui officii, jubent mulieres abduci ac condi in carcerem, atque ita teneri, ut nil ex ſuis reculis, quas reliquerant in navi, ſibi habere liceret, neque quicquam ex inſtrumentis ſcriptoriis, quæ ſecum habebant, retinerent, ne de ſua conditione, in qua erant, aut de ſua nova doctrina ac religione ſcri-

berent ad homines. Cui acceſſit poſtilla quod cuſtos carceris iis ipſarum quoque Biblia eripuit. Decretum quoque, ne homo quiſquam ad eas accederet, aut verbum unum illis faceret, ac vel hilum cibariorum præberet. Sic habitæ in tam arcto ac contento loco, ut vix eſſet quod ederent, ubi vero incubantes ſomnum caperent, eſſet nihil, niſi quod poſt aliquot dies adferebatur illarum è navi lectulus, quodque Nicolaus Upshalius, civis Boſtonienſis, & membrum illius civitatis eccleſiæ, clam cum cuſtode carceris, certo pretio, tranſigebat, ut is iis quod ſatis eſſet ad victum daret. Adhæc querebantur mulieres, fuiſſe, qui dum ſe eſſe mulieres impuras & meretrices calumniarentur, quibus non inſuetum ac novum eſſet, corpus publicare ſuum, per eam cauſam, quod id bene inveſtigare ac conſequi vellent, ſe toto corpore denudaverant, neque ſolum oculis improbis ſuam pudicitiam ac pudorem oppugnaverant, violaverantque, ſed etiam manibus ſceleratis & inimiciſſimis ſe ita pertractaverant, eaſque partes, à quarum contactu aſpectuque ipſa natura decedit ac fugit virorum, in quibus mens caſta ineſt, attrectaverant, ut quum talia factu eſſent fœdiſſima, neque dictu honeſta, mulieres omitterent ipſam contumeliam atque injuriam ſuis nominibus explanare, & mallent tacere, quam dedecus illud & opprobramentum vulgo diſpaleſcere. Manebant mulieres in hac ſolitudine atque egeſtate

inclu-

Digitized by Google

incluſæ ſeptimanas quinque, quibus elapſis, quum gubernatori navis, qua mulieres advenerant, erat renavigandum, data ei à judicibus cauſa, ut quas mulieres ſecum advexerat, eas ſuo cibo & ſumptu eo unde venerat reveheret. His pulſis mulieribus, non diu poſt adveniebant *Maria Princeps*, *Sara Gibbenſia*, *Maria Wartherbada*, & *Dorothea Waugia*, item *Chriſtophorus Holderus*, *Thomas Thuntonus*, *Guiljelmus Brentius*, & *Johannes Copelanus*, quibus omnibus idem fere factum quod dictis mulieribus. Hac occaſione ſancita ſcriptaque lex, ne quis navicularius ullum in provintiam Quakerum veheret, & ſi quis Quakerus eo pedem inferre auderet, is concluderetur atque aſſervaretur in ergaſtulo. Monui modo de *Nicolai Upshalii* benignitate ac ſtudio erga duas illas mulieres detentas in cuſtodia. Hic, poſtquam quæ eſſet Quakerorum religio accurate cognoſcebat, paulatim ſe ſuæ ſubtrahere eccleſiæ, ac dedere ſe Quakeris incipiebat, & quum hujuſmodi lex conſtitueretur, ille ſe ejuſmodi legiſlatoribus opponere, & clamare, talem humanam legem diſſolutionem legum divinarum eſſe, & cunctos monere, viderent, ne adverſus Deum pugnarent, ac pro eo Dei iram ac vindictam in ſe arceſſerent. Quibus rebus ita exaſperati animi illorum judicum, ut hominem, quaſi ob novum eoque periculoſum magis exemplum, multam & centum imperialium, & carceris, ad extremum etiam exilii dicerent. Eſt in parte

te occidentali provintiæ, in regionis proſpectu, inſula quam appellant *Rhodum*. In hac inſula demum aliqui degebant Quakeri, & in hanc inſulam Upshalius, tanquam ad ſuam caſam, proficiſcebatur. Quo cum veniſſet, fertur ipſum regulum barbarum, ſive Indum, reperiſſe, atque hunc illum invitaviſſe, ut in ſuam regionem ditionemque concederet, atque illic conquieſceret, ſe in ea ſedem ejus inopiæ atque exilio proſpecturum, & de habitatione accommodaturum, & adjeciſſe verba hæc: cujuſmodi Deum Angli habeant, qui ſic agant de his, qui ſuum tamen Deum adorant. Poſt hos converſos in fugam, acceſſere Boſtonium *Anna Burdena* vidua, Londinenſis in veteri Anglia, quæ ut ante aliquot annos cum ſuo marito Boſtonii fuerat commorata, nunc huc redibat, ut interpellaret ſuos priſtinos debitores de pecunia, & *Maria Dyar*, uxor Guiljelmi Dyaris, ex inſula Rhodo, ambæ ignaræ, qualis lex, ac quod mali, jam tum in Quakeros erant conſtituta. Et hæ mulieres extemplo comprehenduntur conduntur que in carcerem, tam diu, donec mulierum alteræ ſuus maritus, alteri boni ac miſericordes homines ſuccurrerent. Quanquam Anna Burdena ita dimiſſa, ut tamen prohiberetur merces, quas alii ejus loco ac nomine à debitoribus pro nummis retulerant, in eas portare regiones, in quibus pluris poterant divendi, cogereturque per mare recta petere Angliam veterem, & præterea
ſic,

Digitized by Google

ſic, ut commentarienſis & lictores, ad hujusmodi res idonei, ab ea magnam bonorum partem averterent, atque inter ſe dividerent. Jam eo ventum anno ſequente ſeptimo & quinquageſimo, ut omne conſilium & auxilium contra hoc hominum genus fruſtra viderentur eſſe, quin eos arcere videretur arceſſere. Et appropinquabant illi approperabantque jam, cum mari non poſſent, terreſtri itinere, per aliena & devia loca, & ſaltus ſylvaſque & ſolitudines, etiam eas, quas nulli unquam homines peragraverant, ignari, nil habentes quo ſe ſuſtentarent, niſi quod ſollatim vehebant, de cætero, ubi pera deſiebat, egentes, interdum tamen opem & benignitatem experti Indorum ac cæteroquin barbaricorum mortalium, qui ita tunc eos adjuvabant, ut non ſolum monſtrarent vias, ſed etiam ea, quæ ad victum uſumque erant neceſſaria, imo quæ apud has gentes jucunda deliciarumque loco veniebant, præberent, adeo ut Quakeri jam ſuos Anglos ut hoſtes, hos vero feros homines veluti amicos ſuos numerarent. Ex his advenis prima erat *Maria Clerica*, quæ cum inſuper judices Boſtonienſes hortaretur, ne pergerent uſque adeo innocentes vexare & affligere, ſed potius à genere hoc toto injuriæ & inſectationis abſtinerent, non modo eos non revocabat reflectebatque, verum præterea ſic concitabat, ut nudatam cædi flagris & in carcerem trudi juberent. Tantum flagitium probrumque hæc res porro

ro æſtimabatur. Et erant flagella hæc è loro aut nervis, deſinentia in funiculos tres, exeuntes in totidem nodos, alligato baculo, adeo longo, ut quoties hoc verbere eſſet uſus, lictor, ſi bene ferire vellet, opus haberet ambabus manibus agere & concutere, unde ſæpe accidit, ut homines verberatu ſemivivi relinquerentur. Hanc mulierem ſecuti *Chriſtophorus Holderus* & *Johannes Copelandus*, poſtquam ſemel erant expulſi. His autem *Salemi*, quod oppidulum maritimum, haut magno ſpatio diſtans à Boſtonio, ingreſſis templum publicum, Holderus, poſt peracta ſacra, cœpit fari ad populum. Hi illum continuo crinibus trahunt reſupinantque, & una cum Copelando, interim dum alteri manica & ſudario os opplent, extrahunt templo, & abducunt ex loco Boſtonium, ubi utrique tam ſævis excipiuntur verberibus, ut ex iis qui venerant ſpectatum, quædam mulier toto corpore atque animo perhorreſcens in exanimationem incideret, ac dein in carcerem abjecti, primum tres dies ac noctes humi jacere, ſine eſu, ſine potu ullo, poſteaque ter trinas ſeptimanas, media hieme, tranſigere coguntur. Ex his Holderus anno ſequenti reverſus Boſtonium, ſolum eam ob cauſam, ut quæreret navim, qua mare tranſmitteret ac recederet in veterem Angliam, denuo abreptus in exgaſtulum. Huic ſevero illud accedebat. Habitabant Salemi *Laurentius & Caſſandra Southikii*, conjuges cariſſimi atque aman-

amantiſſimi, habiti fideliſſima atque honeſtiſſima membra eccleſiæ publicæ. Hi memoratos viros, ubi Salemum adveniebant, ſuo exceperant hoſpitio, & oſtentaverat hoſpita illa, ſibi haut ingratos eſſe libellos, quos viri illi ſecum attulerant, atque mulieri in referenda gratia obtulerant Ob hanc culpam etiam hi duo, maritus & uxor, ipſi abducti Boſtonium in cuſtodiam, & mulieri facta multa, multo quam centum florenorum major. Adhæc quoniam nonnulli, addicti publicæ eccleſiæ, ſe ab tanta ſævitia non modo adverſus Quakeros, ſed etiam erga eos, qui modo aliqua particula cum iis faciebant, perquam ægre tenebant, & idcirco ex eadem ſe eccleſia ſubducebant, hinc pœna pecuniaria & carceraria in eos conſtituta. Ex hoc genere hominum primi iidem parentes *Southikii* cum filio *Joſia*, qui eo ipſo quod erant primi, rurſus deportati Boſtonium, multatique pecunia, & carcere, & verberibus, tametſi parentes erant grandiores natu, & debili corpore, & parum firma & integra valetudine, & quanquam frigidiſſima hyeme, porro ergaſtulo incluſi ſervatique. Cæterum erant his iiſdem parentibus & alii duo liberi, filius *Daniel*, & filia *Prardeda*, qui tantum abeſt, ut ſuorum parentum ſupplicio abſterrerentur, ut eorum exemplo magis incitarentur, quo publicam eccleſiam deſererent, ac ſe Quakerorum ſocietati aggregarent. Quapropter & ipſi æqualem cum parentibus pœnam luerunt,

dicta-

dictaque illis eadem multa pecuniaria, ſin eam ſummam dependerent, ſua opera inter vinctos aut ſervitia compenſarent. Cum vero neque ſolvendo eſſent, neque durum illum & arduum laborem ſuſtinere aut vellent aut poſſent, factum decretum à ſenatu Salemenſi & Ipſvicenſi, & idem ratum habitum à ſupremo ſenatu Boſtonienſi, ut pueri venirent Anglis, negotiantibus in Virginia aut Barmudibus, datumque negotium hoc uni è tribunis ærarii Eduardo Ruttero. Et actum fuiſſet, ſi non ſtetiſſet per naviculatores, qui quod factum mango ille occipiebat, occupabant, & in puerorum luctu atque ejulatu, virorum acerbiſſimorum ferociam, commemoratione horum puerorum innocentiæ, mitigabant. Mirum facinus, quod ut in priſco populo Iſraelis minime licitum, niſi ſi qui ſe furti aſtrinxiſſent, aut non eſſent in numero Iſraelitarum, ego de illis religioſis hominibus, illas divinas leges in corrigendis delictis & exigendis pœnis ſequentibus, non commemorarem, niſi illi ſic commiſiſſent, ut tunc manifeſto eſſet compertum, eſſetque in ore omni populo. Etiam quidam *Samuel Sattocus*, qui Salemi conventus Quakerorum adiverat, & in templo publico, in turba, qua C. Holdero ſudarium farſerant in fauces ne loqueretur, idem extraxerat, ne ſuffocaretur, Boſtonii conjectus in carcerem. Alius, *Guiljelmus Sattocus*, quod publicos cœtus ſubterfugeret, flagris admonitus cæſuſque, in eundem

dem compactus carcerem. Jam illa lex nuper rogata de Quakeris, ampliata hoc pacto. Si quis ex incolis cognoſceret eſſe alicubi Quakerum, is iis qui præerant portubus indicaret, atque hi præfecti, ſi Quakerus non continuo regione demigraret, hunc loris caſtigatum abigerent. Si vero quiſpiam efficeret, ut Quakerus aliquis in has terras accederet, is ærario publico damnas eſſet dare Sterlingiorum pondo centum, & tam diu detineri ac laborare in carcere, quoad ſummam aut ipſe, aut ab alio ſolveret. Qui vero Quakerum in ſuas reciperet ædeis, ac non confeſtim hoſpitium ſic renuntiaret, ut ille eodem momento domo exiret, viginti quinque, & ſi ultra retineret, pro quaque hora quadragenos ſolidos Anglicanos perſolveret; ſin ſecus, itidem tam diu detineretur, donec rationem totam putaſſet. Quod ſi quis Quakerus peregre adveniret, aut quiſquam heic loci ad eorum ſe religionem adjungeret, his, ſi mares eſſent, primum una auris præcideretur, deinde altera, ſi non ſe deſituros rem illam promitterent, & præterea utroque tempore in carcere includerentur, quouſque ſuis ſumptibus in alias terras relegarentur; ſi fœminæ eſſent, primo & ſecundo ſevere flagellis verberarentur, ac porro eandem virorum vicem ſubirent. Si vero vel mas vel fœmina ita peccaret tertio, ei candente ferro lingua pertunderetur, & is parem ſortem ferret in ergaſtulo. Hac lege conſtituta *Richardus Don-*

doneus ex Anglia vetere huc tranſmeat & Dedhamum. qui deductus Boſtonium, ideo quod erat ignarus illius latæ legis, ſolum tergo atque exilio rem ſolvit, addita comminatione, ſi rediret, etiam de auribus daturum ſupplicium. Gravius animadverſum in mulieres haſce, *Saram Gibbenſiam*, & *Dorotheam Waugiam*, ut quibus à tempore captivitatis totum triduum omnis cibus denegatus, tum languidis & effractis fame multa impacta verbera, ac poſt illa aliud trium dierum ſpatium itidem omnis victus detractus. *Dorothea Gardeneta* poſt durum verberatum, nixa genubus, Deum orabat, ut ſævis his tortoribus tantum malum remitteret ac condonaret. Longum foret plura, nedum omnia exempla ex hoc genere referre. Quare ut alia propter inſtitutam brevitatem prætercam, adhuc in uno & altero exemplo conſiſtam. Veniebant Salemum, atque inde Novoburum, *Guiljelmus Brandus*, & *Guilj. Ledra.* Qui à populo efflagitati, ut cum ſuæ eccleſiæ paſtore venirent in colloquium, poſtquam à præpoſito præfecturis, quas illi appellant ſtrategias, veniam impetraſſent, atque is iis ſuam fidem ac patrocinium addixiſſet, eo non minus ex ſua, quam è populi voluntate, deſcendebant. Verum decedentibus illis, idem ſtrategus, homo verſutus & malitioſus & perfidus, ſed qui ſe quod erat ſimplicis ac boni viri feciſſe arbitrabatur, quoniam de tempore colloquii ſpoſpondiſſet, & in eo neque ſuam fidem, neque

neque illorum ſpem fefelliſſet, mittit, qui eos in itinere capiunt, & vinctos ducunt Boſtonium. Hic conjecti in cuſtodiam biduum ſine victu agunt. Tum detracta veſte cæduntur flagellls, & his cooperti verberibus, multiſque increpitis minis, detruduntur in ergaſtulum, traduntur que illius præfecto, ut eos cogat durum opus facere. Quod cum illi recuſant, ut immerentes, ergaſtularius, nomine, revera ſervus ſuæ cupiditatis & improbitatis, cum opera hæc ergaſtulorum multo ex maxima parte ipſi eſſent quæſtui ac lucro, quo ex horum hominum opere plus nummorum corrogaret ac corroderet, omni vi in id incumbit, ut quod fieri ab ipſis volebat, hoc facerent. Adhuc miſeri homines nondum cibum guſtaverant. Erat è duobus illis viris Brendus, uti ætate, ita animi conſtantia præcellens. Hunc carnifex, ſpecie mandatum publicum, re ſuam privatam inimicitiam atque iram exequens, ſine ullo ſenſu humanitatis, rapit, pedeſque ferro ad cervices colligat obſeratque, atque ita ferratum relinquit in tantâ miſeria horas ſexdecim. Tum reſeratum hortatur, ut ſe ad opus accingat, ſin, de ſuo tergo deſperet. Negat ille, additque, neque poſſe, etiamſi non nollet. Sic idem carnifex videns, eum neque ſupplicii formidine, neque oſtentatione ſpei ulla, moveri, ſune nautico, ſive reſte contorta ex cannabo, excipit hominem tanta vi, ut funis diſſolveretur. Ita cum hic funis nihil attraherer,

Digitized by Google

ille alium aliunde petit, & redintegratis ſimul viribus, denuo paulo minus quam centum ictus validiſſimos infligit, uſque eo, ut homini miſerrimo tuber ac fungus eſſet totum corpus, & magna pars tanquam caro cocta in furno, præ tumore ac fuligine. Et jam quarta lux erat, qua ille vir necdum quicquam alimenti deguſtaverat. His peractis, idem homo ille ferrei animi & corporis, Brendum, adeo depeſſum ac conſciſſum, adeoque, etiam infenſo hoſti & irato ob juſtas cauſas, miſerabilem, in ſolo anguſtoque loco includit, ubi neque lectus, neque ſubſtramen ullum, cui incubare, neque quicquam, quod ita laceratum ac ſemianimem levare poſſet. Quæ ubi emanavere in vulgus, tam pronum in miſericordiam, quam ſævitia nimium, imo vero ſolitum, quos admodum ſontes exiſtimat, maxime flagitare ad ſupplicium, ubi eò ventum, mox duci pœnitentia, atque iiſdem indoleſcere, & ſi pœna pauxillum ſit major, efferveſcere, ac contra inſurgere, illi ſic commoveri, & hic illic manipulatim currere, commovere eas turbas, ut magiſtratus, quo ſeditionem ac tumultum prævenirent, primo primum mitterent chirurgum, ſi quam opem poſſet adferre, deinde ut is intelligit atquė indicat, eſſe malum inſanabile ac mortiferum (tametſi vir poſtmodum à plaga convaluit) paſſim per urbem tabellas curarent affigi, in quibus tabellis ſcriptum erat, ſibi facinus illud ut quam maxime diſplicere, & ſe de

de actis commentarienſis cogituros eſſe. Præter quod quidam è miniſtris verbi divini, ſcientia & auctoritate & exiſtimatione facile princeps, cujus nomen prætermitto, populum coercebat ſedabatque, ſic apud eundem diſſerens, *Brendum conatum fuiſſe leges Euangelicas hujus reip. ita ferire, ut liverent, itaque juſtum eſſe, ut illi omnes liveant artus ictibus; quod ſi in eo eſſet peccatum, ſe ejus peccati culpam transferre in ſe.* Dehinc factum Senatus conſultum, ut ſi qui è Quakeris laborem ſubterfugerent, præfectus carceri eos non ſupra quam bis ſingulis hebdomadibus cæderet, prima vice ad decem verberibus, altera ad quindecim, ſequente quinquies amplius, atque ita identidem ictus adderet quinos. Proximo anno *Chriſtophorus Holderus* & *Johannes Copelandus*, de quibus ſupra mentionem feci, & *Johannes Rouſius*, cujus pater tribunus proximus inſulæ Barmudum, cum antea ſemel acceſſerant, atque pulſi erant in exilium, redibant, illi Dedhamum, hic Boſtonium. His tribus die ſexto & vigeſimo menſis Autumni ſecundi, per carnificem, non palam, populo inſpectante, at clam, præſente duntaxat quæſtionis judice, auris dextra amputata. Qua ablata homines lenes, & ſua illa auricula molliores, ita ſe continebant, ut ſolum in hæc verba, idque inſimul, erumperent, unius voce prævalente: *Hoc qui imprudentia curaverunt feceruntque, optamus ex animo, ut Deus his condonet. Qui vero ex malitia, eſto*

ſanguis noſter in eorum capita. Et experientur vero ipſi in die illo, in quo reddenda erit omnibus rerum ſuarum ratio, quam unaquaque guttula noſtri ſanguinis inſtar molaris lapidis horum unumquemque premet. Poſthæc hiſce ita deartuatis ac deformatis viris, perinde ac aliis, detentis eodem loco, idcirco quod ita laborem fugiebant, ut pœnæ loco ſubire nollent, tanquam ſi homines ſcelerati ac fures eſſent, alia ſuper aliam moleſtia faceſſita, iidemque ſæpius ad inſignes ſufferendas plagas coacti fuerunt. Unus inventus homo, cujus nomen neſcio qua reticentia atque oblivione illorum hominum latet in occulto, ſaltem nunquam proditum eſt, qui quod Quakerus eſſet, notatus in manu ſtigmate, & quidem litera H. qua litera deſignabatur ut hæreticus. Et talia quidem longe plurima prodi poſſent exempla acerbitatis illius gentis. Querebantur autem homines illi, his modis ab hiſce hominibus ſæviri in ſe, ſolum ob eam cauſam, quod vel injuſſu magiſtratus huc ingrederentur, vel ingreſſi ſuos libellos traderent hominibus, atque hi acceptos legerent, vel cum hominibus loquerentur de ſua religione, vel ſuos inſtituerenr cœtus, vel adirent cœtus publicos, in iiſque, finito cultu aliorum, verba facerent, vel aliquid hujuſmodi agerent. Neque enim ullum tumultum, aut vim ullam unquam exercuiſſe ſe, homines ſimplices & quietos, & magis ad perpetienda omnia, quam quicquam turbulente, aut violenter, agendum ido-

idoneos. Et conſentire ac concurrere ad hanc veluti totius regionis contagionem ac peſtem arcendam depellendamque, omnis ordinis viros omnes, politicos, eccleſiaſticos, cives optimos, & multitudinem. Et ſane erat tunc, ut etiam nunc eſt, hiſce Browniſtis tributum, ut in conſervanda ſua cum regione, tum religione, omnes mutuo animorum conſenſu & conſilio & auxilio atque opera conſpirarent. Itaque & magiſtratus ſæpe conſilium capiebant à miniſtris eccleſiarum, & miniſtri hi fere ſemper in ſuis conventibus conſiliarios aſciſcebant magiſtratus, unde & plerumque unus amborum erat ſenatus. Hinc quicquid placebat magiſtratui, id eccleſiaſtici comprobabant, & ſi quid ſtatuebant eccleſiaſtici, id ſua auctoritate confirmabant magiſtratus. Quod autem ab his duobus proficiſcebatur ordinibus, id gratum erat & ratum omni populo. Atqui non tamen cuncti ordinis ſenatorii, neque civitatum primi omnes, neque verbi præcones ad unum omnes, parem in hac Quakerorum vexatione & infeſtatione ſenſum habebant, erantque, qui cæteris ſe in his rebus, non ſolum mente, at etiam voce, quantum poterant, opponebant. Quo in numero Quakeri inter ſenatores ponunt, ac mirum in modum laudant *Johannem Winthropium* gubernatorem Coneticutenſem ſplendidum, itemque viros illos, quorum mox memorabó nomina; & inter cives præſtantiores, *Guiljelmum Coddingtonum*, id tempus mercatorem

Boſtonienſem primarium ſolertia & pecunia, quos ita ſe, & domi, & quocunque ſe conferrent, geſſiſſe hi homines prædicant, tanquam qui de ſuis negotiis omnibus rationem aliquando eſſent reddituri; & inter paſtores populi *Johannem Cottonum*, miniſtrum Boſtonienſem, celeberrimum & cognitione & adminiſtratione ſui muneris, & pietate, erga Deum & homines. quo de viro illi iidem viri ſolent affirmare, eum incorruptum intactumque ab hujuſmodi crudelitate fuiſſe. Jam deerat adhuc huic populò Anglicano ea in reprimendis Quakeris ſeveritas, ut quos aliter non poſſent, mortis ſupplicio cohiberent ac de medio tollerent. Erat autem ut in veteri Anglia, antiqua, ita in nova hac recepta lex, ut ne reus, adductus in judicium, capite damnaretur, niſi re cognita à duodenis judicibus extraordinariis, quos vocant juratos, ideo quod ſunt juramento aſtricti, ne ante quam omnia diligenter perquiſiverunt, & accurate conſideraverunt, quicquam ſtatuant, quemadmodum alio loco demonſtratum eſt. Cum vero lex hæc multis modis obſtabat remoramque faciebat ſupremæ pœnæ mortis Quakeris inferendæ, itum in conſilium, actumque in ſenatu de lege hac abroganda. Quod dum fit, è ſenatoribus duodecim legem ſervandam, tredecim reſcindendam ſentiebant, vicitque unius ſententia. Quo cognito unus è patribus conſcriptis, *Wozelius*, habitus vir quietiſſimus, & juſtus & æquus, qui præpeditus valetudine corpo-

corporis abſuerat, cum ſibi valde ægre eſſet, tale decretum factum eſſe, & ita eſſe factum, ut ſi ipſe adfuiſſet, fuiſſet infectum, fertur dixiſſe, ſe, ſi ſciviſſet, quòd ſenatus ea de re deliberaviſſet ac conſultaviſſet, quanta adverſa valetudine arreptus eſſet, eo manibus pedibuſque reptaturum fuiſſe, ut tam iniquo ſtatuto impedimentum objeciſſet. Ita hoc concilio res in poteſtatem ac manum judicum ordinariorum, ſive ſenatus ſupremi provintiæ devênit. Cæterum tantus hoc tempore ardor in perſequendis Quakeris pleriſque civitatum & provintiæ rectoribus inerat, ut ſi aliquis non pariter in eos homines inveheretur, & aliorum in eos impetus retardaret ac ſiſteret, inprimiſque ſi quis defenderet atque excuſaret, is ipſe haberetur Quakerus, ac minimum ſuo loco ac munere moveretur, ſi non opem validam paratam haberet. Extat adhuc epiſtola *Jacobi Cudwortii*, unius illorum, qui tum in urbem Boſtonium gerebant magiſtratum, ſed ob hanc rem depoſiti iſto honore, ſcripta eo tempore, miſſaque Boſtonio in Angliam veterem ad amicum, cujus epiſtolæ, ſcriptæ Anglice, ſolum hæc pauca verba adferam, idque ita, ut tantum convertam uti interpres. *Eſt heic rerum ſtatus triſtis. Spiritus Antichriſtianus totus occupatus eſt perſecutioni. Qui renuit cædere & affligere eos homines, qui in religione à nobis diſſentiunt, ſuo removetur loco, neque datur ei ullum in regimine munus obire. Sic me, ſic Hatherlæum, amoverunt. Et*

 me

me quidem propterea, quod Quakeros quoſdam accepi meam domum, id quod feci ob eam cauſam, ut ex ipſis ſciſcerem, quæ eſſent fundamenta illorum religionis, id quod rectius arbitrabar, quam cum cœco mundo eos damnare, quorum ignoramus principia. Et quanquam coram teſtatus ſum, me non facere cum Quakeris, neque poſſe convenire de multis, ſed neque velle me eos inſectari, tamen jam duos hoſce annos adeo ſuos à me animos averterunt, ut tandem de gradu inquam dejecerint. Hujus rerum curſus quis exitus futurus ſit, dies docebit. Vale. Etenim hoc genere judiciorum ſublato lata lex, ut ſi aliqui Quakeri eſſent pertinaciores, neque poſſent aliis modis coerceri, ſuæ contumaciæ pœnam ſuſpendio ac morte luerent. Ita mox reus factus capitis *Samuel Gortonus.* Verum id judicium vicit unius ſuffragium abſolutorium. Quam deciſionem unus è miniſtris eccleſiæ, copioſe loquendi ſcientia, & canina eloquentia vir, cujus iterum nomini tempero, adeo graviter ferebat, ut publice è ſuggeſtu erumperet in hæc verba, quæ à qua perſona, cui viro, qua occaſione, quondam pronuntiata fuerunt, notum doctis; *quoniam tu hominem, à me anathemati devotum, è tua dimiſiſti manu, idcirco anima tua pro anima ejus futura eſt.* Poſt hæc pœna hæc apud judices hos petita à duobus Quakeris, *Guiljelmo Robinſono*, mercatore Londinenſi, & *Marmaduco Stephenſono*, agricola Eboracenſi, è veteri Anglia. Horum captivitatem, & habitum de iis judicium, & ſumptum

ptum ſupplicium ſic deſcribunt Quakeri, ut res claras, tota regione & notas tunc, & adhucdum celebres. Veniebant ambo dedita opera ac conſulto huc terrarum, annuntiatum doctrinam, ad quam pridem in ſua patria animum adjecerant. Poſtquam vero aliquod tempus, Robinſonus in inſula Rhodo, Stephenſonus in Barmudum inſula ſubſtiterant, ſe anno quinquageſimo nono conferebant in novam Angliam, advertebantque Boſtonium. Quo ut adveniebant, illico, ut qui nullo indice, teſte nullo, ſe ipſi proderent, conjiciuntur in carcerem ac tenebras. Illic reperiunt *Mariam Diarem*, quæ relegata, ut ſupra dixi, Boſtonio, eò, ſimulque ad ſuos mores redierat, & *Nicolaum Davidem*. Hi omnes adducti ad judices. qui cum ſtatim, prima actione, omnibus ac ſingulis tumultuationem ac rebellionem judicarent, Robinſonus ſe, ſuoſque in religione ac miſeria ſodales, de iſthac ſuſpicione excuſat. At illi extemplo ſudarium in os ingeſtum, & lingua occluſa, & cum ſic tamen conabatur loqui, hi qui adſtabant furenter iraſci, & ipſi veſtes detrahere, & lictor, ſimiliter ira ardens, virgas expedire, iiſque, ut gnarus horum cruciamentorum, probe in eum animadvertere. Dein cognita cauſa, juſſi omnes exules extorreſque agere. Hi homines aſſuetudine malorum ac patientia jam obduruerant, ac callum ſuo labori ac dolori obduxerant, & potius quam fidem ſuam, ſuam vitam perdere inſti-

inſtituerant. Itaque Maria Dyar, & David ſe quidem è regione excedere debere ſtatuebant, at brevi intervallo poſt Maria, novo impulſu revocata, revertitur, reditque Boſtonium, ac poſtquam uno die reſtiterat, accedit ad carcerem, allocutum ſuos detentos fratres ſororeſque, atque eodem tempore corripitur, inque eundem locum compingitur, & ut una colloqui & adeſſe poſſet, poteſtatem non ſolum, ſed & ſatietatem accipit, ſiquidem omnibus in rebus conſuetudo ac diuturnitas eſt ſatietatis mater, quæ hic erant. Contra Robinſonus, & Stephenſonus ſe quidem Boſtonio, at non regione tota exire oportere ducebant, ideoque non magno poſt tempore Salemum quæ circumjacent loca petunt, atque in illis ſuam doctrinam annuntiant. Sic iis idem fit quod aliis. Illic, ubi hi tres homines aliquamdiu hiſce parietibus incluſi conſederant, judices inter ſe quid agerent deliberare inceperunt. Atque ubi vident homines præfractos nullam ad partem continentiæ ac metus poſſe reduci, neque eos quicquam penſi habere, quibus modis aſſequantur, dummodo id quod cupiebant obtinerent, homines illos morte multare decernunt. Quod quum illi non obſcure prævidebant futurum, Robinſonus & Stephenſonus pridie quam id decretum fieret, quiſque epiſtolam exarant ad ſenatum Boſtonienſem, cujus utriuſque epiſtolæ argumentum fere idem erat, continens cauſas utriuſque adventus in hanc oram ac partem terrarum.

rarum. Robinſonus ſcribebat, *ſe non ſuo, at ſui Domini ac Dei, judicio ac voluntate huc veniſſe, & profectum quidem fuiſſe, poſtquam ſibi, conſiſtenti in inſula Rhodo, ac quadam media die iter aliquo inſtituenti, mandatum eſſet divinitus, iret Boſtonium atque illic vitam deponeret, atque id haberet pro ſervitio, quod Deus illi in illo loco præſtituerat, ita fore, ut poſthac ejus anima poſt tot errationes ac vanitates, æternum ſtabili ſede ac domicilio requieſcat.* Similiter Stephenſonus ſcribebat, *ſibi, dum adhuc eſſet in patria Anglia, atque in ſuo fundo quodam die arvum aratro proſcinderet, pectus totum inflammatum fuiſſe amore divino, & factum ad ſe tale verbum Dei: deſtinavi te, arator cum ſis, ſies orator ac propheta gentium. & eodem momento ſibi inditum, ut, quum & maritus eſſet, & pater aliquot liberûm, hanc dilectam uxorem, ſociam ac conſortem rerum ſuarum omnium, & velut ſe alterum, & hanc caram ſobolem, illa vincula ac coagula illius amicitiæ ſummæ atque intimæ, relinqueret, neque ullo ſenſu jacturæ tot familiarium rerum tangeretur, & modo abiret in inſulam Barmudum, neque dubitaret, quin Deus ſuis abunde proſpiceret. Atque ita excurriſſe ſe in illam inſulam, dein Rhodum petiiſſe, & hinc Boſtonium. Et ſe jam nunc paratum, propter ſuam religionem ac Dei teſtimonium ex hac vita decedere.* Dies damnatorius erat vigeſimus menſis Octobris. Ubi ventum in prætorium, atque illi tres, habiti ſontes, eodem deducti fuerunt, continuo tribus, ut rei capitalis reis, ſuppli-

ſupplicium, nulla ulteriori præcedente quæſtione, ſine patrono & advocato, indicitur mortis, & quidem ſuſpendii. Prompſerat Robinſonus, ante quam ſenatus præſes judicium ac decretum hoc promeret, illam quam modo memoravi epiſtolam, exhibueratque legendam præſidi, verum cum is factum apertum eſſe contenderet, qua occaſione vero eſſet factum non laboraret, ille illam epiſtolam indignam lectu judicat. Quo viſo Stephenſonus ſuam epiſtolam retinebat, ac deinde poſt pronuntiatam ſententiam, eadem vocis atque animi magnitudine reſpondebat, *quo die vos qui judices haberi vultis, ſervos Dei occidetis, ſcitote, quod accedetis ad eum, qui vere appellatur judex, & quod occidet à vobis veſtræ viſitationis dies, incidetque veſtris capitibus exitium æternum.* Dictus dies executioni ſupplicii vigeſimus ſeptimus, tempore poſtmeridiano. Eo tempore juſſæ adeſſe & porro præſto eſſe duæ centuriæ militum. Locantur damnati in prima turma, & circum tympaniſtæ omnes, qui, ne verba illorum audirentur à turba, indeſinenter impulſabant Procedunt ſodales ordine uno, Maria in medio, complexa utrinque ſociorum manus, omnes vultu hilari, ore prompto ad loquendum, at inepto ob ſonitum tympanorum. Sequebantur amici mœſti mutique. Poſtquam acceſſerunt ad patibulum, ac ſe invicem diu ſic amplexati & oſculati ſunt, ut vix avellerentur, & interim omnia fauſta optabant, ac denique, ubi neceſſitas

tas

Digitized by Google

tas diſceſſus finem imponeret, alii alios inviti invitos dimittebant, atque æternum valere jubebant, primus aſcendit Robinſonus, incipitque ac deſinit in verba hæc. *Non eſt quod patimur, cives, ut mali ac malefici, quos ante ſua agitavit, nunc perturbat conſcientia, aſt tanquam ii, qui excitati à Deo damus teſtimonium veritati. Sed forte hoc parum ad hoc tempus, & nil ad aures veſtras. Itaque ne quod factum à nobis, id licitum fuiſſe, & oportuiſſe, & neceſſe fuiſſe contendamus, hæc quidem veſtra dies eſt, illa dies, qua Deus vos viſitavit, id vobis relinquendo, ut etiamdum perniciem à veſtris animabus arceatis, ſin ita pergatis, & viam hanc, ad averruncandam Dei iram, & ad veſtram obtinendam ſalutem, obſepiatis, & obfirmetur veſtra contumacia atque arrogantia, hæc dies illa, qua Deus exſurrexit, & potenti manu vindictam capiet ab omnibus ſuis inimicis, & vos una voce omnes graviter gemetis. Ita enim vos jam aperuiſtis tempore hoc, qui ſitis, cum tantum in nos odium patefaciatis. Quamobrem dum ſplendet lux Chriſti, vobis ſumus monitores auctoreſque, ut ad lucem hanc attendatis. Cæterum ego quidem in Chriſto vixi, & nunc morior ob Chriſtum, qui denuo mihi vita & omnia.* Tum ſequebatur Stephenſonus, hæc pauca verba proloquens: *notum vobis eſto, non hæc perpeti nos ob mali quippiam, at propter conſcientiam noſtrorum officiorum recteque factorum. Atque ut vos veſtræ conſcientiæ porro agitabunt perterrebuntque aſſiduis furiis, ita nos hodie ſoluti omni negotio, & cura*

&

& ærumna, requieſcemus, & pro hac vita occidente, illam inocciduam & perfectam acquiremus apud Deum. In quibus verbis finivit. His duobus viris interemptis, illorum cadavera nuda projecta conditaque in foveam, juxta locum, ubi vitam finiverant. Jam & Maria ſcalas conſcendebat, & ſtabat illa jam deligatis manibus, colligatiſque tunicis, & oculis obcœcatis, eundem vitæ exitum exſpectans, & jam animo mortem adiens. Verum illi judices apud ſe veniam dederant, exorati à Mariæ filio. Itaque ea res tantum ad minas ac terriculum ſpectabat, & illa dimiſſa eſt, diu animo ſuſpenſa, ac ſuſpiciens, quid eſſet, ac deinde cum ſuſpirio erumpens in hæc verba, antequam deſcenderet, *in ſe nullam moram eſſe, quin cum ſuis fratribus mortem obiret, & hunc præclarum fructum laborum, & periculorum malorumque præmium, & conſtantiæ ac fortitudinis inſignia auferret, ut ipſa quoque pro religione ſua mortem oppeteret hanc, niſi ſi rectores illam pravam legem reſcinderent.* Tunc detracta è ſcalis primum loco, unde venerat incluſa eſt, ac biduo poſt ex urbe deducta. Enimvero ubi hæc res perfecta, difficile dictu quantopere res illa animos Quakerorum irritarit, eorumque concitarit linguas, & illic loci, & alibi terrarum. Unde auditæ ubique eorum lamentationes lugubres, & exprobrationes: patere jam horum hominum mentes atque conſilia, neque amplius locum eſſe dubitandi, qui ſint illi puri integrique vitæ, qui ſic

ſic omni tempore clamaverunt, non ſine religione vitam, neque ſine probitate religionem, & neutram ſine conſcientiæ libertate eſſe poſſe; quique adeo in ſua patria Anglia iſti ſævæ ac violentæ tyrannidi ſuorum reclamaverunt, atque ob eam factam ſibi injuriam, ut rem intolerandam effugerent, ſuam illam patriam deſeruerant, & in hanc ultimam terræ plagam, cinctam undique gentibus barbarorum, conceſſerant. Nempe conſtare jam hoc, dum ita hoc tempore ſe gerant adverſus ſuos populares, & quidem eos, qui ſimili in cauſa in ſimilibus ærumnis, maxime ad eos, ut ſibi perfugium ac ſolatium eſſet, ſpecie ſupplicium acceſſerant. Id vero manifeſtum eſſe ex eo, quod jam nunc cum hiſce innocentibus hominibus adeo ferociter agant, ut & bona, & facultatem omnem, & famam, & oſſa ac ſanguinem, & vitam ipſam rapiant. Ad quas querelas accedebant & aliorum, qui non erant de gente Quakerorum, quibus novum illud, & ante tempus hoc inuſitatum atque inauditum, inter Proteſtantes judicium perquam grave & inviſum erat, quibuſque ſic videbatur, non ita ſæviendum fuiſſe illis juſtis & bonis viris in eos homines, quos ipſos exiſtimabant ſine culpa, certe ſine magno maleficio, fuiſſe, & ſi fuiſſent, & etiamſi inſigni ſupplicio digni fuiſſent hi, nihilominus illos indignos fuiſſe, qui facerent. Quibus rebus permotus magiſtratus Boſtonienſis, cum neque factum, ne-

que cauſam, negare poſſent, tamen quo ſuæ religionis ac nominis ſui famæ conſulerent aut mederentur, & ſi quid ejuſdem generis etiam poſtmodum contingeret, id hoc facerent excuſatius, & occuparent, ſi qui talia porro opponerent, per ſuum ſcribam Eduardum Rauſonium hunc ipſum libellum apologeticum, ſed ſuo ſermone Anglicano, curant ſcribi & vulgari. *Quanquam æquitas factorum noſtrorum de Guiljelmo Robinſono, Marmaduko Stephenſono, & Maria Dyare, fulta auctoritate curiæ, & legibus juxta patriis ac divinis, nobis id magis perſuadeat, futurum, ut laudem hinc conſequamur ab omnibus ſapientibus ac piis hominibus, quam id, neceſſe eſſe ut ea de re aliquam noſtri defenſionem inſtituamus, tamen quia homines parvi ingenii è commotione ac commiſeratione (quæ virtus quidem ut Chriſtiana, ita laudanda, verum quæ ſe facile vertit, ac prona eſt ad accipiendum falſas ac pernicioſas ſpecies defectu melioris intelligentiæ) quampiam ſatisfactionem deſiderare poſſent, & homines ejuſmodi, qui nituntur perverſis rerum agendarum principiis, poſſent nos inſimulare & accipere tanquam cruentos mortales, hinc quo unis ſatisfaciamus, atque alteris occludamus linguas, viſum nobis hanc declarationem edere. Triennium eſt propemodum ex quo homines aliqui, qui eſſe ſe Quakeros profitebantur, poſteaquam quæ ipſorum exitiales eſſent ſententiæ & opera, demum per Anglos, miſſis per Barbados literis, certiores eramus facti, Boſtonium advenirent. Eos nos tantum commiſimus cuſtodiæ, quoad hinc aman-*

amandaremus, neque vero ullum in eos ſupplicium conſtituimus. Etſi enim illorum diſciplina & mores turbulenti, & erga magiſtratus contumelioſi, majorem pœnam exegiſſent, idque cum bona venia, tamen curia hac maluit eam adhibere prudentiam, ſolum ſuæ pacis receptique inter nos regiminis ſecuritati ut præcaveret, contra eorum conatus, quorum ſcopus hic erat, illa ſubruere & evertere, quem ſcopum fuiſſe illorum ſatis certi ſumus, & per ea quæ ipſimet ſumus experti, & per ſpecimina edita ab illorum majoribus Monaſterienſibus. Itaque lex lata & promulgata, ne nautæ ulli Quakerum ullum in hanc ditionem adveherent, neve Quakeri accederent, ſin qui contra facerent, tam diu concluderentur in ergaſtulo, donec hinc moverentur ablegarenturque. Cum vero iidem illi homines nihilominus per varia diſpendia viarum ac poſticula redirent, neque ulla pœna tanta eſſet, quæ illorum impudenti ac temerariæ huc reditioni repagulum poneret, adeo pœna à nobis aucta, ut ſic tamen revertentibus aures præſcinderentur. Quod ipſum cum non valeret illorum veſano & infatigabili furori, coacti ſumus omnino noſtræ tranquillitati proſpicere. Quamobrem omnibus bene conſideratis, quoniam compertum erat, illorum pertinaciam non aliter poſſe coerceri, condita lex, juxta legem poſitam in Anglia contra Jeſuitas, quæ ejuſmodi homines morte afficerentur. Quo judicio facto, atque illis hominibus ſic tamen redeuntibus, aut poſt tempus elapſum perſiſtentibus modo faſtidioſo in hac ditione, illi conjecti in carcerem, & dum

Digitized by Google

ipſi eſſe ſe iſtos fugatos homines confiterentur, juſſu curiæ, morte multati, ſecundum legis illius ſententiam, excepta Maria Diare, cui propter interceſſionem filii, per miſericordiamque ac clementiam curiæ, data libertas intra biduum diſcedendi, quod illa facturam ſe recipiebat. Ita contemplatio noſtri gradatim inſtituti progreſſus ad eam cauſam omnes validos clamores & accuſationes de noſtra crudelitate redarguet, ſiquidem noſtrûm ipſorum juſta & neceſſaria tutela nobis præſcribebat, cum nulla alia ope quicquam proficere poſſemus, ut hanc legum aciem iis hominibus opponeremus, contra quam cum iidem homines tanta cum pertinacia & violentia adverſarentur, illi ipſi ſe ſua voluntate interemerunt. Quod ut ne feciſſent, utque ſuprema lex, ſalus populi, ab omni detrimento integra fuiſſet conſervata, noſtrum uſque votum fuit. Sicuti cum noſtra anteoccupatio, tum data à nobis venia Mariæ Diari, luculenter teſtantur, nos vitam quam mortem horum hominum præoptaviſſe. Cæterum quanquam tam gravis pœna legibus erat conſtituta atque edita in Quakeros, eos nimirum qui ſemel ejecti redirent, tamen non deerant, non ſolum qui necdum ingreſſi veniebant, ſed etiam qui expulſi eliminatique revertebantur, parati, quicquid eveniret, omne malum ac tormentum, ipſamque mortem crudeliſſimam ſubire. Hujus obſtinationis atque audaciæ exemplum cumprimis erat illa eadem *Maria Dyar*, quæ ut intellectum eſt, ſuperſtans ſcalis, collo inſerto in laqueum, proxima erat ut ſuffocaretur enecaretur-

returque. Etenim mulier hæc, poſtquam una vice expulſa reverſa erat, & tamen erat dimiſſa, eo pacto, ut ne rem repeteret neque ſic ageret iterum, nunc ſecundo repetit eundem locum, ea mente atque propoſito, ut vel liceret ſibi, ut & ſociis ſuis, ſemper tuto perſiſtere, abrogata lege de ejectione ac nece Quakerorum, aut ſi id conſequi non poſſet, ſua morte ſuam pro ſua religione conſtantiam ac confidentiam obſignaret, & ſimul illorum judicum improba facinora, & ſævitiam inſatiabilem, argueret palam, eoſque ipſos extremæ injuriæ in conſpectu hominum omnium convinceret. Itaque venit illa anno ſequenti, id eſt ſexageſimo, imperterrita Boſtonium ex inſula Rhodo. Dies erat trigeſimus primus menſis Maji. Atqui illa è veſtigio comprehenditur, duciturque die inſequente in domum prætoriam, ubi frequenti ſenatu præſes, poſtquam quid mulieri ante eſſet interminatus, dixerat, eodem tempore illi denuntiat, fore nunc die craſtino, ut certo ipſi mortem irroget, & ut ſic ipſi ex angore fauces occupentur, viaque præcludatur ſpiritui, ut certo certius nunquam rediret neque factum repeteret. Sic poſtero die exit ex urbe, comitata ante, ac pone, militibus, inter ſtrepitus tympanorum, ipſa animo magno, ac vultu hilari, pervenitque ad patibulum, unde non denuo redituram ſe ſciebat ſtatuebatque, atque in eo, poſtquam multa verba erat prolocuta, quæ & animi magnitudi-

Digitized by Google

nem, & ſpem certiſſimam repoſitam in cœlo indicabant, enecatur ac ſpiritum reddit. Scilicet hanc fœminæ laudem tribuunt Quakeri, qui norunt, vel qui ex iis qui noverant acceperunt, quod erat mulier non obſcuro genere & cognatione, & domo ſatis copioſa, ſtatura ac facie decora, ſciens multarum rerum, & mira ſuavitate ſermonis, apta ad magna negotia, prorſus ut nihil ei virile, præter ſexum ac nomen, deeſſet. Aliud exemplum hujus conſtantiæ fuit *Guiljelmus Ledra*. Et hic Boſtonio ejectus ſub pœna mortis, uti ante demonſtravi, nihilominus anno ſequenti primo & ſexageſimo eo redierat, paratus ad idem hoc, quod hi qui anteceſſerant experti erant, exſpectandum ac tolerandum, & ſuum pro ſua religione jugulum iis, qui peterent, præbendum. Ubi autem fama illius adventus percrebuit, atque eadem ad aures pervenit judicum, hi virum, ſic judicium omne ac pœnas omnes contemnentem, jubent comprehendi, & præcipitem in carcerem pertrudi. & hieme tota, eaque perfrigida, magna inopia atque algu contineri, idque alligatum ligno craſſo ac ponderoſo, adeo ut præ compedibus his vix loco ſe movere poſſet, ipſeque tanquam truncus eſſet hominis. Dein quidnam de eo faciendum eſſet conſideratum. Querebantur in judicio multa de ejus huc reditione, illo reſpondente identidem, ut cauſa ſui ejiciundi fuerat injuſta, ita ſibi regrediendi juſtam fuiſſe cauſam. Propoſitum

ſitum ante oculos periculum vitæ, propterea quod jam nullis minis, neque metu ullo potuerat reſtringi. Reſpondebat, ſi de capite ſuo laboraſſet, ſe nunquam reverſurum fuiſſe. Rogabatur alio tempore, utrum vellet proficiſci in Angliam. Ait ille, nil ſibi illic negotii eſſe. Tentabant alio tempore, poſſentne permovere, ut ſuis erroribus renuntiaret, ac rediret in concordiam cum eccleſia Anglicana. Tum ille multo vehementius, quod ſi ſuam confeſſionem pronuntiaret falſam, jam ipſum Deum abjudicaret rejiceretque, ſi cum iis faceret, atque ad eorum ſe aggregaret eccleſiam, faceret cum ſicariis ac homicidis. Sic rurſus mortem infamen interminantur. Atqui ille, ſi ob ſuam fidem ac religionem, immortaliter ſe gaviſurum, neque enim ſe metuere mori, at ſolum hoc, juſte damnari; quin nullum ſe qualecunque genus mortis, modo cauſa juſta abſit, extimeſcere, & vero ita ſibi eam ipſam, quam illi indicant, mortem quam maxime viam futuram ad vitam ac felicitatem æternam, ac lætitiam interminatam & immenſam. Ita res ea longo tempore non perorabatur. Atqui dum ſic hæſitant ac cunctantur, neque ad exitum queunt progredi, Quakeri alii, numero quinque, omnes ejecti, ea conditione, ut, ſi redirent, mortis pœnam luerent, nihilominus huc remeabant. Quorum unus *Wenlocus Chriſtiſonus*, quum, quid de Ledra ageretur in ſenatu, cognoſceret, recta petit ſenatum, ac

 ſe

ſe hanc ob rem in ſenatum dicit accedere, ut moneat eos, ne ultra ſanguinem immerentem fundant. Sed huic id præmii perſolvitur, ut ſine mora protrudatur in carcerem. Tantus impetus pleriſque horum virorum hoc tempore inceſſerat, ut nulla vi, nullis contumeliis frangerentur, & tum demum bene ſecum agi opinarentur, ubi liceret ſibi pro ſua religione mala quælibet ſubire, & mortem, etiam hanc ignominioſam, obire. Nempe hoc illud erat. Habet quæque ſecta ſuos martyres. Itaque & hi homines huc, veluti ad ſacrum certamen currebant, & quoque mortem hanc amplectebantur, ſicut ſuæ religionis indicium, & ſignum fidei, & notam ſocietatis, teſtemque communionis, & ſui nominis monumentum, & materiam perennis famæ, & ut finem hujus temporariæ quidem, verum ut initium æternæ vitæ. Atque ita ſenatus Boſtonienſis, poſt multas controverſias de Ledra habitas, tandem rei res, non verba ſequens, actionem perduellionis intendit, virumque è vivorum numero eximendum judicat ac declarat. Quod & factum die quarto decimo menſis Martii, quando ſublatus in altum è ligno infelici vitam impavide finivit, præfatus è loco illo ſuperiori coram nonnullis amicis qui adſtabant, verba hæc, *tibi Deus mi! meam juſtam animam commando*. Poſt hunc primus aditus & poſtulatio ſenatus erat de Wenloco, & videbatur is ſuam omnem in Wenlocum ſeveritatem exprompturus.

Digitized by Google

rus. Verum cum de Wenloco res minime videretur dubia quin caderet, ſecus quam cecidit, tamen cum de eo ageretur in judicio, Wenlocus diu tantopere diſputare, & judices ſic ſtudiis & conſiliis diſſentire, & rurſus Wenlocus adeo illud urgere, æquum eſſe, ut juxta leges Anglicanas illa res diſceptaretur, atque inſiſtere, eas leges duntaxat conſtitutas contra Jeſuitas, non adverſus Quakeros, quibus adeo dent impunitatem, etiamſi hominum opinione quid errent, ad poſtremum judices ita ipſi ſe impedire & implicari, ut ad veterem judiciorum formam reditus fieret, totaque cauſa committeretur judicibus juratis duodecim. Sed & hi demum poſt multum comperendinatum Wenlocum dignum judicant morte. Fit hoc die decima tertia æſtivi menſis primi. At vero etiam hujus judicii executio aliquot dies differtur. Jam & *Johannes Curreyer*, incola Boſtonienſis, quod caſtigatus flagellis, ab ea urbe per tria oppida, per eadem loca Boſtonium ad ſuam uxorem & liberos rediiſſet, denuo in ſingulis locis cæſus loris, carcere in ſui illa incolatus urbe aſſervabatur, ſua & hominum opinione id porro ſupplicium daturus, ut in humero ferro candenti ureretur, notareturque litera R. quæ deſignaret eſſe eum, quem leges Anglorum returner, Romanorum refugam appellant. Præterea & plures alii, octo nimirum & viginti, captivi erant, unus, condemnatus ad carcerem, quem inhabitabat, ad totam

 vitam,

vitam, cæteri omnes incerti, quid de ſe fieret, ſiquidem & horum res quotidie differebantur ac procraſtinabantur. Atqui ut multa inopinata & inſperata accidunt in vita hominum, & ſæpe magis quam ea, de quibus habemus opinionem ac ſpem, ita dum judices hi adeo tardi ſunt ac minus efficaces, & pœnæ toties intercalabantur, neque tamen quicquam erat, quod rem iſtam diſtinebat, Wenloco, cæteriſque captivis, inopinanter ac præter exſpectationem, juſſu magiſtratus indictum, conditam à magiſtratu legem novam, qua illi lege veteri ſolvantur, ita ut liceat iis exire è carceribus, & ſimul adapertæ januæ. Quo ſigno dato, cuncti abſque cunctatione diſcedunt. Soli inſperantes retenti *Petrus Pearſonius* & *Judith Brounia*, qui ambo paulo poſt juncti plauſtro, quod trahebatur ab equo, inter flagra ejiciuntur. Cauſa hujus mutationis credebatur eſſe, quod ſenatus verebatur aut prævidebat, futurum, ut in veteri Anglia rex atque magnates tantum horum judicum in puniendo rigorem male interpretarentur, & quo minus id impoſterum facerent impedirent. Utique haut diu erat cum Carolus rex, poſtquam hæc de Quakeris in nova Anglia per rumores & nuntios, imo per illorum hominum pro ipſorum periculis deprecatores, è libello ſupplici, Regi ac Parlemento exhibito, non ſemel, at bis, inaudiviſſet, mittit Boſtonium ad gubernatorem, itemque ad rectores reliquos & adminiſtros earum regionum

num & coloniarum omnium epiſtolam de captivis Quakeris, tradens epiſtolam perferendam Samueli Sattoco, ipſi Quakero, incolæ regionis, at pulſo in exilium, ut ſupra poſui, qui & huc revenit, revectus navi, cui præerat unus itidem de ejuſdem generis hominibus. Epiſtola hæc erat. *Carolus rex ſuis fidis ac percaris. Quoniam docti ſumus, plures è noſtris ſubditis, dictis apud vos Quakeris, datos à vobis eſſe in carceres, & alios interemptos, alios, ut moniti ſumus, in eodem periculo verſari, viſum eſt nobis, vobis quod noſtrum de ea re in futurum ſit beneplacitum indicare. Quocirca cupimus, ut ſi qui inter vos ſint Quakeri, quorum demum aut mortem, aut aliam pœnam corporalem addixiſtis, aut, ut conditi ſunt carceribus, addicere poſſetis, de iis ne ultra progrediamini, verum ut è veſtigio eos, ſeu damnatos, ſeu conſtrictos, mittatis in noſtrum Angliæ regnum, & una de ipſorum delictis & quæſtione referatis, uti ſic hoc loco de iis decernatur, ut cum noſtris legibus, atque illorum meritis, decet agere. Quibus in rebus hæ literæ vobis omnimodam auctoritatem dabunt. Scriptum in aula noſtra Withallenſi, quinto Id. Sept. anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo primo, noſtri imperii tertio decimo. E mandato regio. Guiljelmus Morris.* Sic quidem illa epiſtola regia hactenus perſecutionem horum hominum ſtitit, ut ultra, etiamſi quis eſſet Quakerus, capital non eſſet. Et quoniam ſenatus Boſtonienſis ſuſpicabatur, egere ſibi aliquid ſuccenſere ob commiſſum facinus,

nus, legati à Boſtonienſibus tribunus militum Templius, & ſenator Broadſtretius, & verbi divini miniſter Nortonus, qui tranſmeent in veterem Angliam, & regem, ne ea, quæ facta erant, accipiat male, edoceant. Atqui non ideo omnis juriſdictio conſiſtebat, neque omne judicium ſublatum. Quin quaſi, propterea quod eſſet jam vacatio à ſevero & ultimo ſupplicio hoc, pœnam cruciatu temporario quidem, at tanto graviore compenſarent, ita aliquos caſtigabant, ut ſatius fuiſſet, brevi tempore emori, quam tot ac tanta, idque ſæpe tam diu, mala perpeti. Cujus rei cum varia exempla poſſem referre, tantum unum aut alterum exemplum proferam, tum ne in hac re nimis ſim multus, tum quia ex uno hoc de cæteris conjectura poteſt fieri. Venit eo anno Boſtonium *Anna Cotona*, mulier ſexagenaria, animo habitandi. At illam Boſtonienſes non modo non admittunt, ſed inſuper conjiciunt in cuſtodiam. Deinde ubi ejus pertæſum eſt, deducunt in locum ſylveſtrem, unde poſt multas errationes, nacta opportunitatem, redit in Angliam. Illic diploma obtinet à rege, quo ei permittitur, ſedem ac domicilium habere Boſtonii. Itaque denuo iter redauſpicatur in novam hanc Angliam, venitque perniciter Boſtonium. At ne ſic quidem admittitur. Quare abit Cantabrigiam. Illic vero in ſordidum ſpecum mittunt, damnant, ac tribus regionibus cædunt flagellis, & abjiciunt in locum remo-

tum

tum & deſertum ac relictum, in quo magnum periculum oſtendebatur à feris. Quanquam mulier ſic tamen iiſdem tramitibus, quibus exierat, redibat, quemadmodum & de novo ſupplicium de tergo dabat. Altero hautdum exacto anno *Anna Colemanna*, *Maria Tomkinſia* & *Alida Ambroſia*, ſingulæ fœminæ, non adeo magno natu, ſed tamen jam ætate provectæ, accedunt Doverum. Hæ ex loco hoc per loca alia undecim trahuntur, mediæ brumæ tempore, & diebus nivalibus, & ſingulis locis denas plagas accipiunt in corpore, ita nudato, & expoſito ictibus, ut ne mamillare relinqueretur. Et hæ adeo ingenio duro & firmo pectore erant, ut tamen idem oppidum repeterent, & illico cum ſuis celebrarent conventum. Quo cognito duo fratres Rupertii, filii patris Quakeri, ambo limenarchæ, mulieres è cœtu vi extrahunt, ac pronas trahunt per nivem ac cœnum, facie in ea verſa, atque die ſequente eodem modo tractas & oblitas perducunt ad portum in litus & introitum maris, ac nil moti impenſiſſimis precibus mulierum, præcipitant per aquas in parvam naviculam caudicariam (barbari vocant canoe) atque in eo ſunt, ut committant pelago. Verum orto repente vento vehementiore & immoderata tempeſtate, mulieres de ſcapha eximuntur, non imperio illorum rectorum, qui hanc habebant poteſtatem, verum impulſu illorum, qui circunſtabant, quique tam crudeles quam erant illi non erant.

erant. Ita quanquam jam obrigerent glacie ex aqua concreta in veſtibus, & propter intolerabile frigus vix vivæ evaderent, eandem domum unde venerant, remotam procul à mari, reducunt, & refocillatas paulisper abigunt ac fugant. Verumenimvero adhuc mulieres adeo duris erant cervicibus, atque ita obdureſcebant ad novos dolores, ut non ſemel, at ſæpicule ad loca, in quibus talia toleraverant, recurrerent. Non deſinunt Quakeri conqueri de his aliiſque hominibus ſuæ gentis, illam multis eorum notam inuſtam fuiſſe, quaſi modo hominum fuiſſent quiſquiliæ, nihili, mendiculi, errones, volatici, deſperati, quibus omnes homines probos oporteret eſſe infenſos & inimicos, atque eo nomine iis fuiſſe libertatem omnem ademptam, & ereptum jus omne, quemadmodum ignominioſis & infamibus nulla eſt actio, nulla querela. Tametſi dicunt fuiſſe, qui multos annos, quoſdam qui ætatem prope hominum, illic terrarum & ſedem & domicilium habuerant. Poſt hæc procedente tempore, quoniam & regis, alieni ab hujuſmodi infeſtatione, auctoritas indies magis valebat, & horum multitudo hominum quotidie magis ac magis augeſcebat, atque natura ac indoles, & animi ac corporis duritia omnium omnes pœnas legibus conſtitutas ſupervadebat ac vincebat, paulatim judicia hæc fieri deſierunt, & ipſorum impunitas & licentia accreverunt. Inter hæc Quakeri omnes, quotquot in hoc regionis

gionis tractu conſiſtere non poterant, ſe recipiebant in inſulam *Rhodum*, quam regioni eſſe oppoſitam, & tenui diſcrimine ſeparatam à continenti, dixi antea, ita ut ea inſula tanquam azylum & refugium illorum hominum eſſet. Quam ad rem inſula hæc magis erat perappoſita, propter gubernatorem, ut qui ipſe erat Quakerus. Etenim is gubernator erat ille vir, de quo itidem ſuperius commemoravi, *Guilj. Coddingtonus.* Atqui fuerat is unus è primis colonis, qui negotiandi cauſa in hanc oram pervenerant. Et habebat jam domum amplam & ornatam Boſtonii, priuſquam urbs habebat id nomen, & quidem adeo ornatam, ut poſtmodum totius urbis ornamentum eſſet. Habebatque deinceps magiſtratum in urbem. Verum cum tempore perſecutionis Quakerorum in ea re non eandem voluntatem cum ſenatorum pleriſque haberet, ac porro cunctos hortaretur, ut manus ab illis hominibus abſtinerent, atque illi ob id virum eodem, quo Quakeros, condemnarent crimine, is diſcedebat ab iis in inſulam hanc, in qua ei non modo dicendi, at etiam faciendi ea de Quakeris quæ vellet, libertas integra manſit, & deinde oblatum munus gubernatoris inſulæ. Atque ita eadem inſula ex eo tempore receptaculum & domicilium horum hominum extitit. Cæterum antequam ab hac nova Anglia totus abeo, etiam attingenda *nova Belgica*, novæ Angliæ contermina, ac nempe attingenda, ne longior narratio

tio faſtidium pariat. Scilicet eam regionem tunc noſtra patria profecti tenebant coloni. Cum autem noſtris paſſim negotiationum commercium eſſet cum Anglis, & hi ſæpe accederent ad noſtrates, etiam quandoque accedebant, & interdum aliquod tempus commorabantur, quidam è Quakeris. Tametſi nonnulli non ſolum mercium dandarum accipiendarumque cauſa huc tranſibant, ſed etiam ea ratione, ſi quid poſſent efficere in propaganda ſua doctrina ac diſciplina. Eſt is mos noſtræ patriæ rectoribus, ut & iis, qui illorum nomine exteris præſunt regionibus, ut de eo non admodum ſint ſolliciti, quid homines ſua duce conſcientia, de ſua religione credant dicantve, modo ne ſummæ auctoritati, ac publicæ tranquillitati, obſint atque adverſentur, in iiſque neque proferant quod velint, neque faciant quod poſſint. Ad hunc modum hi, qui tunc in ea regione cum ſuprema poteſtate erant conſtituti, & perſonam gerebant reip. circa Quakeros ſuam dignitatem ſuſtinebant, & pacem ſubditorum ſuæ fidei commiſſam adminiſtrabant. Cujus moderationis hæc duo ſpecimina poſſunt eſſe Illo tempore hujus novi Belgii prima ac præcipua urbs erat, quam à maxima in noſtra patria, & celeberrima toto orbe urbe, appellabant *Neoamſtelodamum*. Ab hac urbe aberat intervallo circitet duûm millium paſſuum vicus, cui nomen Heemſteda. Is vicus territorium erat noſtræ coloniæ, ſed qui præſertim

Digitized by Google

ſertim incolebatur ab Anglis, quorum nonnulli, cum eſſent antea è numero Browniſtarum ſive Puritanorum (ut appellare conſuetudo ſolet) deſciverant ad Quakeros, & hinc ſuos inter ſe habebant congreſſus & 'conventus & orationes ac preces. Atqui hæc noſtri, quotiens cautius fierent, non adeo obſervabant, neque vindicabant, ſecus, ubi non ea penes eos modeſtia & temperantia eſſet, & noſtris metus ab illorum libertate immodica, & ſeductione aliorum. Hujus rei exemplum, ideo ut exemplum periculi eſſet omnibus, edebant in uno *Ruperto Hodſono*, cujus ea audacia erat, ut aliquibus è ſuis auctor eſſet conveniundi eo fine, ut ſuis precationibus vacarent, non ſecreto, at palam in hortulum apertum ac conſpicuum. Itaque delata illa re tam inſignita ad eos, qui abſque hujuſmodi temeritate, ac veluti irritatione, facile interquieviſſent, hi omnes aggrediuntur, & Hodſonum, cum in eo inveſtigando præter Biblia in manu, in ſinu cultrum reperirent, cumque ea res ad manus, ac minimum ad defenſionem, quæ pendet ab offenſione, ſpectare videretur, comprehenſum, ac conſtrictum manibus, ducunt Neoamſtelodamum, ad gubernatorem *Stuyveſandium.* Is hominem, ut contemptorem legum, ac perturbatorem pacis, in locum tenebroſum, & ſqualore ac ſordibus plenum, jubet conjici, ac paulo poſt vocat in judicium maximo crimine ſeditionis, atque omnium ſen-

Digitized by Google

tentiis, verbis prolatis ſermone Belgico, quæ alius ei, ignaro linguæ, convertebat è Belgico in Anglicum, ſic damnat, ut aut multam ſexcenorum florenorum pendat, aut ſarraco, idque catenatus, conjunctuſque cum ſervulo barbaro, biennium reficiendis mœnibus urbis operetur. Ad quam operam productus cum eam detrectaret, eum bene lacertoſus & acer ſervus ex illa barbara & immani gente (negros appellant) fune picato, ad quinquaginta ictibus excipit, & cum neque ſic ſe applicaret ad opus, ille ictus congeminat, & adeo valide, ut is pedibus non conſiſteret. Et quoniam omni tempore imperatum facere recuſabat, poſtremum juſſu gubernatoris traditus ad hoc ſupplicium: illi hominem denudatum à media parte corporis ſuſpendunt manibus, appenduntque ad pedes lignum ingens, & quam acerbiſſime feriunt flagellis, atque à tribunali abjiciunt in eundem carcerem. Idem fit biduo poſt. Quibus plagis homo miſer ita affectus fuit, ut diu ſine ſenſu, ac pœne ſine mente, jaceret, utque vix ſpes reconvaleſcendi reliqua fuiſſet, ſi non mulier Anglicana, adducta pio dolore & miſericordia, ſuis medicamentis delibutum, & deligatum faſciis, vitæ reſtituiſſet. Ad poſtremum ſoror gubernatoris ſic pro homine diſputat apud fratrem, ut illum ex hac calamitoſa ſolitudine dimitteret ad ſuos. Actum hoc eo tempore, quo in nova Anglia incipiebat fervere perſecutio in hos homines. Alius vicus

pari

Digitized by Google

pari conditione, id eſt Anglorum quidem; ſed juris Belgarum noſtrorum, erat Graveſenda. Illic nobilis & illuſtris fœmina *Comes Mordaa*, poſtquam è puritana facta erat Quakera, & idcirco in hunc potiſſimum locum ſeceſſerat, in ſuis ædibus reliquis ejus ſocietatis hominibus aditum ad ſuos conventus præbebat, verum ea prudentia, atque obſervatione loci ac temporum, ut nemini extraneo, aut alieno à ſua religione, offenſioni eſſet, adeoque & ipſa cum ſuis ab omni incommoditate immunis foret. Et quoniam hujus fœminæ, atque illius in hoc loco conſortionis, facta eſt mentio, libet hunc caſum memorabilem addere. Filius erat alicujus eccleſiaſtæ Anglicani, adulta ætate, & moribus honeſtiſſimis. Is cum ſæpe cum comite hac in ipſius domo una erat, & multos cum ea de religione ſermones miſcebat, hæc eum in ſuum quoque conventum ac concionem invitat, ſaltem ut ſemel accederet. Ille reſpondet iterum atque iterum (namque inſtabat illa) velle ſe in omni re alia ipſi obtemperare, at hac in re morem gerere non poſſe. Cum juvenis animo obſtinato perſeveraret, & illi fœminæ quanto magis in ea re perſtitiſſet, tanto majorem dolorem fruſtratio attuliſſet, ille ſua ſponte infit, quod ejus precibus neque volebat neque poterat. Videtur ſibi quadam nocte in ſomno multa audire ac cernere de Quakeris, & cum evigilaret, cum nil rebatur eſſe, quod errorem ſenſibus offerret, audit tanquam

vocem, iret adiretque cœtum illorum hominum, de quibus dormienti tot ſpecies erant factæ. Ille comprobato ſomnio & oraculo, die inſequente accedit ad concilium Quakerorum, cui dum intereſt, ita ſermonibus illorum afficitur, ut vix ſuus eſſet. Itaque ut huc remearet ſuus exinde animus aſſidue ſtimulat. Verum ubi, antequam id ageret, rem cum ſuis communicat amicis, illi plurimis verbis deterrent, quorum dictis cum eſſet audiens, at cum ab alia parte nunquam ex animo decederet illius nocturnæ rei imago, atque illa non commentitia fictaque, at facta vox, eum continue agitaret, ille ex multa magnaque contentione mentis, neſciæ quo ſe verteret, incidit in morbum gravem ac lethalem, è quo reſtitutus non ſolum ſe totum ab iis hominibus abalienavit, at etiam illud, quod ſibi evenerat ab iis hominibus, interpretabatur ut incantamentum, & diabolum inter eos homines dicebat operari. Hujus rei teſtem habeo virum venerandum, ea memoria in illo ipſo tractu, ac nunc etiamnum in noſtra patria verbi divini miniſtrum fidelisſimum, cui juvenis ille hæc ſæpe ſolebat narrare. Interdum ex hiſce hominibus erant, qui coram magiſtratu negabant poſſe ſe capite aperto cum iis loqui & agere. Hos nulla re alia corripiebant, quam convertendo in ipſos indignationem, & depellendo inauditos atque increpitos à ſe. Nonnullæ mulieres quæ per vias, quædam, at paucæ, quæ &

in

n media concione noſtrorum interque orationes, vel repentino, vel præmeditate vociſerando cantandove aliquid occipiebant. Hæ aut abire juſſæ vel coactæ, aut abductæ conditæque in cuſtodias, donec alio tranſveherentur. Ita, ſi cujuſquam culpa non ultra iret, neque pœna ulterius procedebat. Jam de reliquis coloniis Anglorum, *Virginia*, *Barmudum* inſulis, aliis, parum eſt quod dicam. Dixi initio, quinam huc primi iter inſtituerint, qui utrum in ea loca acceſſerint, haut certo dixerim. Id conſtat, Georgium Wilſonem veniſſe in Virginiam anno ſexto & quinquageſimo, atque illic conjectum in catenas mortem obiiſſe. Henricus Fellus adiit Barbados illo eodem anno, ac non multo poſt revertitur. In his quoque regionibus Quakerorum religio ſenſim in lucem prodire ac prorepere incœperat. In quos homines uſque ad annum ſexageſimum nil invenio fuiſſe conſtitutum, præter pœnas pecuniarias, idque ob has cauſas, quod alii alios ad ſuas domos admitterent & exciperent, aut dare jusjurandum, aut coram magiſtratu aperire caput, aut militaribus muneribus & operibus vacare nollent. Quanquam hæc pecuniaris damnatio ſæpe tanta erat, etiam propter unum delictum, ut hominibus, certe non admodum pecunioſis, uti plerique erant tenues, tertia bonorum pars & ſupra deperiret. Id video annotatum, in Marilandia, Virginiæ aut provintia aut adjacente, anno hoc *Thomam Thur-*

ſtonem raptum in vincula, cumque dum id fieret, decurio Johannem Hollandæum moneret, ut ſibi in hac re eſſet auxilio, atque is tale quid de iſto viro fieri oportere negaret, & affirmaret non poſſe ſe, pro jure ſocietatis & communionis cum viro illo, præſto eſſe ea in re decurioni, adeoque opus hoc recuſaret (quod quidem legibus Anglorum nullam habet excuſationem, non inter homines non majoris dignitatis atque ordinis) & hunc in carcerem conjectum, ac poſt duriter flagellatum eſſe. Dein anno ſexageſimo & ſequente, quum hominibus cum ſuorum numero etiam animus atque audacia creſceret, & hi coamici etiam ſuos inter ſe conventus eccleſiaſticos inciperent obire, ad ultimumque in eo alacriter pergerent, tum vero, cum ob ſupra dictas cauſas, tum præcipue propter coactiones congreſſioneſque has, multis ac gravibus inſectationibus carcerum, flagellorum, exiliorum, deportationum in ſylvas ac ſolas terras, agitati, donec tanta ſeveritas etiam heic paulatim cœpit reſidere, illaque hominum ſecta conſiſtere & etiam confirmari, idque inprimis ex interceſſione regis & ſimili reſcripto, quale ſupra dixi à rege miſſum fuiſſe ad gubernatores Angliæ novæ. Nota his, qui norunt ſitus rationeſque Americæ Anglicanæ, quæ ſit *Penſylvania*, cujus nimirum proprietas atque dominium, vacua morte Guiljelmi Penni, à quo & nomen illud iſtius regionis poſſeſſivum, tranſierunt ad filium illius

viri

Digitized by Google

viri Guilj. Pennum, illum gentis Quakerorum in primis patronorum celeberrimum. Atqui per hunc hæredem eadem regio ſimiliter ſicuti Quakerorum hæreditas ac portio evaſit, inprimis ab anno octogeſimo ſecundo, quo tempore Pennus in ſuam illam ditionem profectus, cuncta è ſui animi ſententia diſponebat, & ſua ſingulis rectoribus & adminiſtris munera diſtribuebat. Et vero ut mittam ac prætercam ſigillatim dicere de ordine & regimine politico, & ſtatu juridiciali, itemque de commoditatibus ac beneficiis, quibus homines hi Quakeri perfruuntur, cum regionatim tota provintia, tum maxime in oppido, quod ab ſuo inter ſe amore fraterno appellavere *Philadelphiam*, erat ab hoc tempore in eo tractu tanta ac talis illorum hominum fortitudo & fidentia animorum, atque ſpes de ſua conſtitutione & gubernatione & unanimitate atque conſenſu, ut etiam barbaros terræ Americæ omnes, & omnino omnes homines, in quibus modo ſemen & deſiderium & ſtudium ineſſet religionis, & honeſtatis, & vitæ tranquillitatis, ad ſe auderent invitare, & iiſdem, ſi bene agerent, pares conditiones vivendi, & ſuas exercendi religiones, offerrent ac pollicerentur. Quod ut melius deprehendatur, operæ erit ipſum illorum decretum tradere. Erat autem hujuſmodi. *Univerſalem dari libertatem conſcientiarum omnibus iis, qui agnoſcunt unum Deum omnipotentem, creatorem, conſervatorem, rectorem mundi, quique fatentur teneri ſe conſcientia,*

ut ſub regimine placide ac juſte vivant, uſque eo, ut nulli negotii habituri ſint quicquam, quantum attinet ad ipſorum religioſas opiniones tractationeſque, utque nullo tempore cogantur, ut ſiſtant ſe alicui cultui ſacro, quem averſentur, aut ut conferant aliquid ad ſuſtentandum aliquos concionatores, aut locos dicatos ſacris exercitiis. Proinde futurum plenum, abſque ullo detrimento, uſum uniuſcujuſque libertatis Chriſtianæ. Et ſi ſit, ut unus alteri male faciat, aut illudat, propter diverſam opinionem actionemve eorum, quæ ſpectant religionem, hunc habendum ut perturbatorem communis pacis, & ut talem punitum iri. Etenim tametſi adhuc ſolum ſum recitator hujus ſcripti, ſicut earum rerum omnium, quas hucusque dixi, ac necdum accedo ut interpres mentis ac voluntatis horum hominum, tamen non poſſum hoc loco præterire, quod illi libertatem hanc appellant Chriſtianam, cum eam extendunt ad omnes mortales, qui modo unum agnoſcunt Deum, quodque, cum homines hi ſibi volunt eſſe conſentanei, id ita neceſſe eſt ab iis intelligi, ut ipſis ſint Chriſtiani omnes, in quibus aliquod bonum ſemen religionis & pietatis apparet, ut quod aiunt eſſe à Chriſto, imo eſſe Chriſtum. Cæterum quemadmodum hujus regionis incolæ plerique erant Quakeri, ita propter regionis commoditatem & utilitatem, & religionis libertatem hanc, tali edicto firmatam, inde poſt hæc variis temporibus plures Quakeri ex aliis oris hujus partis orbis illuc commigrabant. Neque

que

que tantum homines iſtiuſmodi, verum & aliarum religionum profeſſionumque, aut nulla ſcilicet, aut tenui conditione, atque in iſtis extremis partibus alterius orbis, admota manu, divinam benedictionem ſortemque meliorem exſpectantes, uti raro quiſpiam, cui in patria aut res, aut ſpes bona eſt, loca aliena, à ſuorum commercio ac conſpectu remota, incultum adibit. Præterea G. Pennus, regionis herus ac gubernator, proxime ante bellum damnoſiſſimum, quod adhuc fervet inter Gallos, atque Anglos, & horum ſocios atque amicos Germanos inferiores ſuperioreſque, nonnullos homines, degentes in Anglia, noſtraque patria, & palatinatu Rheni, quibus omnes copiæ in uſu & cultu corporis quotidiano, invitaverat pertraxeratque in has ultimas terras, in quas cum nihil inferrent quod poterant perdere, hanc de ſe habentes ſpem, poſſe ſe in iis labore manuum acquirere, unde porro commode ac jucunde viverent. Atque ita quidem hi coloni omnes ſe dabant agriculturæ & præparationi atque amplificationi terræ inhabitabilis & incultæ, ac ſimul ſuarum rerum familiarium. Quibus omnibus ſua diligentia & aſſiduitas atque moleſtia ſane bene ac feliciter cadet accedet, ſi non quandoque, terra tota omnibuſque bene ornatis, quiſpiam legum agrariarum peritus & callidus interveniat, & rite erciſcunda poſſeſſione, quam ſuam putet eſſe portionem auferat. Et his advenis omnibus peræ-

qua data poteſtas, ſuas quorumcunque religiones cum ſuis ſodalitiis exercendi, vivendique ut vellent. Adhæc ea quoque facultas & licentia conceſſa, ut etiam quoſvis honores & dignitates & magiſtratus, etiam in urbem & totam regionem, gerere poſſent. Quanquam hæc prærogativa erat Quakerorum, non ex lege iis privatis irrogata, ſed ob multitudinem & conſenſionem ambitionemque, ut in rerum publicarum moderamine ac rectione priores ac primas partes tenerent. Unde & erant, de quibus vix poterat dubitari, quin ſolum commodi ac emolumenti gratia, ſimulata profeſſione, fictoque officio, ad Quakeros accederent, & ut ventus erat, exin velum verterent. Jam ut plerumque videmus fortunam, ſeu ſtatum & operam & occupationem mortalium ſequi indolem & induſtriam ac mores, ita horum hominum pars propemodum maxima, homines integri quidem ac religioſi, at ſimplices, doctrinæ rerumque uſus rudes; pars non modo ignari inexercitatique, verum qui è ſermonibus & converſatione cognoſcebantur valde licenter & immoderate loqui & agere. In hoc numero etiam Quakeri. Itaque procedente tempore & hi viri graves & conſtantes, ſua inter nomina indeclinabilia profitentes, id cupidiſſime inter homines petere, quod ſemper pertinaciter contempſerant, & loca ac ſubſellia in curia, & tribunalia affectare, & aſcendere & frequentare, & ea munia multum mutuo exercere.

re, & lecti in magiſtratus ac judices, ſe in iſto munere excellenter gerere, & erga ſubditos ac clientes ſæpenumero aſpere & arroganter ſe habere, & in judiciis, in dirimendis litibus, & puniendis maleficiis, ſe ejus generis juriſactionibus aptare, quas ſemper faſtidierant, & cum incideret, ut aliquid ſancte eſſet affirmandum præſtandumve, etiam juratos arceſſere cognitores atque teſtes, certe qui ejuſmodi aſſertione uterentur, quæ à juramento non differt, nempe formula hac: *dico ac promitto in præſentia Dei*, vel, *tam vere quam Deus in cælo eſt*, quod minimum haut minus quam juramentum olim à populo Dei Judæis uſurpatum, *vivit Deus*. Quin jam tales quoque, qui munus miniſterii ſacri Euangelii in eccleſiis obibant, ad ejuſmodi gradus atque honores obrepere, & lecti conſcriptique ipſi à ſe, aut protracti ab iis, qui plurimum in ſenatu pollebant, quorum obſidebant animos, rempublicam ac dicundi juris poteſtatem capeſſere, & in hoc ſuæ dignitatis & autoritatis bene meminiſſe, & ſe in ſuis officiis judicialibus accommodare ad inſtituta & conſuetudinem reliquorum. Præter hæc multi ex univerſitate Quakerorum reperiebantur, tum mares, tum fœminæ, qui ſibi munus concionatorium aſciſcebant, idemque exercebant, nulla aut nequaquam idonea teſtatione inſtructi, ita ipſi ſe inferentes & intrudentes; neque ſuæ habilitatis, neque vitæ ſatis aptum indicium præbentes. Et ſunt ex ipſis

ipſis Quakeris, qui aſſeverant, fuiſſe inventos inter hos, qui propter inſcitiam elementariam religionis, tantum aberat, ut titulum eccleſiæ doctorum ac miniſtrorum poſſent ſuſtinere, ut ne pro membris quidem ſuæ eccleſiæ haberi poſſent. Quæ res omnis non levis inter ipſos illos homines æmulationis & invidiæ, & diſſenſionis ac contentionis, ſtirps ac firmamentum, uſque ad hanc memoriam, ut non ſine cauſa metuendum ſit, ni illi melius colant pacem, futurum aliquando, ut illorum inter ſe domeſtica diſcordia barbaros, aut alios externos hoſtes, alliciat, qui multo bellicoſius aggrediantur, & ipſorum imperii & commorationis diuturnitati brevi finem ſtatuant. Et ſcire licet, cum etiam in his novi orbis oris bellum flagraret inter Gallos atque Anglos, atqui hi homines ſic ſatis verbis pugnarent, at vero bellum & arma & armatam tutelam omnem fugerent, ac proinde aut illi ſe ipſos expugnarent, hoſtibus quieſcentibus, aut hoſtes, ſine ſuo periculo ſtatim eos vincerent, miſſum à rege Britanniarum *Guiljelmo*, extra ordinem, gubernatorem addictum eccleſiæ Anglicanæ, inſtructumque fuiſſe, quo, ſi tempus ita ferret, is iis melius adverſus hoſtilem vim proſpiceret, quam illi ſibi ipſi. Enimvero quoniam impræſens verſamur in ipſa regione Quakerorum, ac jam mentionem fecimus magnæ diſſidentiæ ac diſtractionis horum hominum, inconveniens foret relationi rerum illius gentis, & hujus operis inſtituto, ſi non in-

Digitized by Google

inſignem maximeque memorabilem caſum, qui his noviſſimis annis inter eos iis in locis accidit, quique etiamnum paucis notus eſt, referam atque enarrem uſque ad hoc tempus, quo adhucdum qui exitus futurus ſit incertum. Oſtendi libro ſuperiore de *Georgio Keitho*, illo celeberrimo inter Quakeros doctore, quemadmodum ejus ſocii atque amici Quakeri in Anglia ipſi quoſdam adſcribebant aut errores, aut modos loquendi, quos minime probabant, verum quos ejus ſingulari doctrinæ, ſuæque erga eum benevolentiæ, tribuebant. Venit hic vir in has oras, ac conſiſtens aliquantiſper in inſulis Cæſareis, attingentibus ad Penſylvaniam, dein anno octogeſimo nono migrat *Philadelphiam*, invitatu hortatuque quorundam, qui non ſibi ſolum concionatorem, ſed & liberis ſuis præceptorem acciverant. Quo cum veniſſet, utrumque munus ſuſcipit, & ut ſuam oſtenderet modeſtiam, in inſtruendis pueris hypodidaſculi locum capit, & exequitur cum magna laude, & fungens una munere concionatorio in maximam partem inſcia ac temeraria turba concionatorum, ut lumen clariſſimum & ſplendor totius ordinis excellit, atque ſe omnibus, tametſi inprimis infimæ multitudinis hominibus, ſua opportuna opera ac diligentia, in explendis omnibus partibus miniſterii, cariſſimum reddit. Jucundum utique, ſi perpetuum eſſe licuiſſet. Verum intercedebat brevi ingens ægritudo. Quippe non ita multo poſt exorti, qui ſe Keitho opponebant,

bant; multaque in doctrina non modo errato, ſed ſummo crimini, quibus nulla venia, objiciebant. Etenim non deſinebat Keithus ſuas cogitationes de Domini ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti duplici natura, & divina, & humana, & humana altera cœleſti, ac ſpirituali, atque æterna, altera terrena & corporea, ſuſcepta in tempore è Maria matre, ſæpius atque identidem iterando cunctis proponere & exponere. Tum ſecundum dogma hoc, illud omnibus inculcare, Chriſtum, ut è Maria natum, cum natura divina eſſe unitum, atque ita præſentem eſſe cum ſuo lumine & cum ſua vita in omnibus Dei filiis. Difficile ſui animi ſenſa ſolum habere ſecum ac non efferre foras, cumprimis quod, ubi quid ſcite apparet comprehenſum, id nil ſit, niſi quem ſcire hoc ſciat alius. Quare Keithus, cum ea quidem, quæ ſecum diu meditabatur de tranſmigratione animarum poſt mortem, de judicioque & ſtatu hominum in morte, & item in conſummatione ſeculorum, velut intuta & odioſiora paſſim premeret ſilentio, tamen non ita ſe poterat conprimere quin ſæpe ſuis ſermonibus anſas daret cogitandi quinam ejus reconditi eſſent ſenſus, & interdum ipſe ſe verbis, quæ ſua in his eſſet ſententia, aut quid præcipue vellet, ſilentii impotentiâ & impatientia, proderet. Quibus rebus efficiebatur, ut ii, qui Keithum amabant, & doctrinæ ejus favebant, hæc capita avide arriperent ac ſequerentur, cum tamen plerique ipſius

Digitized by Google

ipſius doctrinæ ac ſtudiis dediti, illiuſque artium ac partium (quos Keithus ſane propter nominis gloriam, ad omnia auritos atque animatos aut habebat, aut faciebat) eadem iſthæc ita ſectabantur, ut magis ejus authoritate atque inſtitutione, quam ſuopte ingenio niterentur, atque eum ſcire hæc, & dixiſſe, ſatis haberent, ac ne rationem reddere cogerentur, ſuam inſcitiam ipſius perſubtili in his rebus ſagacitate, tegerent aut munirent. Ergo his placitis Keithi, eorumque qui ab eo, ſeſe opponunt alii, præſertim articulo de natura divina ac humana Chriſti, quem articulum Keithus ſuum eſſe palam confitebatur, profitebaturque, neque ut novum, à ſe cogitatum, ſed ut antiquum ſemperque doctum à tota ſocietate. Adverſus quem articulum illi id objectabant, eum ex uno geminos conficere Chriſtos. Horum adverſariorum dux atque anteſignanus erat miniſter ſenior nomine *Guiljelmus Stockadus*, non quidem valde indoctus & imperitus, at ſua, & multorum indoctorum imperitorumque, exiſtimatione, perquam doctus ac peritus, & antiſtes atque exemplar antiquæ & puræ horum hominum religionis. Obtendebat Keithus ſuam de hoc articulo ſententiam ac doctrinam adeo eſſe neceſſariam ſcitu ac creditu, ut inde penderet Chriſtianiſmus, utque eum articulum negare, eſſet inficiari Chriſti paſſionem mortemque, imo ipſum Chriſtum; quin ſi hi præfracte hunc negarent articulum, tantum pec-

ca-

catum eſſe hujus negationis, ut juſta cauſa foret, ob quam qui eum articulum teneant decurrant ad hoc extremum, ut ſe ſeparent ab his qui obſtinate negent. Poſtremum cum quæſtio hæc diu in controverſia jacuiſſet, neque finis videretur futurus, Keithus cum ſuis uſque eo pergebant, atque ita ſe in lite hac præbebant, ut affirmarent, ſe in conſcientia couvictos eſſe, Deum vocare ipſos, uti ſe ab iſtiuſmodi infidelibus ſegregarent. Inter hæc cum iſti boni ſocii illorum acutiorum virorum dogmata tantopere fugiebant, iidem ejuſmodi de iiſdem articulis opiniones fovebant proferebantque, ut Keithus atque ejus ſectatores non minus ab iis abhorrerent, eaſque deteſtarentur, quam clamabant ſuarum ſententiarum negationes prorſus fidei eſſe inficiationes, utque vociferarentur omnino totam fidem funditus evertere. Quanquam iidem iſti viri in his opinionibus etiam multum differebant inter ſe, quidam tantum, quantum omnes una ab Keithi ſcitis declinabant. Itaque quod attinet ad Chriſti naturam humanam, ſtatuebant quidam, Chriſtum neutiquam reſurrexiſſe & adſcendiſſe in cœlum, ut erat è Maria natus, & paſſus in cruce. Nonnulli Chriſtum corpus illud è ſepulchro quidem extuliſſe, verum aſcendendo in cœlum depoſuiſſe. Alii de toto negotio ambigebant, neque quid dicerent cognoſcebant. Pars ita cenſebant, omnem de tali re controverſiam abſque controverſia aut nullius, aut non magnæ operæ eſſe, & propter exigui-

ta-

Digitized by Google

tatem, quicquid ſtatueretur, nihil facere ad fidem. Hi controverſiam hanc diſtrahendam, & pacem ſervandam eſſe putabant. Quod pertinet ad ſtatum animarum poſt mortem, erant, qui aſſerebant, omnes fideles ac pios è veſtigio ingredi in plenum gaudium ac felicitatem, infideles vero atque impios junctim à morte, omne ſupplicium ſubire quod illos manet, & in hoc univerſam ſitam eſſe reſurrectionem. Quod idem erat atque aſſerere, nullam propriam futuram eſſe reſurrectionem corporis, ac corpus, poſtquam ceſſit in pulverem, porro nuſquam ac nullum futurum, neque futuram diem cognitionis atque judicii ſupremi & univerſalis. Alii erant, qui affirmabant, reſurrectionem, & conditionem glorioſam univerſam, demum in hac vita conſummatam eſſe ac perfectam, ex eo quod Chriſtus reſurrexit, vixitque illam vitam beatam atque illuſtrem. Qui ſuis verbis eandem vim tribuebant ac ſi dicerent, nullum eſſe cœlum atque infernum, niſi qui intus ſunt in hominibus. Hæc dogmata Keithus in horum hominum ſermonibus ac concionibus notabat, reprehendebatque, ut contraria articulis catholicæ fidei, præcipue atque inſigniter propoſitis expoſitiſque in ſcriptura Teſtamenti veteris ac novi, atque talia ab iis dici ac doceri ſuis indicabat, ut cum prope cognoſcerent, procul fugerent. Tandem nonageſimo primo anno placuit experiri, ſi in amicorum ac fratrum conventu controverſia poſſet componi.

Conſtituuntur de communi ſententia locus ac tempus. Confligantur inter ſe acriter ac vehementer ambo capitales adverſarii, Keithus & Stockadus, eo exitu, ut diſſidium non ſolum non tolleretur, ſed etiam augeſceret. Tamen defertur cauſa ac querimonia ad conſeſſum generalem anniverſarium, celebrandum ejus anni menſe ſeptimo Philadelphiæ. In eo concilio actum de doctrina Keithi. Cum autem Keithus illud, quod ei attribuebatur de tranſmigratione animarum, illarumque ſtatu poſt exceſſum è corporibus, non tam definiebat, quam ſupponebat, aut veri loco examinandum ſubjiciebat, non illud veniebat in quæſtionem, ſed hoc, utrum prædicare fidem in Chriſtum, qui eſt in homine, & in Chriſtum, qui extra hominem eſt, eſſet prædicare duos Chriſtos. Peragebantur ſex ſeſſiones ſive actus, in quibus necdum finire certamen poterant tot doctores, præditi & docti ductique Spiritu ſancto ipſo, proxime, ut illi vocant, immediate, tenentes altiſſimum locum inter Chriſtianos. Ita namque etiam in hoc ſupremo ac ſanctiore concilio partes utrinque litigabant ac rixabantur. Keithi adverſarii omnia convitia ac probra in ejus doctrinam dicebant, in ipſumque virum ore quam ſententioſe invehebantur, neque tantum, ſed & more quaſi contendentium ac jurgantium multis verbis hoſtilibus ac bellicis pungebant, & ne vehementius dixiſſe quam feciſſe viderentur, manibus quam ſenſiſeris tangebant, trahebant,

trudebant indigniſſime, videlicet non adeo vehementes natura, at cauſa & ratione. Sed & Keithus cum ſuis, etſi vir ſatis cerebroſus ac præceps, tamen hoc tempore ac caſu ſimiliter non natura ac voluntate, ſed coactus, qnod ſuum juſtiſſimum injuriæ dolorem diſſimulare ac moderari amplius non poſſet, tandem in adverſarios invehi verbis, ut juſta ira effectuſque juſtitiæ eſſet, neque eſſet maledictum, ſed reſponſum dignum aliorum impetu ac contumelia. Ad extremum alteri alteros urgere, eſſe homines ignaros, fatuos, hæreticos, infideles, ethnicos, prafanos, impios. Sic illi. Ut quantum ſuæ doctrinæ ac diſciplinæ his in rebus obliti eſſent, quantumque abeſſent à perfecta conſenſione, & modeſtia abſoluta, cum de eo viri cati & perſpicaces diu ac ſæpe ſuſpicionem habuiſſent, nunc cauti incautique omnes deprehenderent. His litigatoribus altercatoribuſque nunquam defeſſis, fratres conſcripti, qui quæſtioni notionique erant præpoſiti, animadvertentes, in hoc tanto certamine partium, tantaque contentione, diſceptare famam ac gloriam nominis Quakerorum, ita negotium terminant, poſt reprehenſionem tantæ rixæ ac turbæ, in qua neutra pars culpa carebat, ut Keithus abſolvatur, atque illius de Chriſto Jeſu doctrina agnoſcatur recta ac ſincera, & de Stockado ſtatuatur, ut is fateatur, ſe perverſe cum Keitho egiſſe, utque Keitho de malo quod in ipſum inſontem protulerat, ſatiſſaciat. Sic

Digitized by Google

aliquanto tempore quies erat certaminum. Deinde in hac pace atque otio *Thomas Fitzwaterus*, ſectæ Quakerorum miniſter, inflatus hominum quorundam, de quodam ſui ingenii acumine & doctrina aliqua, opinione, in conventu menſtruo Keithum accuſat illius hæreſis, quod negaret ſufficere hominibus lumen Chriſti. Hic rurſus ambæ partes admodum actuoſæ, & multa efferuntur ex tempore, quæ mentis dolore ac permotione poterant accipi excuſatius. Neque heic totus ſenatus entheatus hos duos viros poterat reconciliare, aut certas ad conditiones concordiæ redigere. Protenditur res in alium conventum, & vocantur una gubernator *Thomas Loydus*, & alii è magiſtratu univerſæ provintiæ, ut itidem ſua prudentia ac ſuffragatione omnem rem moderentur. Illic Keithus magnam habet actionem in Stockadum, quod nondum ſibi ſatiſfeciſſet, juxta edictum ſuperioris concilii. Oriuntur aliæ querelæ ex una multæ. Gubernator ac magiſtratus Keitho multa exprobrant. Ad poſtremum pleraque pars miniſtrorum ac ſeniorum propendet in Keithum. Quo viſo, etiam rectores illi declinant. Fit ſenatus conſultum, uti Stockadus ſe ipſe damnet inſcitiæ atque infidelitatis. Stockadus ſe tale quippiam negat facturum, ac ſe id, quod dixerat de Keitho, ait cum ratione ac jure dixiſſe, & idem adhuc defendit. Agitabatur quoque diſſenſio inter Keithum & Fitzwaterum, quæ erat tractata in ſuperiori conventu menſtruo.

ſtruo. Statuunt omnes, atque ita turbulentum judicium concludunt, ut Stockadus ſcripto publico ſe de ſuo adverſus Keithum delicto condemnet, utque Fitzwaterus & idem hoc agat de ſe, quantum ad Keithum, & inſuper coram concilio hoc ſcriptura ſuam fidem exponat, & in eo ſatiſfaciat, quantum pertinebat ad Chriſti reſurrectionem, illiuſque humanæ naturæ ſtatum præſentem in cœlo, utque uterque tam diu prædicationibus ac precationibus in ſuis cœtibus ſuperſedeant, quoad imperata feciſſent. Hujus conſeſſus judicio cum Stockadus & Fitzwaterus ſe initio, aut expreſſe, aut tacite, ſubmiſiſſent, nunc in fine, lata in ſe ſententia, ſe ſubtrahebant, atque ei parere detrectabant, cauſati: *cum negotium eſſet eccleſiaſticum, & omnino controverſia eſſet inter eccleſiæ miniſtros, eaque valde ardua ac difficilis, quam ipſimet vix amplectuntur, hanc miniſtrorum eccleſiæ duntaxat cognitionem & definitionem eſſe debuiſſe; nunc horum quidem partem, quorum ea juris eſt & arbitrii, at magnam quoque partem eorum, ad quorum officium ea non pertinet, imo quorum proclivitas ad ſuam extendendam potentiam & juriſdictionem abunde nota eſt, hanc procurationem ſuſcepiſſe; proinde, neque hujuſmodi ſtatutum ac judicatum valere, neque ſe tali interdicto obtemperares oportere.* Ergo Stockadus & Fitzwaterus nihilominus inter ſuos functiones miniſterii obire, ſeſeque diſtrahere, ac disjungere ab iis, qui Keithum ſequebantur. Neque tamen Keithus cum iis, qui erant cum illo, ſtatim

iſtam diſſociationem agnoſcere ac probare, neque pariter ſe prorſus ab eorum ſocietate disjungere, verum exſpectare, ut iidem ſui facti pœnitentes, & ſatis pro injuria facientes, ac ſaltem quod re malefecerant, ſolventes verbis, quam maturrime ſecum in gratiam redirent, & unam eandemque communitatem arcta animorum colligatione colerent. Keithi partes tenebant plerique cum ex oppidanis, tum è provintialibus, quos exinde appellabant *Keithianos*. His ita conſtitutis rebus, gubernator cæterique magiſtratus, veriti ne diſſidium hoc latius ſerperet, & initium foret majoris turbationis, huic malo citiſſime & maxime ſtatuebant eſſe occurrendum. Quare tale capiunt conſilium, ut non quidem rem judicatam ſcindant, at curent, ut ea, quæ ante acta erant, revocentur ſub cognitionem novam. Itaque juſſu illorum conveniunt in unum, anno videlicet nonageſimo ſecundo, menſe quarto, die vigeſimo, Philadelphiæ viri viginti octo, quorum quidem major numerus miniſtri ſeu concionatores, verum inter quos miniſtros etiam erant, qui una & miniſterii munere in eccleſia, & munere magiſtratus in republica fungebantur, quorum unus *Samuel Jeningus*, Keithi inimicus ſummus, & alter *Artus Coquus*, Keitho non admodum benignus. His viris ea curatio data & adminiſtratio, ut pro communibus amicis & arbitris de dirimenda diſcrepantia ac lite, quæ erat inter Keithum & ipſius adverſarios, conſultarent.

rent. Atqui hi viri, tanquam non ad componendum diſſidium, quod erat commune, ſed ad damnandum Keithum ejuſque ſodales, & abſolvendum reliquos, conveniſſent, primo cœtu de Keitho, inaudito, nulla de re appellato, hanc brevem ferunt ſententiam, eamque ſcripto obſignant: *Keithum hominem eſſe, qui nullum habeat timorem Dei.* Qua ſententia Keitho non majus malum poterat adferri ab hoſtibus apertis, quam imputabatur ab his judicibus. Et vero ita jam, quod adverſarii præcipue habebant in voto, magiſtratus Keitho, ſine mora, omne docendi in eccleſia exercitium interdicit, & ipſo tamen confidenter pergente, ut hoſtem judicatum perſequitur, applaudentibus inimicis Keithi, ita jam ſe voti compotes, atque ipſi viciſſim repenſum eſſe. Quare Keithus, & aliquis *Thomas Buddus*, edunt libellum legendum omnibus Anglis, ideoque ipſorum ſcriptum lingua, quem nominant, *cauſæ innocentis dictio contra falſum judicium ipſius noxii.* In quo libello enarrant formam, & continuationem, ſeriemque judicii, redditi in Keithianos, itemque judicum quorundam in judicio hoc inter ſe nexorum & jugatorum mores pravos, ac ſpeciatim miniſtrorum verbi. Non quo magiſtratum ſugillarent, neque ut ſuæ eccleſiæ miniſtrorum famam arroderent, aut vitia cujuſquam ordinis detegerent, verum ut oſtenderent, quidnam eſſet, à quo illi ſibi deberent cavere, cui debeant medelam adferre, ne ma-

lum à capite ſerpat per omnia membra, & hoſtes tale vitium in hujus eccleſiæ dedecus, ac ſuæ gloriam, vertant. Venit Keithus tempore quodam in colloquium cum gubernatore, atque apud eum multa & querebunda oratione agit de judicio facto in ſe abſentem, indicta, indefenſa cauſa, de judicibus, inter quos tot numerabantur ſibi infenſi, de variis injuriis inuſitatis, atque etiam inauditis, inter caſtos ac probos judices, de inſectationibus. Poſt quæ gubernator, velut applicans ſe ad Keithi querelas, Keithum monet, ut ſi in ſuperiori illo conventu paſſus eſſet injuriam, de eo quereretur, ac ſuum ius perſequeretur apud generale & anniverſarium concilium, quod inſtabat Philadelphiæ. Keithus tot rebus adverſis ac moleſtiis afflictus, non victus, idem pro ſe optimum factu ratus, dum injuria acuit animum, ſcribit appellationem acrem ad concilium, appingitque articulos duodecim, in quibus ſuam ſuorumque exponit doctrinam ac fidem. Et quo poſt tantam ac tam diuturnam contentionem cuncta res, quam totám omnibus partibus brevi ſpatio temporis pertentare erat difficile, in ſynodo faciliore & commodiore ratione apprehendatur & decidatur, atque illi patres breviter pro ſua ſapientia ac vigilantia id, quod eſſet conveniens, unis abjudicent, alteris adjudicent, ſingulíſque, quod ſui ſit officii, præſcribant, quoniam periculum videbatur eſſe in deſcriptione tot librorum, quæ manu fieret, Keithus librum utrum-

que

que curat excudi typis, eo fine, ut mature exemplar ad omnes mittat, & illi id ab hoc tempore diligenter explorent, ac tum præparati rem paucis abſolvant. Titulus libri erat *Appellatio ab octovigintiviris ad Spiritum veritatis.* Excuſor erat *Guiljelmus Bradfordus.* Duo exemplaria erant diſtracta per *Johannem Combium.* Quæ res ubi nota facta, magiſtratus omnes reos agit, ceu ruptores tranquillitatis, & violatores regiminis, mittitque prætorem *Withum*, qui excuſorem, & diſtributorem, ex ipſorum ædibus rapit in carcerem, ac ſimul è fabricis, perinde ac ſi in ſuam poſſeſſionem aut prædam venerat, quicquid utenſilium cupit, capit & aufert. Altero die magiſtratus mandat prætori, ut actionem intendat in Keithum, & ipſius in eadem culpa affines ac ſocios, adjunctis in auxilium duobus è magiſtratus collegio, qui non erant Quakeri, nempe *Lucio Coko*, viro Auguſtanæ confeſſionis, & *Johanne Holmeſio*, profeſſione Baptiſta, quaſi qui religione diverſi, ac neutri parti addicti, integri ad judicium irent. Sed hi viri id muneris recuſant, eo ipſo, quod res, de qua illi homines arguebantur, eſſet orta è religione, & ſpectans ad religionem, nil commune habens cum regimine regionis, ac propterea ab iis ipſis hominibus, unde profecta erat, & ad quos tendebat, inter eos dijudicanda. Quibus addebant, quum neque humana, neque divina lex patitur, quenquam inaudita cauſa damnari, æquum & fas

eſſe, ut Keithus, prius quam in eum aliquid ſtatuatur, audiatur. Hujuſmodi reſponſum ingratum erat apud eos, qui non ad ſedationem ſeditionis præſentis, ſed ad intenſionem & ad comparationem novæ, ſua conſilia videbantur conferre. Itaque perſiſtunt in ſuo propoſito, & Keitho inaudito, ad tale opus aggrediuntur. Dant ſuum judicium damnatorium in Keithum, ſcriptura longiſſima, cujus hoc erat briviarium, declarare rectores, Keithum hominem eſſe improbum, malum civem, doctorem mente ac lingua hoſtili erga regimen, & regem & reginam. Atque id ſcriptum dant præconi legendum in foro, in medio concurſu multitudinis. Scilicet fuerat Keitho in conventu eccleſiaſtico, in quo tractabatur quæſtio inter Keithum & collegas, præſentibus & gubernatore, & aliis è magiſtratu, forte cum ipſo gubernatore diſputatio de loco, quem gubernator allegabat è libro, olim conſcripto à Keitho. Quem locum cum Keithus diceret, non ad rem propoſitam, neque bona fide citari à gubernatore, pergeretque atque adderet, gubernatorem quoque eſſe ex iis, qui Keithum non citaverant ad audiendam cauſam, at inauditum damnaverant, illud Keitho exciderat calore ac impetu repentino animi, & linguæ velocitate, quæ ſæpe dominantur in diſputationibus, quod gubernator vir eſſet impudens, quodque ejus nomen putreſceret. Quæ verba, cum gubernator non ſemel dixiſſet, ſe nolle conſiderare, ut

Digitized by Google

ut dicta tali tempore atque occaſione, nunc tamen Keitho vertebantur vitio, ut contumelia inſignis in magiſtratum, hautquaquam impunita relinquenda. Addebatur, gubernatori in eodem colloquio exprobratum à Keitho, quaſi gubernator minime habilis eſſet ſuo gubernatoris muneri. Verum illud quidem Keithus affirmabat nec dixiſſe ſe, nec cogitaviſſe. Id quoque in iſta ſententia damnatoria inſcriptum erat, quod Keithus etiam alium è magiſtratu virum nominaviſſet tali vocabulo Anglice, de cujus ſignificatione ipſi Angli ambigunt, quod mihi horum unum, ſi minus omnia hæc, denotaſſe videtur, altercatorem, rixatorem, verboſum deceptorem, ſordidum inter homines, è fœce hominem, balatronem. Quam accuſationem Keithus ita diluebat, ut non id negaret, id nominis viro à ſe datum eſſe, ſed hoc, eſſe datum magiſtratui, quippe qui vir revera non erat magiſtratus membrum, & nihilominus in iſthoc collegio, quod Keithum condemnaverat, adſtiterat, ac veluti unus ex iis in eandem ſententiam cucurrerat, ac ſimiliter in Keithum ſubſcripſerat, & eum damnaverat. Inter hæc objectamenta, has commurmurationes, Philadelphiæ novus inſtituitur conventus juridicialis, in quo cum hactenus de tribus illis viris præjudicium factum eſſet, nunc plane judicium fieret. Præſes erat Jeningus, ex aſſeſſoribus autem unus Coquus, quos ambos eccleſiæ Quakerorum miniſtros eſſe memoravi. Citati huc

nunc

nunc ad dicendam cauſam, Keithus, Bradfordus, Combus, Buddus, Buſſus, aliique de numero Keithianorum, qui & adſunt omnes. Poſtulantur ſinguli atque univerſi ejus maleficii, conſcriptum, editum, diviſum ab iis librum appellatorium, ſeditioſum, ignominioſum, rerum multarum mendacem, in quo ſpeciatim Jeningo, huic concilio præfecto, hæc probra adſcribuntur, hominem eſſe arrogantem & imperioſum & inſolentem, in ſuis ſermonibus, & vita & converſatione, eumque librum excuſum ſublato excuſoris nomine. *Buſſus*, cui prænomen Petrus, præter reliquos arceſſebatur, dixiſſe de Jeningo in colloquiis multo plura, quam erant ſcripta in libro. Mirum. Quæſtio erat coram præſide Jeningo totoque ſenatu, num hi, qui erant adducti, ut rei, an Jeningus ſontes eſſent, hic vir indepravatus & inculpatus, an iſti obtrectatores fœdiſſimi, ſummo ſupplicio puniendi. Forum erat plenum diſceptationum litiumque. Qualia ſcripta cunque aut dicta erant, illi teſtabantur, non in Jeningum, ut magiſtratum, ſed ut in hominem eccleſiaſticum, & eccleſiaſtem, & ſuum, ſi vellet, collegam, ſcripta ac dicta eſſe, non vellicandi criminandique, at corrigendi, at quælibet tentandi gratia, ut inter fratres mos eſt, aut eſſe debet. Et probabant hi rei habiti certiſſimis teſtibus & teſtimoniis, eos, qui tantopere de factis in ſe calumniis querebantur, etiam quam iis objectum erat, pejores eſ-

eſſe, nimirum non ſolum ſuperbos & imperioſos eſſe in alios, at quoque tam parum ſibi imperioſos eſſe, ut vix cupiditatum ac voluptatum modos ullos tenerent. In hoc turbidiſſimo judicio Keithus multas & graves, pares eorum factis, orationes habuit, quarum omnium hic ſenſus, hæc ſumma erat. *Numquamne hujuſmodi controverſiarum rixarumque finis erit? aut adeone ſemper obtinebunt certamina hæc, nobis, ſeu victis, ſeu victoribus, pudenda lugendaque, & optanda atque ridenda his, qui quondam æmulati arctiſſimæ inter nos amicitiæ ac conjunctioni, nunc odia atque inimicitias exprobrent atque execrentur. Quaſi vero cum re omne conſilium amiſerimus, neque amplius locus eſſet remedio huic malo, quod ſi manet, manatque ultra, non modo ſempiternam turpitudinem noſtræ eccleſiæ infliget, ſed etiam uſque eo affliget ac labefaciet, inprimis in his oris, inter hos barbaros, ut ad extremum quis nequiquam exitum quærat, id eſt, exitium omnimodum adferat & evertat. Scilicet huc omnis cauſa deducta. Dum in contentione hac illis, quibus hujus noſtræ regionis ac religionis ſalus concredita eſt, videtur difficile, coæquare gratiam omnibus, id vero difficilius, omnibus palam adverſari, hinc tot advocationes, tot conventus, tot tam varii ac diverſi eventus, donec eo ventum, paucorum audacium contra omnes leges conſtitutione, ut quidam conſtricti animo, conciti conſcientia, veriti, ne ut rei appareant, nunc non ſolum non ſtent ut rei, verum ſedeant ut ipſimet actores, ut judices in ſua cau-*

cauſa, ut tales judices, qui ſuum privatum odium, & libidinem ulciſcendi, & præjudicium, quod multum diuque inter ſe clam deliberando coxerunt, nunc è domo huc deferant in judicium. Et quæ tandem res, de qua tanta quæſtio, quæ tantæ invidiæ, tanti criminis. Inclamat Jeſaias, ille noſtrorum prophetarum ſummus, eſſe, qui quem reum peragunt propter verbum, & corripienti tendiculam ſtruunt in porta. Nuper, in quos laqueos, quas anguſtias ſum redactus, propter verbum, quod, præterquam quod præcipitanter, non perſeveranter, dictum, ſi ad rem fuiſſet examinatum, vera & propria & congrua interpretatione, nedum leni ac benigniore, quæ ipſa ſemper ſequenda, mihi non ſolum veniam, verum laudem attuliſſet. Nunc ob ſimile factum denuo veritatis virtutiſque rei arguimur, ego atque hi ſocii mei. At enim nos illi qui ſeditionis tenemur, qui imminutæ dignitatis magiſtratus, qui læſæ majeſtatis. Imo ut fere ſemper hæc crimina ſingularia illorum, qui quam late ab his criminibus abſunt, & qui præcipue communi & legitimæ poteſtati atque imperio ſtudent. At quod eſt hujuſce rei argumentum? quæ pars probationis? quæ particula, quæ ad hoc vel minimam ſimilitudinem oſtendat? nam ſi ſufficit accuſare, neque veſtrum quiſquam, neque ullus homo inſons erit, ac non ea ſupplicia, quæ debentur his hominibus, opus habet reformidare. Atqui argumentum & probatio, quod in aliquos veſtri ordinis ſtomachoſius fuimus locuti, quod & ſtylum ſtrinximus. Audimus. Hoſtilemne in modum? Non permittit hoc veſtra

mo-

modeſtia, quæ vobis reliqua à ſumma confidentia, dicere. At ſcripſimus, ſumus locuti, multa indigna in eos. Quos? qui & noſtri erant, ac ſunt etiamnum ordinis, qui cum ſunt tales, eccleſiaſtici, doctores, miniſtri, nunc hoc ſtatu præſente, eas perſonas deponunt, & induunt magiſtratuum ac judicum. Quæ autem indigna illa? hæccine, ad quæ ut & illi & nos noſmet invicem hortemur, &, ſi id non juvat, de quibus ut eos, qui noſtræ curæ commiſſi ſunt, publice commoneamus, nos munera & officia noſtra vocant atque impellunt? Nunquid aliquid eſt hoc amplius? Quod liber nomen excuſoris non prætulerit. Verum quid in eo mali? quod rei iſtiuſmodi jus? quæ lex? qualis conſuetudo? quot exempla? Vos appello ſocios, tot præclarorum librorum editores, in Anglia, teque clariſſimum Pennum, hujuſce regionis herum ac gubernatorem ſupremum, cujus tot extant monumenta, non tuum nomen præponentia, non nomina eorum, qui excudêre, continentia. Quæ quum ita ſunt, videant, cognoſcant æqui bonique omnes, qui hoc loco potiſſimum ſunt è reis eximendi, qui in iſtum numerum referendi, quorum alteri ad ſuos ire judices, atque rem totam plane judicari nequaquam recuſant, alteri à genere hoc toto judicii refugiunt, & judices non ſuos ſuis fallaciis illudunt. Etenim vobis quid ſtatuatis videndum, cogitandumque, id poſſe adverſus veritatem probitatemque falſitatem & fraudem, quod adverſus ſolem tempeſtates & halitus impuri ac tetri, & futurum, ſi minus impræſens, utique aliquando, ut veritas depreſſa reſurgat, atque extollat

ca-

Digitized by

caput, & probitas contempta ac contaminata renideat atque aſſulgeat, ſicut poſt nubila denſa radii ſolis hoc magis emicant, & tandem affore tempus, in quo ille judex ſcientiſſimus, incorruptiſſimus, omnipotentiſſimus patefaciet & illuſtrabit ea, quæ nunc abſcondita tenebris, & manifeſtabit cogitata ac conſilia cordium, ac cuique ſua à Deo erit remuneratio. Poſt longam & litigioſam & tumultuoſam quæſtionem ac concertationem, in qua quidam ita linguam putabant ſuam eſſe, ut quicquid vellent pronuntiarent, juratis cognitoribus, paratis omnibus, perrogatis omnium ſententiis, Keitho ac Buddo imponuntur, ſingulis pondo quinque. Bradſordi cauſa ad proximos differtur conſeſſus. Quod cum viris his videretur iniquum, illi forum judiciarium univerſæ provintiæ appellant. Quod hi judices, viſi ſibi judices ſine appellatione, non admittunt. Reſervaverat ſibi rex Carolus, in aſſignatione hujus regionis G. Penno facta, in magna charta ſeu diplomate ipſi dato, judicium ſupremum in eo caſu, ſi qui ex colonis ſibi in ejus regionis judicio ſupremo non jus reddi, aut fieri injuriam, crederent, ac nullum aliud ſupereſſe præſidium putarent. Ergo hi iidem viri provocant ad regis & reginæ in Anglia cognitionem atque eorum judicium conſulare. Et hoc iis denegatum, prævalida, qua nil formidoloſius ac perniencioſius, cum audacia poteſtate. Unde illi illorum arbitratui ac tempori præſenti cedentes, ſuum ſibi retinebant ac conſervabant in aliud tem-

tempus jus. Adveniebant attemperate in hac maxima moleſtia & infractione animorum & demiſſione horum virorum, huc ex Anglia duo de iſta ſocietate, qui Keithum monent, ut pro veteri amicitia & conjunctione & conſuetudine, quæ ipſi cum ſe totaque ſocietate intercedebat, quantum in ipſo eſt, tantum quantum maxime poteſt, ſuum privatum dolorem communis caritate remittat, & ſectetur pacem, fugiatque infamiam tanti diſſidii, tantæ diſtractionis, atque ad id ſua conſilia pollicentur. Quæ hortatio cum Keitho pergrata ac jucundiſſima eſſet, etſi ſciret quam res eſſet incerta & plena periculi, neque prudentis eſſe hominis, ſequi quod nequit aſſequi, tamen ſpem dubiam certo malo maluit præferre, adeoque omnibus prius bene ponderatis, ille ſuis adverſariis varias conditiones pacis offert, per literas ad eos datas. Aſt iſti, ſuis jam rebus è voto fluentibus, animiſque jam odio roboratis, interpretati hujuſmodi mutationem pro inconſtantia indecora ſapientibus, etiam peti à ſe hanc rem indignantur. Quocirca Keithiani videntes, neque ſic opus perpetrari poſſe, & exiſtimantes, ſupervacaneum & inutile & noxium eſſe, ſi quid porro de pace agant, aut, ſi quid impetrent, futuram non pacem, ſed pactionem conditionis ſervilis, ſe inter ſe, atque intra ſuæ confeſſionis fines, quam Keithus & quidam alii ſuo ſuorumque nomine obſignaverant, porro continent. Et hactenus quidem uſque ſub anni tertii & nonage-

ſimi finem hæc geſta res in Penſylvania. Quum vero harum rerum omnium nuntius allatus eſſet in Angliam, ac quidem Londinum, haut facile dictu, quantum ea res illis ſociis hominibus doloris atque ægritudinis, & inimicis anſam invehendi ac inſultandi in totam ſectam attulit, exprobrantibus, jam videri perſpicue, quod diu occultum ſuſpectabatur, de illorum diſtinctione atque diſtantia religionis, & nunc auribus oculiſque deprehendi, quales illi ſe profiterentur, quales ſe præſtarent, contra quam illi ſemper unumquodque in ſe de ſe confictum clamarent. Quæ quoque res cum Quakeris in his locis conſtitutis ingrata, imo valde acerba & intolerabilis auditu eſſet, hi toto pectore atque omni modo laborabant, quo omnem à ſe ſuſpicionem ſegregarent, oſtenderentque, ſi alibi, aut alicubi inter ſuæ ſectæ homines talis incogitantia & diſcrepantia doctrinæ ac morum diſſimilitudo foret, non ideo objectamenta hæc in omnes convenire, & ſeſe vero in Anglia & regionibus his belle conſentire conſonante fide ac oratione, & retinere priſtinam gloriam ſuæ gentis. Sed tantum aberat, ut illi quenquam ſuis orationibus atque proteſtationibus ex ea opinione moverent, ut eam plus augerent. Quippe brevi exorti inter Quakeros ipſos qui ipſi ita ſe huic diſſidio immiſcuere, quiſque ſuas ſequendo partes, atque ita alii alios, odiis, ignominiis, convitiis fuere inſecuti, quin ad poſtremum pro diſſenſione de diſceſſio-

ne

ne ac ſciſmate loquebantur, ut nullus eſſet, qui ullam partem habebat mentis ac judicii, qui non illam excuſationem cum ſumme inutilem, tum multo inaniſſimam ac ludibrio ſimilem putaret. Quæ cum ita eſſent, nihilominus illi de his hominibus, qui præcipuum tenebant locum aut nomen, ſub extremum illius anni quem dixi, quibuſdam eccleſiæ Londinenſis antiſtitibus, iiſdemque antiquiſſimis profeſſoribus, Withado, Parco, Marſchallo, aliiſque numero octo, hanc provintiam tradunt, ut nomine ſocietatis ſcribant atque ſubſignent & edant *confeſſionem* ſuæ omnium fidei, ſua Anglica lingua, velut oppoſitionem ad objectiones adverſariorum. Id illi munus perficiunt, hunc libello præſcribentes titulum, *Chriſtiana doctrina & ſocietas populi, cui nomen Quakerorum, purgata ab ignominia nuperæ diviſionis aliquorum in quadam parte Americæ, tanquam quæ minime poteſt in corpus imponi illius populi, vel in hoc loco vel in aliis.* Et cum de ſingulis articulis fidei quæ ſua mens ſit, quidque profiteantur, declarent & affirment, id in eo articulo, in quo agunt de Chriſto, negant, eſſe hoc, quod quis prædicet Chriſtum internum & externum, prædicare duos Chriſtos. Ubi autem de Chriſti agunt reſurrectione & aſcenſione, itemque de cœlo ac inferno, ſe novæ aliorum doctrinæ opponunt. Denique in fine opuſculi rejiciunt animarum poſt mortem corporum in nova corpora reditionem, & declarant ſe nullos noſſe, qui di-

Digitized by Google

dicant, ſibi ea de re quicquam à Deo revelatum eſſe. Inter hæc nullorum hominum nomina exprimunt, & antequam abſolvant opus, de ſuo nomine omnes cohortantur ad ſanam fidem & charitatem & pacem. Interea quum è Penſylvania variæ querelæ, cum à Keithianis, tum ab adverſa parte, ſingulis temporibus deferrentur Londinum in Anglia, ad concilium generale anniverſarium, hoc quidem concilium, quod inde primo celebratum, animadvertens, quantum talis diſſenſio ſuæ genti, non modo in iis terris, ſed & ubique terrarum dedecori ac detrimento eſſet, & ſi ipſum cunctetur atque agat lenius in tollendo malo, fruſtra ſe, ſi poſtea velit, ſubſidio venturum, omnem movit lapidem, quo tantum malum atque periculum auferret. Verum id quidem concilium omnem perdebat operam. Neque tantum. Jam & Londini, & alibi, & paſſim, in Anglia reperiebantur inter Quakeros, qui ſe quoque hac diſputatione detinebant, & interveniente acrimonia, dum alteri ſine iracundia refellere, alteri ſine pertinacia refelli nec valebant nec volebant, hinc odio, ac poſtremum factione naſcente, ſe inter ſe diſtrahebant, quidam omnino ſocietatem diſſolvere ſtudebant. Hi quidem initio non multi, ſed, ut interdum parva nubecula magnam excitat tempeſtatem, ita paucorum inſolentia hæc ac vehementia majores, interque plures concitationes motuſque excicbat. Quare ſequentis anni concilium generale,

cui

Digitized by Google

cui facile erat exiſtimare, talem diſſenſionem æmulationemque non alio quam in mutuam perniciem exituram, cupidiſſimum pacis atque amicitiæ, etiam plus in eam incumbebat partem, ut id efficeret, quo omnes, miſſis controverſiis, & inimicitiis, & certaminibus, quorum tam anceps exitus, victoriæ præmia nulla, aut evanida, damna funeſta atque perpetua forent, paci ſtuderent, & ab ejuſmodi bello ſine fraude deſiſterent, & quoniam quod hactenus factum erat accuſando, altercando, fieri infectum non poterat, ne in eo perſeverarent, & cunctorum dictorum factorumque memoriam æterna oblivione delerent, & ſuper hoc dextram amicitiæ fideique teſtem ſibi inter ſe darent. Verum neque hoc concilium, quantum omnes vires animorum ſermonumque contenderet, controverſiam potuit dirimere, aut negotium tranſigere, ac litigantes redigere ad concordiam. Quin tantum aberat, ut iſti rem attentatam deſererent, & hos audirent patres, ſeu fratres, ceu judices, ut etiam creverit diſſidium, & quo perſeverantius, hoc acrius. Appropinquabat tempus concilii ultimi, ſive anni præcedentis, nonageſimi quarti. Atqui redierat nunc Keithus è Penſylvania in Angliam, idque Londinum, is unde omnis diſſenſio nata erat. Itaque placuit concilio, habito eo anno, ut in tantis tam diuturnis turbatæ ſuæ gentis motibus, partium litigantium capita & anteſignani, & item Keithus præſto adeſſent, & hoc

 cœ-

cœtu toto coram ſuas cauſas dicerent & agerent. Sic lectæ primum variæ epiſtolæ, ſcriptæ ac miſſæ è Penſylvania ſuper hac quæſtione ad cœtum. Tum auditæ partes, dataque cuique & accuſationum & defenſionum copia. Verum & hic ea diſſidentia, & quorundam tanta vehementia erat, & tam procax pugnaxque lingua, ut res, quanto magis agitarentur, quanto plus retroirent. Extrahebatur concilium ad dies duodecim, cum nunquam antea ultra quartum diem perſeveraſſet. Sic poſt multum ſpatium temporis, cum illa ante lata lex oblivionis nil valeret, nullaque intercapedo rixarum partium, nulla pauſa moleſtiæ cœtus eſſet, tandemque non ultra conſultando, ſed facto opus eſſe videretur, concilii majoris multitudinis, & hinc autoritate præcellentis, conſilio atque ſententia ſtatutum, atque viſum in rem, ſiquidem jam omnis decollabat reconciliationis ſpes, ut Keithus agnoſcat, ſe eccleſiam valde prægravaſſe, & illam tanti diſſidii cauſam transferat in ſe, ejuſque rei deprecetur culpam, ac porro deſinat fugiatque ſuas opiniones, & novitates, & argutiolas, quibus eccleſiam tantopere aut adulteraverat, aut ſpoliaverat ejus decore, imbecillamque reddiderat, tueri ac diſſeminare, & ſequatur hoc, quo & ſuæ, & totius ſocietatis dignitati atque ſaluti conſulat, eamque defendat ac promoveat. Quæ ſententia viro ſane perpeſſitio, ſed non ſemper æque lento ac leni, hunc ſubitum & vehementem impulſum injiciebat, &

ora-

Digitized by Google

orationem hujus fere generis extorquebat. *Sibi nil potius eſſe potuiſſe ſtudio hoc concilii, quatenus reſpiciat ad mutuam pacem atque concordiam, neque ſibi quicquam antiquius eſſe, quod ſibi malit, quam ut cœtui huic obtemperet, & hanc gratiam ineat, ut illi ſuiſque omnibus proſit. Itaque ſe nequaquam hujus talis tantique conſeſſus defugere conſilium atque ſuffragium, aſt ita, dum ea cum æquitate ac ratione conſiſtant, ipſeque ſine ipſorum & ſuo diſpendio poſſit. Nunc vero, cum ipſe ſit liber ab errore, neque ullum penes ſe ſit delictum, aut crimen, ſe nil excuſandum, nil deprecandum habere, neque eſſe ſe, qui ſit vitio obnoxius, ſeque culpa implicarit, ſed eos, qui quæ ipſe doceat, non capiunt, & quæ male intelligunt, cito ac temere credunt, & de ſe ſpargunt. Proinde eos magis increpandos eſſe ac conſtringendos, ut ne pergant ita aliorum fratrumque inſultare nomini atque exiſtimationi, & omnem exagitare eccleſiam, ut ita ſtatuatur de unoquoque ſic ut quiſque ſit meritus. Denique cum id ita evenerit, ut ſui adverſarii hautquaquam ſua privata odia ſuaſque ſingulares opiniones tam ſuæ, quam publicæ paci atque utilitati remittant, illique ea vitia, quæ in ipſos quadrant, conferant in ſe, quæque ſibi imputant & objectant, ad ſe ipſos transferant, ſe ſua cauſa & innocentiæ fretum virtute, & acquieſcentem Spiritus teſtimonio, & atteſtatione conſcientiæ, quicquid acciderit, dummodo ſua culpa abſit, moderate laturum, & interim ſeſe deoneraturum eſſe, facturumque, quod homines Chriſtiani & cordati non facere indignum ac*

 pro-

Digitized by Google

probrum habent, ut ſuum nomen ac famam defendat, ne famæ contemptu ipſam videatur ſuam religionem ac probitatem contemnere ac prodere. Sic deſperata comploratаque pace, finitoque concilio, poſtquam ſcilicet tam diu erat perſeveratum, dum id quod Keithus, item ipſius adverſarii rentur ac tuentur, primum quidem Keithus denuo prodire, ac ſuæ orationis aciem conferre, & acutiſſime acerrimeque ſe expurgare, qua voce in concionibus, qua calamo editis libellis, & quanquam fateretur, ſe lapſæ mentis errore, non culpa, antehac quædam ſcripſiſſe, quæ nunc temporis non probaret, tamen ſuam de Chriſto homine ſententiam, ut adhuc ſibi probatiſſimam, & revera probiſſimam, & primarium articulum ac fundamentum doctrinæ ac fidei Chriſtianæ, prædicare quanta ſumma ope poſſet. Deinde ipſius quoque adverſarii æquali ardore pergere, & Keithum obſervare in cœtibus, in iiſdemque ejus dicta refellere, eumque verbis atrocibus impetere. In quibus præcipui Daniel Whirlæus, & Gu. Pennus, qui Pennus Keithum in media ejus oratione, coram univerſo cœtu, non ſemel appellabat apoſtatam, & apertum hoſtem veritatis ſocietatiſque. Quidam, quemadmodum Th. Ellwodus, & Joh. Pennington, ſuis libellis non modo viri dogmata impugnare, ejuſque diluere argumenta, ſed & ipſum multis modis differre, & facere infamem. Denique ſic alii alios impendio magis reprehendere, & licentiori accuſatione

per-

perſtringere, & odiſſe, & provocare iram, & veluti furorem, ac quiſque ſuos in ſuarum ſtudia partium inducere, & communicare inimicitias. Hæ res perdurabant uſque ad concilium generale pronuper hoc anno nonageſimo quinto Londini celebratum. Quod quum inciperet haberi, Keithus accedit, eo animo, ut dilucide exponat omnia, ſeque expediat quibus oporteat judicibus. Verum ubi acceſſit ad januam, quod factum prima die, retinetur à janitoribus (quippe qui ipſius animum ac conatus præſenſerant) at vero poſtera, ſed multa die admiſſus, ſuos adverſarios (quos ſciebat intra adeſſe, & quorum ipſe quoque ante ſagiebat quam fieret actionem in ſe) antevenit, ac non viva voce, quæ plus firmitudinis habuiſſet, ſed è ſcripto, quo ſe & curatius & moderatius explicaret, hanc, hujus ſummæ, profert orationem. *Nunquam ſibi à quoquam cœtu, neque vel ab eo, qui anno ſuperiori hoc ipſo in loco erat habitus, oſtenſum, ſe vel in doctrina, vel in vita, alicui errori affinem eſſe, aut fuiſſe, tametſi non neget, id quod uniuſcujuſque eſt hominis, errare, neque à ſe alienum eſſe, quin fateatur, olim quædam fuiſſe dicta ſcriptaque à ſe, in quibus ſuam imbecillitatem agnoſcat hoc tempore. Idcirco cum de his nullus cœtus illorum, quos appellare mos eſt Quakeros, juſte ac convenienter collectus, ſe damnarit, utique omnes ſuo ſilentio ab omni erratione liberaviſſe. Scire ſe probe, quidnam conſilii concilium poſtremum ſibi dederit, at vero cum id tantum conſilium fue-*

rit, quod neminem obligat, nullam neceſſitatem importat, non utique mandatum, ſui fuiſſe arbitrii, id ſequi aut præterire. Præteriiſſe autem ſe ideo quod exiſtimaſſet, ſe omnino quod fecerat hac in re, facere debere, neque ullum eſſe è fratribus ac ſociis, qui non, ſi & ſuum & ſuorum adverſariorum factum, detractis præjudiciis, direptiſque autoritatibus aliorum, & ſuarum opinionum temeritate, ad ſacræ Scripturæ ac rationis normam perpenderent, id quod factum à ſe probaret, atque hoc quod factum à reliquis, improbaret. Vixdum lecta epiſtola ingens animorum commotio erat inter omnes. Erant autem præcipui Keithi adverſarii, & locutores in hac contentione, G. Pennus, G. Binglæus, Georg. Rithadus, Joh. Vaughton, Joh. Fieldius, & Joh. Waldenfieldus. Et poterant Pennus & Withadus tam parum ſuis temperare animis ac linguis, ut & Keithus ſe tam parum continere, & tam illorum quam hujus diſcerni prudentia ac moderatio, ut alteri alteros urgerent crimine hoc, illorum quemque diſpergere dogmata deteſtabilia ac maledicentiſſima, iiſque homines illicere in ſuæ ſalutis diſpendium diſpertionemve. Et narrabat Keithus, Bingæum, Vaughtonem, alios, quum illorum quiſpiam alteri non ſatis tempeſtive, aut prompte, aut aperte, videretur loqui, (videlicet quod prius vellent meditari, aut exſpectare motionem Spiritus, ſi quid proloquerentur) ſibi invicem ſolitos nutare, nictare, annuere, ut loquerentur, & quum id ſignum fal-

Digitized by Google

ſalleret, tunicas manibus attraxiſſe, atque ea re excitaviſſe, ne tacerent. Quod ſane non erat id quod habebant in animo, vel quod Spiritus dictabat, loquendo efferre, contra principia ac fundamenta doctrinæ horum hominum. Cum vero harum diſſenſionum neque modus neque finis ullus eſſet, neque contentio hæc, & in ſubdola lentitudine vociferatio, reſpiraret, imo jam rauca facta eſſet, etſi nondum diſcedendi tempus advenerat, Binglæus & Waldenfieldius ſic porro agendum cum Keitho diſſuadent, & cum ſe ocyus diſſolviſſent, ilicet abeunt, ac ſimiliter efficiunt, uti totus cœtus ſe diſjungat & exeat. Poſtquam deſitum agi cum Keitho, quid de Keitho ageretur, deliberatum. In qua conſultatione quidam poſtmodum id dequerebantur apud Keithum, ſibi nequaquam datam poteſtatem fuiſſe ſua animi ſenſa proferendi, & fuiſſe, qui ſua loquacitate, & ſuperbiloquentia, & vultu aſpectuque, ſibi ſermonem ex ore eripuerant, aut linguam occluſerant, aut omnino conturbaverant; quoſdam fuiſſe, qui perterriti ſubterfugerant id quod diſſentiendo ab aliis contra putabant, enuntiare, & fuiſſe quoque qui ipſi diſſimulanter, contorte, erant locuti, etiam qui à data ſententia reſilierant, factumque mutarant. Ad extremum è majoris partis judicio ſtatutum conditumque decretum hoc: *eſſe Keithum ſpiritu nequaquam Chriſtiano, & cauſam diſcrepantiarum diviſionumque, & palam injurioſum in fratres; itaque eum ſe ip-*

ipſum diſtraxiſſe & ſeparaviſſe à ſancta Chriſtianæ eccleſiæ communione, & exiſſe de poteſtate concionandi orandique in cœtibus amicorum; proinde non agnoſcendum ac recipiendum eſſe ut illorum unum, niſi poſt publicam peccati confeſſionem, & ſui oſtenſam emendationem. Id porro ex actis concilii perſcriptum literis ad cœtus Quakerorum, per cunctas regiones terrarum, omnes: *nil ad hunc cœtum Londinenſem relatum fuiſſe de poſtremo diſſidio in partibus Americæ, uti jam ſpes ſubeſſet, res melius nunc quam antea ire. Cæteroquin id quidem judicium ac conſilium* Chriſtianum, *quod datum fuerat* Keitho, *atque aliis, in ſuperiore conventu anniverſario, aperte à Keitho libellis expreſſis fuiſſe reſciſſum & oppugnatum, & eum ſe prodidiſſe, divertiſſe ſe à Spiritu pacifico noſtri Domini Jeſu Chriſti, & perſeverare ſe in eodem ſpiritu diſcordiæ & repugnantiæ, atque his rebus gravi moleſtia ac dolore affeciſſe eccleſiam Chriſti, & ſpeciatim illum ſuperiorem, & pariter hunc cœtum. Atque ita nunc adverſus eum teſtato denuntiatum eſſe, quoad vere reſipiſcat, & reconciliet ſibi fideles amicos ac fratres.* Ita ergo in hoc concilio, recens & paulo ante hoc tempus habito, cum id omnino reconciliationis exſpes, neque vero ullus alius conſilii exitus foret, facta viri, quem plerique, quantum erat Quakerorum, ingenioſiſſimum & ſolertiſſimum ſuæ religionis defenſorem exiſtimaverant eſſe, ſubmotio, factaque diſſociatio, viſumque ſciſma, inter homines adeo inter ſe conjunctos conglutinatoſque. Sane non ſine mag-

magno ipſorum probro, utpote eos, è quibus exceſſerant, ſemper tantopere incuſantium hujus rei, & ſuis ſeveris dictis inſectantium. Quare hi nunc ipſorum adverſarii, & dudum hoc in eos telum vibrare aut retorquere, oportere eos ipſos jam intueri ſe, cum ipſimet tanto pejores eſſent quam quos arguerent, & id exprobrare, cum depoſito jam diu bello domeſtico, ac metu externo, adeo inteſtino & internecino odio & diſſidio & ſeditione, & viribus omnibus, inter ſe concurrerent, pro illa jactata ſemper ſpirituali & cœleſti ſapientia ac prudentia, & illa incredibili concordia & amicitia, ut vel nutu omnia impetrare à ſe mutuo poſſent, viderent, ne viam affectarent, ut, ante foris invicti, nunc intus imbecilliſſimi, brevi ſuis ipſorum armis concidant, ſaltem ſuæ impotentiſſimæ libertatis novum repagulum, & mutatis temporibus, illius tantæ licentiæ, cujus perpetuitatem ſpe præſumebant, deliquium totum attrahant. Et hactenus quidem de horum hominum initio, & progreſſu, & auctu, deque actionibus perpeſſionibuſque, in ſua ipſorum patria, ſuiſque popularibus regionibus, uſque in id tempus, in quo domita demptaque illa, ipſo nomine odioſa & terribilis perſecutio, & non ſolum his hominibus, verum omnibus, diſcrepantibus ab eccleſiis publicis, ſua in iis omnibus terris ſtabilis permanſio, inque religione tranquillitas ac libertas data eſt, eáque legibus con-

conſtituta firmataque. Quanquam exceptis Papiſtis, ac Socinianis, atque conſimili veteris Arianiſmi propagine, cujus rei cauſas ac rationes alibi expoſui. Quæ impunitas atque indulgentia quemadmodum conceſſa his hominibus tum auſpiciis paribus illius Regis, quo melior optari non potuit, cui idcirco longævam ætatem omnes boni vovent, præſertim ita ſemper in armis pro communi bono voventi ſuum caput, & illius Reginæ, nuper demortuæ, at ſuam Deo reddentis animam, & victuræ porro ac perpetim in memoria ſuperſtitum, ac futurorum omnium hominum, propter tot maximarum virtutum in uno homine complexionem, tum æquali conſenſu procerum & optimatium utriuſque domus, ſeu Parlementi, ſuam ad regis ac reginæ voluntatem ac ſtudium quam prompte adjungentium, itidem ante demonſtravi. Illud prius quam hinc diſcedam, ita hanc regis ac reginæ, illorumque ſummatum virorum, prudentiam ac clementiam, tanto magis ipſis glorioſam fuiſſe, & prædicabilem illis hominibus, quod omni anteacto tempore non ſolum tot tantæque vexationes, inſectationes, afflictiones, clades impatibiles, paſſim fuerint injectæ illatæque cunctis hominibus, quos vel revera ſui errores agebant præcipites, vel quorundam ſuperbia atque invidia prava accuſatione premebat, quaſi in magna eſſent hæreſi, cum ſolum in regimine & adminiſtratione eccleſiæ, & ritibus ac moribus externis, ab ipſis dif-

differrent, ac cæteroquin veram & catholicam eandemque cum iis viris doctrinam ac fidem tenerent, ſed etiam quod illæ leges pœnales omnes, conditæ ac conſtitutæ ante tempus reformationis, in hæreticos, ut appellabant, permanſiſſent, neque illarum ulla abrogata eſſet, non illa quidem *de comburendo hæretico*, ut quocunque tempore, ſi cui eminenti poteſtati luberet, liceret lege ac jure ad ipſum illud tam atrox & horrendum ſupplicium quempiam poſtulare, & idem exequi. Quod oſtendebatur exemplis duorum virorum ſub imperio Jacobi I. anno ſeculi undecimo. Quæ exempla, quia diu fere ab omnibus ſcriptoribus occultata, & tamen ſcitu non abſurda ſunt, præcipue hoc tempore, paucis dabo. Illorum virorum unus erat *Bartholomæus Legatus*, ex Eſſexiæ comitatu, moribus irreprehenſibilis, promptus ingenio, verſatus in S. Scriptura, verum improbans concilii Nicæni Symbolum, & negans, plures in Deo perſonas eſſe, & Chriſtum Jeſum eſſe Deum æternum, Londini, poſtquam aliquod tempus carceri commiſſus eſſet, at vero dimiſſus audentius ſuos impios errores defenderet, neque ut ab eo deſiſteret, etiam ipſius regis rationibus adduci poſſet, tandem à cœtu epiſcoporum condemnatus contumacis & inemendabilis hæreſis, & traditus judici politico, juſſu regis, urgentis edictum illud de hæretico comburendo, Martii die decimo octavo, die medio, publice combuſtus ac cineſactus. Alter

ter erat *Richardus Wightmannus*, è Burtonum vico circa flumen Trentam, qui ab epiſcopo Coventrienſi & Lichtfeldienſi damnatus plurimarum hæreſium, quarum prima, quod eſſet Ebionita, ultima quod Anabaptiſta, Lichtfeldiæ, Aprilis die undecimo, ultricibus flammis conſumptus. Verum quidem, legem hanc de comburendo, ut & quovis mortis genere afficiendo hæretico, regnante Carolo II. fuiſſe abrogatam, ſed & hoc verum, eam abrogationem non fuiſſe factam ſine quorundam repugnantia & magna difficultate, & ita factam eſſe, ut eccleſiaſticis quidem illa vitæ mortiſque poteſtas adempta fuerit, & interim iiſdem è tanta poteſtate hæc relicta authoritas, eos homines, quos exiſtiment hæreticos, excommunicandi, ut vocant, atque inde privandi libertate, orbandi bonis, & quæ talia conſequentia peragendi. Quam rem iterum, ut parum notam, & cognitu non indignam, libet adnotare. Facta abolitio hæc regni ejus regis anno vigeſimo nono, ſeculi ſeptuageſimo ſeptimo, in memorabili Parlemento, ab anno ſexageſimo primo continuato per varias prorogationes uſque in id tempus. Quiſpiam vir ex agro Middelſexienſi, cui nomen *Taylori*, quod ſe tot tantiſque vitiis inquinarat, ut nullus apud eum metus, vel notitia, vel ſuſpicio Dei eſſet, ob id mittitur Londinum, & redigitur ſub jus ac judicium concilii ſpiritualis ſive eccleſiaſtici. Quo in concilio cum deliberaretur, quid de homine

uſque adeo impio, ac potius impura bellua, ſtatueretur, ex epiſcopis unus, junior, & in judicando vehementior & incenſior, cenſet hominem incendio eximendum è ſocietate hominum, allegatque legem illam de hæretico cremando igni. Quæ verba cum cæteris epiſcopis aſperiora eſſent, & aliis quidem ſic, aliis ſecus videretur agendum eſſe, Comes Halifaſenſis poſtera die in Parlementi domo ſuperiori proponit ac ſuadet, uti quod ſcriptum fieret, quo illa lex de exuſtione hæretici perimeretur, quoniam tam diu quam diu iſta lex nondum eſſet perempta ac ſublata, poſſet fieri, ut quæcunque religio aut ſecta prævaleret, ejus profeſſores eos quos judicarent hæreticos, ex lege hac ipſa vita devolverent, ipſoque incendio tollerent. Reiſtebant reclamabantque huic petitioni epiſcopi. Verum rogatis ſententiis idem Comes Halifaſenſis, itemque Dux Buchynganienſis, ut & Comes Schafburienſis, aliique viri illuſtres, animadvertentes, multa hoc tempore metuenda & proſpicienda eſſe, & videri rerum naturam ferre, ut multa retardata ac retenta denuo evenire poſſent (ſcilicet, in illa ſubdola ſubſtructione papiſmi, & præparatione ad deſtruendam religionem reformatam, quas ab hoc tempore facile erat cernere) utque illa lex nominatim Reformatis quandoque inſignite injuriæ ac noxæ poſſet eſſe, ita reliquos inducunt, atque id ſuis argumentis evincunt, ut legis iſtius obliteratio decernatur ſanciaturque, contra epiſcoporum

ſententiam ac voluntatem. Quo ſtatuto perlato in domum inferiorem, quidam viri excellentes (inter quos præcipuus Guilj Ruſſelius, ſuæ patriæ ac religionis amantiſſimus, poſt genus mortis haut novum viris magnis atque honeſtis, iſtis temporibus utique, laude immortali celebrandus) illico eodem adjiciunt animum, & cæteris fiunt auctores ut itidem tale decretum faciant. Atque ita regis, & utriuſque domus authoritate illa antiquata lex, & obruta hoc edicto: *debinc induci ac tolli à Rege ac Parlemento Breve de hæretico comburendo, & omne ſupplicium mortis, quod conſequeretur ex aliquibus cenſuris eccleſiaſticis; non tamen ſublata aut dimunita juriſdictione Proteſtantium Archiepiſcoporum, aut epiſcoporum, aut alius fori eccleſiaſtici, quæ ſit propter atheiſmum, blaſphemiam, hæreſin, aut ſciſma, aut aliam damnoſam doctrinam atque opinionem, ita ut nihilo minus iis liciturum ſit tales homines punire ſecundum Regis leges eccleſiaſticas, excommunicatione, privatione, depoſitione, & aliis cenſuris, non pertingentibus ad mortem.* Quanta, ſed & quam fraudulenta, data ſit libertas cunctarum religionum à Jacobo II. & quæ contra fuerit cura & oppoſitio epiſcoporum plerorumque, non omnium, dici non neceſſe eſt. Sed è diverticulo in viam. Etenim quoniam horum Quakerorum incœpta ac geſtæ res in novo illo ac priſcis ignoto orbe haut male proceſſerant, erant qui idem opus maximopere putabant perſequendum in hoc toto terrarum orbe, quem nos incolimus, quemque

Digitized by Google

que è plurima parte habemus antiquitus cognitum, nimirum non tantum in regionibus Europæ, in quibus multi jam navabant operam, verum & in ipſa *Aſia*, *& Africa*, inter extremas genteis, inopes à recta notitia Dei, inque ignorantiæ veræ religionis probitatiſque poſſeſſione poſitas, eas illuſtrandi gratia, & ſollicitandi alligandique in ſuæ ſocietatis fœdus. Atque ita *Joh. Stubſius* & *Henricus Fellus* in animo habebant, ac ſe parabant, proficiſci uſque in *Chinam*, illam ad ultimum Aſiæ terminum, & ad ortum ſolis extremam regionem. Quum vero ſcirent, quam eo difficilis, imo vero interclusus eſſet aditus, præſertim ſibi hominibus, qui quâcunque incederent, ut deridiculum & odium terræ inambulabant, incurrebantque in oculos & aures & ſermones cunctorum mortalium, & quum tutiſſimam exiſtimarent viam, ſi tenderent primum in Indiam orientalem, ac loca peterent illic terrarum ab Anglis & noſtris occupata, factaque ipſorum juris ac poteſtatis, hi viri primum in Anglia præfectos ac patronos ſocietatis Indicæ petunt, ambiunt, ſibi ut liceat in ipſorum navibus eo iter facere. Qui viri illorum poſtulata ſpreverunt. Sic ii in Hollandia iſtius ejuſdem ſocietatis præfectos idem orant. Verum neque hi ipſorum poſtulationibus reſponderunt. Quare ambo, videntes omnem ſpem atque occaſionem occidiſſe, ſuum propoſitum abjecere. Pari atque ſimiliter commemorando exemplo *Alex. Parkerus* iter non ſolum

proponebat ſed & dirigebat in *Africam*, ut ſi qua eſſet opportunitas revocandi homines ad veram cognitionem ac pietatem, elaboraret. Verum rediit is poſt annum, incertum relinquens, ut illi ſolent homines ſemper plus ſcire quam dicere, quid in iis locis egerit, & quamobrem tam cito redierit. Sic hi viri magno hiatu conatuque nihil agere, & quum in hoc ſuis adverſariis, non deſinentibus cuncta illorum hominum facta inſpectare, & obſervare, & meditate objectare, valde eſſent deſpicatui & deriſui, hac ſe excuſatione defendere, cum non effeciſſent quod optaverant, patere quid cogitaverant atque voluerant, neque ſe periculis fuiſſe deterritos, at coactos neceſſitate, eam ut operam dimitterent, & vero, uti hominum cunctorum, ita & ſua facta, neutiquam ab eventu, ſed ab intentione & ingreſſu metienda ac probanda eſſe. Nunc luſtratis hiſce extremis terris, me recipio iterum in Europam, ac primum quidem in patriam. Nam ita ex his hominibus, interim dum illi, quos vidimus, illas remotas adirent regiones, alii in noſtras provintias, & hinc alio ſe conferebant, ſuæ doctrinæ diſſeminandæ diſpergendæque cauſa, tanquam omnium ex numero illorum peritiſſimi paratiſſimique, ſive maxime impigri ad ingenteis labores, & ad res adverſas fortes. Verum tamen cum nullus horum virorum, excepto uno aut altero, ita eſſet inſtructus à Spiritu Sancto, ut ad ullam gentem, ad quam ac-

accedebat, eâdem illius gentis lingua poſſet loqui, niſi interveniente interprete, qui interpres ipſorum dicta raro iiſdem ſententiis ac verbis poterat convertere, & præterea quædam, vel imprudenter, vel ſcienter, poterat perperam reddere, hinc omnes quidem alacri impetu, magnoque conatu ac ſtudio, opus hoc ſuſcipiebant, at parum in eo pro tanta cura ac diligentia proficiebant. Præter quod illi quoque, qui iſtos anteceſſores ſunt inſecuti, quanquam linguas illarum regionum, quas obibant, ſatis callerent, exiguos progreſſus fecerunt. Quare in cunctis nationibus, quas hi præcones adierunt, hodie aut nullos, aut perpaucuIos Quakeros eſt reperire. Jam hi nuntii primum quidem in noſtras veniebant provintias, credo, propter regionis propinquitatem, & libertatem religionis ac licentiam majorem, & multitudinem diverſorum hominum, ſuas quorumcunque religiones ſectantium, quorum etiam multi non multum adeo in religionis dogmatibus, & in vitæ rectione parum diſcrepabant à Quakeris. Ex his emiſſariis ac præcurſoribus primi, qui huc accedebant, fuere *Guiljelmus Ameſius*, *Johannes Stubſius*, & *Guiljelmus Catonus*. Id quod accidit anno quinquageſimo quinto. Quos non longo intervallo poſt ſecuti *Johannes Higginſius*, *Stephanus Criſpus*, *Guiljelmus Balaus*, *Joſia Colius*, & alii. In *Hollandia* Ameſius, & Stubſius, & Catonus, *Amſtelodami* quoſdam è ſuis Anglis ſuæ

 no-

novæ doctrinæ commemoratione ſic commovebant, ut illi eccleſiæ Anglicanæ Reformatorum etiam aliquam commotiunculam injicerent, & paucos è popularibus Mennonitis ſeu Anabaptiſtis in ſuas partes pertraherent. Atque hi nomen Quakerorum primo in his provintiis faciebant innoteſcere. Poſt hæc Ameſius it aliorſum, at vero Stubſius & Catonus referunt ſe *Roterodamum*, quo tum multi mercatores Angli, ſicut & hoc tempore, commeabant. Ubi Catonus in domo mercatoris Angli, in frequentia Anglorum & Hollandorum, ſuo Anglico ſermone, aſt quem alius ejus verbis interpretabatur Belgice, propter Hollandos, ignaros linguæ Anglicanæ, orationem habet: ſed vano incœpto, cujus rei hanc cauſam adferebant, quod interpres eorum, quæ Catonus dixiſſet, ſententiam, & vim verborum, & verba quoque ipſa, non ſatis auditoribus reddidiſſet. Itaque Catonus, relicto Stubſio Roterodami, repetit Amſtelodamum, in qua urbe jam exigua eccleſiola erat congregata, idque præſertim ex Anabaptiſtis Hollandis. Ubi accedens horum cœtum, in eoque multum ſermocinans per interpretem, cum & hic eſſent linguæ Anglorum imperiti, pari modo & eventu agit ac nuper Roterodami. Etenim ante horum virorum Roterodamum adventum quidam ejus urbis cives, ob rationem vitæ ac morum ſingularem aliis utcunque ſuſpecti atque inviſi, in unius ædibus conventum agunt. Diſ-

ſipa-

ſipatur rumor adeſſe intus genus mortalium ineptum, nugax, præſtigioſum. Fit ad ædes magna concurſio hominum, & parum abeſt, quin quam tumultuoſiſſime eas adoriantur. Accedit urbis prætor cum iis, qui ſemper ei præſto eſſe ſolebant. Hi pulſant oſtium, & quum non aperiretur, effringunt, & inveniunt hunc ſibi inuſitatum cœtum, videntque in medio concionantem, non è ſuggeſtu, verum è ſcalis, unum *Iſaacum Furnerium.* Hunc prætor jubet prehendi, cum tribus ex auditoribus, reliquis, exterritis repentino malo, diffugientibus. Hi quatuor viri extemplo abducuntur in locum, in quo alienati mente ac furioſi ſolent aſſervari, quaſi ipſi ſint de iſthoc genere hominum. Ex his unus erat, cui ad pedes alligabatur moles lignea, ut libere quidem progredi, attamen non multum exſpatiari poſſet. Is ea mole, tanquam ariete, murum tam diu percutit, donec pertundit, factoque foramine perrepit, & comite ligno aufugit, ita, ut ne præter ſuam domum. Id exemplum ſequuntur alii, excepto molliuſculo libario, qui ratus, ſi ita injuſſu magiſtratus excedat, ſe ſuam cauſam prodere, & ſe ſuo proprio indicio ac præjudicio damnare, fortiter perſiſtere, quam turpiter fugere, præoptabat. At vero cum magiſtratus jam horum hominum factum diligentius conſideraret, cenſeretque non tale eſſe, ut tam graviter eſſet vindicandum, etiam ſui facti abolitionem decernit, & de hominibus illis

 al-

alterum quidem adhuc detentum jubet dimitti, alteros elapſos occultare ſe permittit. Cæterum hi homines minime attingebant ad ſocietatem ac communionem Quakerorum, ut tum vulgo creditum, & etiam ſcribunt Mercurioli noſtrates, ſecuti ſuos vulgatos auctores rumores. Cujus rei teſtimonium paulo poſt hoc erat, quod Catonus, & alii ſociali fœdere inter ſe juncti, cum huc accederent, & facinus iſtorum hominum recognoſcerent, factum illud tanquam ſtultum atque inſanum arguerunt, neque ullius cum iis conditionis communitatem habuerunt. Quemadmodum & ipſi illi viri poſtmodum non modo ſe non ad Quakeros aggregaverunt, verum etiam ſe ſimiliter iis omnino oppoſuerunt, atque illorum inſtitutis ac diſciplinæ & moribus magni adverſarii extiterunt. Et quanquam Fernerius, ille, qui illos ſic fecerat auritos, præco poſtea ſe ad Quakeros adjunxit, tamen ad poſtremum rurſus ab iis deſcivit, quin ab officio viri probi & frugi ac religioſi totus receſſit, factus medicus, at magis ſuum corpus circumſpiciens ac curans, ſuæque gulæ atque abdomini inſerviens, quam hominum aliorum valetudinem obſervans ac ſuſtentans, & poſtquam ſua abligurierat bona, ad artes miniſtras vanitatis ſe conferens, inque Papiſtarum ſocietatem & amicitiam fidemque abſcedens, in quo ſtatu non ita diu poſt moritur, ac ut bonus catholicus, in meliorem ſedis infernæ partem ſecedit. Sat multa de hoc cœtu

Digitized by Google

tu dixi, ſed volui eos, qui vere tunc erant Quakeri, hoc crimine, à quo erant alieni, abſolvere, & alios ab errore liberare, ſic rem omnem narrando, ut ego geſtam eſſe habeo certiſſimum. Itaque ut revertar ad id quod nobis unice propoſitum, cum neque Ameſius, neque ſocii, quicquam aut multum porro proficerent, Catonus ac Stubſius quidem aliquod tempus deliteſcunt, deliberabundi quid ſequerentur, Ameſius vero relicta Hollandia, abit in Germaniam, in Palatinatum Rheni, ſed nihilo tamen ſecius iterum aliquanto poſt Hollandiam repetit, reditque Amſtelodamum. Atqui comperto, quamobrem veniſſet, & quid demum ageret, illum, una cum cive urbis, Magiſtratus per apparitorem, id eſt accuſatorie ac minaciter, vocat ad ſe, mandatque, poſtquam intrepide veniunt, ut intra horas viginti quatuor excedant ex urbe. Quod dum illi differunt, magiſtratus idem hoc poſtridie per eundem accenſum illis denuntiat. Cui novo mandato cum illi, præterquam quod non parebant, etiam obloquebantur, & neque ſe id meruiſſe, neque poſſe ſe hoc à ſe impetrare teſtabantur, magiſtratus ambos, ut bis adeo inobſequentes, & ſuæ civitatis jura atque exempla pervertentes, jubet comprehendi, & publice cuſtodiri ſex dies, ac tum veſperi obſcure abditeque extra portam abduci, eo cum interdicto, ne redirent unquam. Verum & hoc illi imperium ita negligebant, ut nihilominus poſtero die re-

Digitized by Google

reverterent, utque Ameſius medio die, in conſpectu atque oculis omnium, in foro vaderet ad ipſam curiam. Quod quum unus è conſulibus aſpicit per tranſennas, fertur ſuis collegis dixiſſe, denotans non ſuam voluntatem, ſed meritum iſtius hominis, en iſte Quakerus, de quo ſi nunc martyrem facere libet, licet. Tamen proceres, cum factum ejuſmodi alias acerrime vindicaſſent, maluerunt in eo connivere, indubitanter ſecum atque inter ſe ſtatuentes, quandiu eſſet dubium atque incertum, quale quantumve eſſet hominum inſtitutum aut factum, benignitatem præferendam eſſe, & quale ac quantum hominum cunque incœptum ac ſtudium eſſet, ſemper minus validum eſſe juſſum, quod quid vetat, quam quod præcipit, & multos mortales, ſi non ſuopte ingenio cohibeantur, prohibitione ac pœna magis excitari & accendi; proinde in magna multitudine interdum ſummæ prudentiæ loco eſſe, quædam, quæ ſcimus, neſcire, & in magno imperio ſæpe plus diſſimulando, quam aſſidue caſtigando, auctoritatem retineri. Et profecto non diu erat, quin Ameſius, videns ſibi ſuam præſentiam & animoſitatem ac confidentiam parum proſpere ſuccedere, ſua ex hac urbe ſponte emigraret. Inde ille Schidami, & Roterodami, ac Goudæ aliquamdiu commoratur, atque viam eandem itque reditque aliquoties, multiſque modis rem eandem verſat, hominumque tentat animos, cum interea &

loci

Digitized by Google

loci & temporis, nil fere ſuo illo tanto ſtudio, ac tam multa opera, efficeret aliud, quam quod quorundam animos commovendo, ordinis eccleſiaſtici odium erga ſe ſuoſque concitaret. Quum enim quidam ex iis, qui Ameſium libenter audiebant, aut jam ejus ſequebantur partes, qui plerique Mennonitæ, audax genus hominum, neque ſolum loquax, etiam litigioſum, liberius & petulantius ſuos ſerere ſermones, & agere ſua conventicula inciperent, hi etiam, qui, ne qua de ſuæ eccleſiæ exiſtimatione ac dignitate diminutio fieret, ſuum offiicium ſuamque poteſtatem eſſe judicabant, eos homines incipiebant odiſſe, & eos aſpicere, non modo ut fatuos, at ut inſanos, at etiam ut malignos & ſeditioſos, quidam ut poſtremos mortales, quorum conventus nil aliud eſſent, quam ſeminaria diſcordiarum flagitiorumque. Quapropter iidem ſuos contra illos homines monere, privatim ac publice, ne quo modo cum iis conjuncti reperirentur; & his, qui ſummam in hoc negotio habebant poteſtatem, ſuadere hujuſcemodi hæreticorum, illorumque cœtuum, coercitionem caſtigationemque; ad poſtremum in claſſibus ac Synodis ſe cohortari, ne in defendendo jure, depellendiſque injuriis eccleſiæ, muneri ac cauſæ quisquam deeſſet, at omnino ſatiſfaceret. Actum hoc primulum in Synodo Roterodamenſi anno quinquageſimo ſeptimo. Accidit id *Goudæ*. Quidam *Guiljelmus Tickius*, addictus Quakerorum opinio-

nio-

nionibus ac inſtitutis, quoddam è ſuis contribulibus concilium cætumque convocabat. Quam cum magiſtratus ut infidam ſocietatem acciperet, cumque Tickius, accerſitus à magiſtratu, neque ſatis ſui animi ſententiam, neque caput ulla ex parte denudaret, hic vir miſſus in ergaſtulum. Vicus erat haut longe diſtans Gouda Roterodamum verſus. Eo in vico Ameſius doliarium quendam *Martinum Martinii* filium in ſuam ſocietatem trahebat, & heic hic quoque vir tempore quodam, quo Ameſium ſuam receperat domum, nonnullos è ſuis vicinis in ſuas contrahit ædes, ad diſſerendas res, quæ fidei vitæque inſtitutionem viderentur ſpectare. Ea re & à paſtore loci, & ab aliis cognita, concurſant undique ad domum, cum clamore, agi conventum hominum ſeditioſorum atque improborum. Quo tumultu Ameſius excitatus exit animo ſedato, progrediturque ſuſpenſis veſtigiis, at repente è veſtigio multis convitiis appetitur, ac poſtremo ita excipitur, ut ſi ſe pedibus non excepiſſet, in capitis periculum veniſſet. Quum vero hi iidem viri paulo poſt, nil reverentes violentiam hominum, in eundem locum revenirent, quidam avolant, ac quod illi agunt, nuntiant prætori agrario. Et quum acta horum hominum ita jam ante erant allata, ita perſuaſa, tales coitiones conſpirationes eſſe contra tranquillitatem ac ſecuritatem reip. miſſi viatores lictoreſque, qui & Ameſium, & hoſpitem, prehendunt, ac de-

du-

Digitized by Google

ducunt Roterodamum, atque illic condunt in idem hoc valetudinarium, de quo non multo ante memini. Quod cum ſcitum per urbem, non uni è miniſtris eccleſiæ, tum Reformatæ, tum Remonſtrantium, Ameſium adeunt, viſendi ac colloquendi gratia. Et loquuntur illi quidem multa de multis rebus ſuæ utrorumque doctrinæ ac religionis, idque non uno tempore, verum cum alter ita obſcure ac perplexe ad captum hominum ageret, ut quid vellet, alteri vix intelligerent, & hi paſſim ea objicerent, ad quæ ille aperte reſpondere aut nequiret, aut detrectaret, id colloquium nullius momenti fuit. Ediderat Ameſius non ita pridem libellum, in quo miniſtris eccleſiarum noſtrarum Reformatarum exhibuerat quæſtiones octoginta tres de variis fidei articulis, ut hi eas ſolverent. Ad has reſpondebat *Jacobus Coelmannus*, tunc juvenis, & etiam tunc fœcundo ingenio, & ore facundo, ut & ſpectata & cognita omnibus pietate & probitate (quippe omnes ætate atque doctrina viri has Quakeri nugaces, & modo ad oſtentationem propoſitas quæſtiunculas ſuo ſilentio contemnerent ac pro nihilo putarent) idque ne iſti homines gloriarentur, noſtros omnes, quaſi deſperata victoria, conticuiſſe ſeſeque continuiſſe. Et reſpondebat is non juvenili impetu, ſed moderate ac ſapienter. Sed & hic juvenis ſimiliter Ameſio cæteriſque Quakeris propoſuerat quæſtiones ſexaginta, ut hi quoque haberent, in quo ſe exercerent, ac ſuum inge-

genium oſtenderent. Dum autem Ameſius hoc loco ſolitario tenetur, tempus præcipue ſcribendo abſumit. Itaque præter epiſtolas ad amicos, etiam ad Coelmanni reſponſiones reſcriptum conficit editque, non quidem alienum à propoſito, ſed acerbum, minime ferendum ab his, qui tale quid adeo reprehendebant in aliis. Quod vero attinet ad interrogatiunculas Coelmanni propoſitas Quakeris, ad eas non Ameſius, at Higginſius reſpondet, ſed ita, ut non modo, partim declinando id, quod pertinebat ad rem, partim inconvenienter & abſurde, partimque obſcure atque abſcondite, verum etiam aſperrime maledicentiſſimeque ageret, ac vel per hoc ſuam cauſam proderet. Ameſius tandem dimiſſus ex loco hoc venit *Lugdunum*, & cum illic quoque à ſuſcepto opere non deſiſteret, conjicitur in ſimilem locum, oppletum inaniis atque araneis, teneturque, donec magiſtratus, pertæſus ejus aut ignaviam, aut miſeriam & ægritudinem, miſſum facit. Deinde Ameſius alias provintias noſtri Belgii petit. Id mirum, cum is vir, quo vix aliquis in iſtis hominibus incitatior extitit, tot oppida ac loca perreperet, callens linguæ utriuſque, & Anglicæ & noſtræ, & tantum laboris, & quoque moleſtiæ, inſumeret apud omnes, non plures fuiſſe, qui ſe ipſi ac Quakeris aſſociaverunt, non in urbibus frequentatis tot accolis Anglis, & cujuſcunque generis hominibus, etiam Quakeris in multis valde proxi-

Digitized by Google

ximantibus. Cæterum cum ita ex horum hominum adventu & motu hæ alicubi turbellæ orirentur, atque alicubi majorum turbamentorum atque confuſionum metus eſſet, hæ res inprimis eccleſiaſtarum curam ac ſolicitudinem excitabant, ut ubique, ut res darent ſe, ita invigilarent ac viderent, ne iſti noſtris quicquam ex ſe parerent incommodi. Itaque eæ res etiam occaſionem præbebant Synodo Goudanæ anni noni & quinquageſimi hujuſmodi condendi decreti, ut paſtores omnes diligenter attenderent ad illorum Quakerorum conventicula, & libellos, quos ſpargebant ſcilicet, utque magiſtratus, ut ipſi ſua authoritate eas res prohiberent, rogarent, & ſi iſti homines alicubi noſtris hominibus aliquam exhibuiſſent moleſtiam, miniſtri verbi ſuorum animos in concionibus, catechiſationibus, viſitationibus, bene confirmarent. Poſthac parum de Quakeris auditum. Etenim diu erat, quum qui Quakeri eſſent, erat incognitum. Unde primum quidem adſpiciebantur ut vulgus ſine nomine, ſine ſedibus, ut homines inſulſi, inſani. Deinde ut inſedati ac turbulenti. Quas ob cauſas ad carceres ac vincula flagitabantur. Poſtremum ut novæ cujuſdam religionis ſectatores, qui novas alicubi ſedes quærebant. Quare jam ut polluti procul amovendi videbantur. Utique ita cum progreſſu quidam reponebant inter Anabaptiſtas ſive Mennonitas, inquietos, ſemper aliquid novare cupientes. Alii credebant accedere ad

So-

Socinianos, peſſimos ac ſubdolos hæreticos, à quibus tamen illi tantum diſtabant, ut exceptis Papiſtis, nullos æque fugerent. Illud anno ſexageſimo quarto accidit, uti Sociniani, quorum jam magnus erat numerus in his regionibus, indies augeſcerent, & ſe etiam atque etiam commoverent, & quoque alicubi aliquas turbellas darent. Neque prætereundum ſilentio, fuiſſe ex horum Socinianorum præcipuis propugnatoribus ac defenſoribus, præcipueque unum, qui ut Gallus in ſuo Sterquilinio plurimum poteſt (dixerim ſic prope nomen & viri & cœtus) qui non modo ubique Quakeris vehementer admurmurabant, neque ſolum eorum conſiliis ac conatibus ibant obviam in quadam parte harum provintiarum, ſed etiam ſuæ iracundiæ vim non ante, quam quorundam magno malo reſtringebant. Jam id intelligo ex actis Synodi Woerdanæ, habitæ eo anno quem memoravi, noſtros tum quoque timuiſſe à Quakeris, & curaviſſe ne quodam modo ſuis eccleſiis per eos noceretur. At vero annumeraviſſe Quakeros Socinianis. Hinc decretum factum in ea ſynodo, ut ea adhiberetur cura, ut interdictum Ordinum mandaretur executioni, quo cautum erat ante paucos annos, *ne quis Socinianorum errores aut libros in has regiones invehat, aut iſtiuſmodi cœtus ac coitiones inſtituat, ſub pœna, ſi quis tale quid faciat ac committat, prima vice tanquam blaſphemus in divinum nomen, ac perturbator pacis relegetur extra provintiam, altera vice tantum peccatum*

Digitized by Google

catum luat pro judicum arbitrio ac debito nato. Dein exacto biennio, legati Synodi Dordracenæ libellum ſupplicem offerunt Ordinibus; in eoque libello illius mandati quod dixi, orant executionem. Ordines libellum rejiciunt ad ſui ſenatus conſeſſum. Senatus ob negotia reip. gravia ac difficilia alia, ejus rei cognitionem protrahit ac differt. Poſtea libellus non invenitur. Eum legati reſcribunt, ac tradunt de novo. At ne ſic quidem reſponſum ullum datum. Ita jam triennium tranſierat. Itaque anno ſexageſimo nono in Synodo Goudana ac Schonhoviana altera, quoniam legati tam longo tempore fruſtra in hoc negotio fuerant, & omnes facile intelligebant, quid mora hæc vellet, deſitum ultra de hac re agi. Cæterum diſcedentibus ex regionibus his Ameſio & primis ipſius ſociis, in Hollandia Quakerorum negotia præcipue juvabat conſilio ac re *Benjamin Furlæus*, Anglus, mercator, primum Amſtelodami, dein Roterodami, ſed qui cum mercatura ſtudium jungebat literarum, & in illorum hominum gratiam plurima opuſcula in variis ſcribebat linguis, interim doctoris ac miniſtri inter eos munere abſtinens, hanc edens rationem, quod poſſet ſemper tuto doceri, docere vix ſine periculo poſſet. Quanquam ut tempus atque ætas homines multa docent, idem vir poſtmodum in Quakerorum doctrina ac moribus multa reprehendit ac devitavit. Conſtitit inde ab initio in Hollandia numerus Quakerorum, quem-

admodum & hodie incluſus eſt, in paucis familiis, non tot, ut per univerſam provintiam ad numerum urbium multituda ſit familiarum. Et quum dudum omnimoda moderatione vivendi utuntur, atque ſuam duntaxat non aliorum religiones curant, etiam tanta, quanta volunt libertate fruuntur. Hæc dum fiunt in Hollandia, in *Zelandia*, in urbe *Medioburgenſi*, Chriſtophorus Berhadus, Anglus, vir nauticus (idem ille qui in Anglia Briſtollii ſe adeo tumultuoſe geſſerat in templo, & coram magiſtratu, ut libro primo commemoravi) in cœtu eccleſiæ Anglicanæ, ipſo orationis tempore, ſic ſua ſermocinatione & clamore obſtrepuerat offenderatque, ut hominem templo ejicerent, quo cum extemplo recurreret, ſtultæ audaciæ inſanam perſeverantiam addens, miſſi lictores, qui conjiciunt in carcerem. In q10 cum annum & dimidium habitaſſet, adit ad eum, illius diuturna moleſtia motus, ac pari ſenſu doloris affectus, Catonus, qui, quum quis eſſet noſceretur, in eundem locum compingitur. Deinde ambo ad deprecationem Legati Ordinum ad rempublicam Anglicanam *Neoportii*, dimittuntur, & imponuntur in navim bellicam, & tranſportantur in Angliam, inter multa opprobria multaſque vexationes illorum hominum maritimorum martiorumque. Porro Ameſius, ſic ſemper in agendo princeps, quamdiu ſubſtitit in his locis, dum animadvertit, res minus ex voto ſuccedere in Hollandia,

&

Digitized by Google

& Catonum ejuſmodi fructus ex ſuo opere ferre in Zelandia, iter ſuſcipit in *Geldriam*, deinde in *Tranſiſulaniam*, aditque propemodum omnes in utraque provintia Mennonitarum cœtus, experiens ſi quos ex hoc genere hominum, viſo ſtudioſiore ſuarum partium, & revera accommodatiore Quakerorum ſi non omnibus, at multis opinionibus, & certe conſuetudini, pelliceret. Sed neque hic Ameſius quicquam proficiebat, ut neque aliquid dictu dignum ſubibat. Poſt hæc idem vir cum Catono, qui jam ex Anglia redierat, abit in *Friſiam*, experturus & illic Mennonitas, magis in illo tractu, quam ulla alia parte harum regionum, non modo ſuis inſtitutis, ſed & moribus patriis, & natura gentis, ſimplices, & continentes, & ſeveros, & accedentes ad diſciplinam veterum Anabaptiſtarum, non eam quæ dudum obtinuit in ea ſecta hominum. Verum heic illi viri tantum ſe oſtentant, & eſt exitus illorum ſimilis ingreſſus, ſine commodo atque incommodo. Atqui vero poſtquam hi viri diſceſſerunt, non pauci inventi, qui illam ipſam doctrinam, quam illi venerant nuntiatum, amplexabantur, ac ſe porro illis iiſdem animis ac ſtudiis adjungebant. Hi Mennonitæ, & qui illorum conventiculis occulunt ſe, Sociniani, atque id genus hominum, plenum amoris & humanitatis, nemini adverſum, obvium & expoſitum omnibus, quibus hæc ſtat de Deo ſententia, hic hæret

Digitized by Google

cultus erga Deum, Deum non eſſe malum, & ſe ipſos non malos eſſe, neque aliis facere quod eſt malum. Qui homines cum indies augeſcerent, ac jam ſe proderent, & convenirent, clam, palam, & ſuos communes cœtus ad cultum publicum inirent, neque ſuas coitiones omitterent, & hac via ad res alias malas ac perniciοſas aditus ſibi pararent, Mennonitæ religioſiores rigidioreſque illos ægris oculis aſpicere, & illis ſuccenſere, & multa in eos convitia congerere, & hoc ſtrepitu conciones ſuas celebrare. Verum & noſtrarum quoque eccleſiarum miniſtri atque inſpectores multa exinde de hiſce novis hominibus queri, eoſque omnibus ſuis coloribus pingere, & criminari, ut peſſimos hæreticorum, coopertos omnibus vitiis, & ſuos auditores, ut ſibi omnibus modis caverent ab illis, plurimis verbis magniſque vocibus admonere. Adhæc deliberatum in communibus conventibus ac ſynodis, ut malum naſcens in herbis opprimeretur extingueretur que, ſtatutumque, cum primum periculum eſſet à ſecretis conſiliis, alterum à publicis congreſſibus, his ut obviam iretur, Itaque Delegati Synodi Conſiliariis ſeu Delegatis Ordinum (noſtri tam hos quam illos vocant Deputatos) exhibent ſcriptum, in quo graviter queruntur, *reperiri in hiſce Provintiis, cum alibi, tum in Friſia ſectam impiam Quakerorum*, ab iiſque contendunt, *ut Ordines mature advigilent, ac curent, ne iſti diabolici errores latius proſerpant.* Ad quod Or-

Ordines Friſiæ hanc legem ſanciunt, *ne Sociniani, Quakeri, aut Immergentes* (nam qui aliter convertam nomen neſcio) *in regionem ingrediantur; ſi etiam, ut quinquennium concludantur in ergaſtulum, atque inibi aſſidue vitam laborioſam agant*; & addunt, *ſi quis unum ex his hominibus commonſtraret, ubi eſſet, habiturum mercedem viginti quinque aureorum Friſiorum.* Contigit hoc anno ſupra ſexageſimum ſecundo. Ab hoc mandato in Friſia otium & pax fuit ab his hominibus, ſive illi ſe domi ſuæ continuerint ac quieverint, ſive proceres non magnopere de iis inquiſiverint, & metui ſe ſatis judicaverint. Jam in reliquis quoque provintiis non magna ab hoc tempore habita illorum hominum ratio, cum propter paucitatem, tum propter majorem illorum ipſorum temperantiam. Quocirca etiamſi ab initio paſſim ac propalam omnibus eſſent contemptui, & in ſuis congregationibus, & itionibus reditionibuſque, & ſuorum humationibus ac ſepulturis, à pueris, à vulgo, multa ſæpe indigna paterentur, tamen cum tempore procedente alia cautius ac circumſpectius agerent, alia prætermitterent, etiam illa adverſus eos petulantia paulatim ceſſavit. Neque prætereundum, cum diu multi libelli, ſcripti, non tam ad aliorum inſtitutionem, quam ad ſuæ oſtentationem ſectæ, & multi præterea nempe ex tempore effutiti, inconditi, temerarii, tumultuarii, oſcitationes, nugæ, indignæ, non ſolum ut iterum legeren-

tur, at ut adſpicerentur, prodirent ex horum hominum officinis, & è capſis quæſtuoſorum libellionum, in gratiam aut defenſionem illius ſectæ, vel in elationem ejus, & ſubmiſſionem aliorum religionis (quanquam quidam ex his libellis, ficti ſcriptique à malis hominibus, male referebantur ad auctores Quakeros) poſtmodum id ſcribendi genus, eamque copiam ſcriptorum, prudentioribus è Quakeris diſplicuiſſe, & hos ipſos illas ineptias, illorumque multitudinem hanc, habuiſſe ſuæ doctrinæ ac gentis magis detrimentum quam adjumentum, & dehoneſtamentum quam ornamentum. Tum, paulatim exortos fuiſſe alios, qui ingenio limatiore & politiore judicio, meliori argumento & filo orationis, & facilibus & expeditis verbis, non ut illi balbutientes, de ſuis rebus ſcripſerunt, & aliorum livorem atque animorum averſionem ab iſtorum ſdiligenti ſtultitia vendicaverunt, & ut ſua religio aliquid momenti videretur habere, effecerunt. Venit anno ſeptuageſimo in Hollandiam *Jacobus Parkus*, pergitque inde in Friſiam *Harlingam*. Ea in urbe cum multa animadvertiſſet ſibi inviſa, & inter Reformatos & inter Mennonitas, è qua hominum commixtione fere urbs tota conſtat, reverſus in Hollandiam, ac quidem Amſtelodamum, ſcribit epiſtolam unam ad ambas eccleſias illorum hominum, at vero epiſtolam aculeatam, imo plenam criminationum reprehenſionumque contumelioſarum, quaſi u-

tro-

Digitized by Google

trorumque religio tantum ſit ſterilis profeſſio, ipſa vero vita ex omni ſimulatione omnique iniquitatis genere collectio, & abnegatio Dei, plenam minarum dirarumque, ceu juſſu ac nomine Numinis Dei enuntiatarum. Hæc epiſtola traditur perferenda Harlingam *Cornelio Rudolphi*, & *Jacobo* & *Iſaaco Buylardis*, patri ac filio, ſingulis civibus Amſtelodamenſibus, & ante Mennonitis, nunc ſectæ Quakerorum ſociis. Sic omnes tendunt Harlingam. Propoſitum erat epiſtolam prælegere in aliquo Mennonitarum cœtu, eamque porro legendam exhibere miniſtris eccleſiarum Reformatarum in Friſia. Præterea cogitabant illi inter Friſios diſtribuere ac diſpergere quoſdam libellos ſuæ ſectæ, & ubicunque poſſent, hominum ſolicitare animos, & omnia conari ad faciendum genus ſuæ ſocietatis per Friſiam. Quibus rebus Buylardi præſertim videbantur idonei, propter ſuam diuturnam negotiationem & commercium, & conſuetudinem ac familiaritatem cum multis in iis partibus. Igitur hac opinione ac ſpe ſimul tres adeunt Harlingam, aditum atque veſtibulum provintiæ. Ingreditur Cornelius Rudolphi mox (erat autem dies feriatus unum Mennonitarum conventum (Buylardis interim in quodam hoſpitio ſe ſuo vidulo levantibus, & ſocium opperientibus) & poſt finita exercitia omnia, epiſtolam producit è ſinu, ac non repugnantibus quidem præpoſitis, ſed tamen invitiſſimis multis popularibus, at vero ad extremum au-

dientibus cunctis, legit recitatque, ut quo in pretio ipſi eſſent exiſtimandi, & qui ſe corrigere ſibique proſpicere anniti poſſent, jam omnes cognoſcerent. Id plerique omnes ut rem nefariam accipere, & clamore ac impetu iſtum recitatorem obruere. Ne multa, excitatur circitor urbis, deduciturqne ab eo Rudolphus in locum ſecretum. Dein Buylardi ſuo extracti hoſpitio eodem abducuntur. Inde poſt biduum, quo majorem ſcilicet tantum illorum incœptum contemptionem iis, & averſationem aliis, afferret, noctu colligati, cum ultro nollent progredi, traducuntur Leovardiam, caput provintiæ, traduntur que in ergaſtulum. Ubi principio introitus à præfectis loci civiliter & benigne excepti, qui iis optionem faciebant, ut quod vellent conclavium immigrarent, poſt, cum illi oblatam facilitatem accipere gravarentur, abduntur in ejuſmodi cellulam, ut, nequaquam iſti horridæ ac tetræ ſedi aſſueti, & ſoliti ſuæ domi commode vivere, per inopiam ac moleſtiam intra breve ſpatium temporis ſimul graviter ægrotent. Eos inviſunt varii homines, & loquuntur illi cum omnibus de religione, & dant his, illis, muneri libellos ſuos. Scribunt etiam ad magiſtratus, ac dolent, uſque adeo ſuam innocentiam pro maleficentia, idque tanta, haberi. Poſt hæc ex loco hoc educuntur in cuſtodiam urbis, quam appellant Munimentum. Protracti in judicium, quod habitum à tribus ſupremis ſeu curiæ conſilia-

ſiliariis, nullum à ſe factum inficiantur, ac ſolum id negant ſcire, ſe feciſſe contra legem, quoniam ejus fuerant opinionis, atque id audiverant, id, quod decretum erat lege contra Quakeros, dudum reſciſſum fuiſſe. Et certe cum, cur hi homines in hoc mentirentur, putandi cauſa nulla eſſet, & cum aliquamdiu illius legis nulla vis effectuſque apparuiſſet, quomodo, ut eſt in jure receptum, lex deſuetudine tollitur, potuerat his hominibus ignoſci. Et laudabant illi valde in hoc judicio moderationem ac temperantiam ſenatoris *Vierſſenii*. Verum quum homines hi id quoque non negarent, aut minime poſſent negare, ſe tale facinus inter Mennonitas incepiſſe, & id ſibi propoſitum fuiſſe, eadem epiſtola etiam noſtras eccleſias infamare & perturbare; præterea cum denegarent omnes, quoad in ſe inquireretur, nudare caput, & inſidere ſellas reorum, ſive ut vocant flagitioſorum, judices illorum facinus cogitatum pro perfecto capientes, & ſuam autoritatem denuo nimis lædi exiſtimantes, illos jubent faceſſere, & deduci ac fatigari eodem carcere. Jam Iſaacus periculoſe ægrotabat. Itaque is in loco relinquitur, addito grabato, in quo requieſceret. At mox diſtracti ab eo pater & ſocius Rudolphus, & hi detruſi in conſortium variorum hominum erroneorum ac ſceleratorum, gemino dolore, quod & avellerentur à cariſſimo amico, & properante, ut videbatur, ad mortem (uti is ab illorum com-

plexu qui tantopere erant cordi) & in hanc perditorum, ac uti illi exaggerabant, in humana figura ferarum gerentium immanitatem, colluviem ac haram compingerentur. Et vero cum hi captivi, illi nebulones heic concluſi, dies atque noctes ſuis non modo ſermonibus putidis, ſed & fœdiſſimis actionibus & ſuffitionibus, his hominibus, demum valde imbecillis, Jacobo vero inſuper grandævo, ſeptuagenario, veluti continuam nebulam objicerent, eoſque quaſi diſcruciarent, Rudolphus quidem multo ſe pejus habere incipiebat, ſed Jacobus ſic, ut in lethalem incideret morbum. Ita huic ſeni conceſſus locus laxior atque commodior. At ſero. Quippe jam frigore & fumo, toto pectore obſtructus, poſt triduum extinctus atque mortuus eſt anhelatione. His geſtis ad menſes ſeptem, filius eximitur carcere, at ita, ut ad decennium ipſi tota interdicatur provintia. Rudolphus non modo retinetur in carcere, ſed etiam jubetur, non ante exire quam poſt peractum quinquennium. Querebantur Quakeri, atque etiam ſcribebant publice, ſuis hominibus ſummam injuriam ac vim factam in Friſia à Mennonitis, & Reformatis, & Proceribus, illis ut incœptoribus, iſtis ut concitatoribus, his velut executoribus. Et quum iis objiceretur ſuorum ipſorum factum in congregatione Mennonitarum, & propoſitum erga noſtras eccleſias, illi regerebant, ſe nil aliud feciſſe, quam quod publica, & mandatis Or-

di-

dinum expreſſa, in ſe ſuamque doctrinam convitia & maledictiones coram redarguiſſent, adeoque non ſuum convitium eſſe, ſed reſponſum ad convitium illorum, qui læſerant priores; neque eſſe quod Mennonitæ tale aliquid arguant ac reprehendant in aliis, cum ſolenne eſſet iis, quotidie idem agere inter ſe, cumque ſæpe ita à ſuo officio in hoc recedant, ut vix ulla ſit civitas, in qua non magiſtratui ſuis litigiis maximum negotium exhibeant. Verum ut redeam ad id unde digreſſus ſum, Cornelius manet in carcere triennium, uſque ad primum, idque perniciosiſſimum, ac noſtris provintiis pene exitiale bellum Gallicum, quando epiſcopus Monaſterienſis, ille magnus ardelio, ac tunc novacula mercenaria, ad hanc quoque Friſiorum provintiam legiones ſuas promoveret. Ad quem caſum temporis hominem è ſua cuſtodia faceſſere, & diſcedere è ſuis locis jubent. Ab iſto tempore Quakeri etiam in Friſia ſe magis oſtentare, & magis augeſcere, & liberius agere incipiebant, jam etiam atque etiam invaleſcentes & inveteraſcentes hominum de ipſis exiſtimationibus, & ſermonibus, & auditui atque aſpectui. Excurrebant per intervalla in regiones has, ac ſuos interviſebant amicos, *Foxus*, *Barclajus*, *Pennus*, *Keithus*, alii. Sed ab his nihil memorabile actum, niſi quod *Barclajus* eo tempore, quo Neomagi legati regum ac principum conſulebant de pace communi, ipſe quoque ſua pacificatori à legatione ob communes eccle-

eccleſias intercedebat, & ſingulis horum virorum ea de re epiſtolam, & ſimul ſuas theſes theologicas offerebat, & poſt eaſdem Franequeræ valvis academiæ affigebat, proponebatque omnibus examinandas apud ſe; tum quod *G. Pennus*, *& Galenus Abrahamus*, medicus, idemque præco inter Mennonitas illos, quos noſtri aut omnes, aut pleroſque omnes habent Socinianos, eodem fere tempore Amſtelodami in domo privata diſputabant de ſignis novæ eccleſiæ, & vocationis miniſtrorum extraordinariæ, idque eo pacto, ut Pennus, qui more gentico, nil loquebatur niſi præmeditata & reſtricta lentaque oratione, oſtenderet, ſibi, cum vellet, etiam non deeſſe ad ſubitaneas aliorum & copioſas dictiones reſpondendi facultatem extemporalem, alter vero ſic copia verborum certaret, ut ad res, in quibus cauſæ verſabantur, non veniret, & quod rationibus non poterat diluere, ingenioſe ut ne ſolveret declinaret, aut joco aut ſtrepitu exciperet, ideoque eo eventu, qui nunquamnon diſputationum ſolet eſſe. Solent Quakeri ita de his, quæ iis in hiſce regionibus acciderunt, loqui, ſe nunquam tantum paſſos eſſe, ut non majoris æſtiment beneficium, quo nunc fruuntur; &, ſi quæ paſſi ſunt, ſe nil paſſos eſſe ob aliquod maleficium ac crimen, quod ne illi quidem, qui ipſis erant iratiſſimi, ſuorum cuiquam unquam attribuerint; ac ne quidem ob ſuam doctrinam ac religionem paſſos eſſe, cum, quo tem-

tempore patiebantur, necdum, quæ ſua eſſet doctrina ac religio, illi, à quibus patiebantur, cognoſcerent, ac talis ipſorum cenſeretur religio, qualem error per imprudentiam iis affinxiſſet, & cum, poſtquam quid docerent, quæ eorum religio eſſet, homines non jam è ſuſpicione ac conjectura, ſed ex certis notis apprehenderent ac tenerent, nihil ſibi propter doctrinam ac religionem à quoquam mali fieret. Proinde illos etiam ſic audias dicentes, etſi ea, quæ ſibi hic locorum obvenêre, oblivisci ac delere ex animo non poſſunt, tamen quod nihilominus poſſunt, ſe illa prorſus reticere ac perpetuo ſilentio obducere, ac ſibi præſentibus gaudere. Jam nova progenies hominum, nova ſecta, diſciplina, ac vitæ ratio nova in his provintiis enatæ erant. Eæ comprehendebantur in ſocietate ac communione illa, quam appellabant *Labadiſticam*, ab auctore & collectore *Johanne Labadæo*, Gallo, Vaſcone, ante pontificio, & jeſuita, dein poſtquam deſciverat ad noſtros, miniſtro Euangelii in non unis eccleſiis Gallicis, noviſſime Medioburgi in Zelandia, ſed moto munere, ideo quod ſe Synodi Walonicæ (ita hic appellant Gallicas eccleſias) judicio ac decreto de ipſo facto nollet ſubjicere, viro ſane ingenii vegeti ac ſubtilis, docto modice, at ſupra modum facundo ac diſerto, & ſupra quam dici poteſt, ad unamquamque rem ſermone prompto, de quo porro variæ ſententiæ erant hominum. Ita enim illi porro, qui ei

ei adverſabantur, deſcribebant ut virum varium ac mutabilem ſemper, faſtuoſum, ſuperiorum nemini cedentem, æqualibus faſtidioſum, intolerabilem inferioribus, neque animo, neque moribus ex parte omni eam, quam ore ac habitu præferebat, humilitatem ac modeſtiam oſtendentem, ſimulandi diſſimulandique, etſi hujus minus quam illius, aſtutia peritiſſimum, prorſus ut ad homines boni ſpecie titillandos & alliciendos & circumveniendos, nullus magis idoneus & accommodatus exiſteret. Alii, qui virum amabant & ſequebantur, atque in ejus familiam immigrabant, ſeque in ejus conſuetudinem penitus inſerebant, ac vix diſcedebant ab ipſius præſentia, celebrabant ceu cunctis eccleſiarum doctoribus majorem, & divinitus delatum ad homines, qui divine cogitaret, & ageret omnia, & perpetim mente attingens cœlum, inde devocaret & inſtitueret ac perficeret opus reformationis, aliis aut omnino incognitum, aut nimis odioſum, aut viſum onus ingeſtabile, aut tale, quod nemo implere poſſet. Alii veluti æſtimatione media judicabant virum eſſe præcellentem, tam utile quam neceſſarium inſtrumentum reformationi vitæ ac morum, & futurum indubitatum reſtitutorem, verum eſſe nimis præcipitem & moroſum & iracundum in expendendis ac corrigendis hominibus, & eo pacto illud quod intendebat, negotium ſubvertere. Hujus ſodalitatis quaſi altera parens erat *Anna Maria à Schurman*, nata at-

atque educata in partibus Ubiorum, dein habitatione Ultrajectina, virgo nobilis, prædives, &, quod non tam auditum, quam expertum, & prope cognitum dicam, prædita ſingulari ac mirabili pietate atque probitate, & multiplici eruditione atque ſcientia, & multifariis artibus, & notitia plurimarum linguarum, non modo Europæarum, ſed & Orientalium, neque ſolum priſcarum illarum, verum etiam recentiorum, ut in hoc ſexu, aut nunquam, aut raro, viſum ſit exemplum hôc præſtantius atque eminentius; utque per id amor ac deliciæ, ac tanquam diva, eſſet eruditorum ſui temporis, quod poſtea ipſa declarabat, deplorabatque libro à ſe conſcripto, cui nomen faciebat ΕΥΚΛΗΡΙΑ. Hujus ſocietatis membra erant multi nobilium, & popularium, ſed ſpectatorum ac pecunioſorum, quibus aut ſtudium aut propoſitum inerat pietatis, & abſtinentiæ hominum depravatorum, & contemptionis ac fugæ fluxarum ac fragilium rerum hujus mundi. Plauſibilis ſocietas ingeniis ejuſmodi, quibus inquam in hoc levi & evanido citoque perituro ſchemate totius univerſi, & tanta copia improborum mortalium, tanta quoque ubertate Chriſtianorum, ſolum dicta, non facta prætendentium, quicquid audiunt ac vident, nauſeæ ac tædio, & ſolus Chriſtus, ac ſola ſalus animarum per Chriſtum cordi curæque. Hujus ſocietatis primum domicilium erat Amſtelodamum. Deinde Hervordia in Weſtphalia. Tum Altona ad Albim, ubi

Digitized by Google

ubi Labadæus vitam cum morte commutabat, magnum ſui deſiderium inter ſuos relinquens. Poſtremum Wiewerdum, vicus in Friſia, non multum diſtans Leovardia, atque in eo domus ampliſſima, ante gentilitia Waltarum, dein facta hæreditaria familiæ Sommelſdiciorum. Quo in loco non ita pridem hujus ſocietatis diſſociatio, illiuſque ad inſtar primitivæ ac beatiſſimæ eccleſiæ diſperſio facta eſt, quam multi ab ipſo ortu præſagiebant ac prædicebant, & omnis illa exſpectatio periit, atque gazæ illæ, quas ſinguli contulerant, converſæ ſunt in carbones. Quando & antequam id fieret, nobiliſſima virgo, jam ætate provecta, ac pœne decrepita, ad hujus vitæ finem atque immortalitatem moriendo acceſſit, felix, ſi non in medio curſu gloriæ ad hanc deviam viam deflexiſſet, ac decurſo ſpatio vitæ, in ea ipſa domo, in quam cum tantis facultatibus animi maximas opes congeſſerat, deſerta ab omnibus iſtis hæredipetis, ac omni famulatu, deſolataque, ac tantum à Deo non relicta ac deſperata, in ſuo ſedili lamentario animam, quam Deo commendabat in Chriſto, edidiſſet. Cujus præcellentis virginis, ut & hoc obiter addam, id quod erat mortale ac periturum conditum, non in ædiculam ſepulchralem, ſive tumbam cæmentitiam Waltarum, factam in templo, quod licuerat, verum in cœmeterium externum, ſive agrum circumjectum, ſub glebis, inter reliquos fratres atque ſorores, quod manda-

da-

daverat, id monumentum relinquens modeſtiæ, illius cunctarum virtutum conciliatricis ac dominæ, cujus in vita ſemper imago fuerat. Cum autem quæ horum hominum doctrina, quæ religio, quæ conſuetudo vivendi, quæ intentio, & quæ ſtudia atque incœpta circa eccleſiam & alios homines fuerint, licet copioſe cognoſcere ex iis ſcriptis, quæ & illi ipſi viri, imo & fœmellæ, de ſe, & de iis multi è noſtris viri docti & exercitati prodiderunt, his recenſendis non immoror. At vero quoniam tota relatio hæc eo recidet, ut oſtendam, quæ Quakerorum, de quibus ſolis in hoc opere agimus, & horum Labadiſtarum (ſic voco, quia nomen aliud, quo denotem, nullum invenio) fuerit convenientia in doctrina, quæ inſtitutiò ad unum idemque opus, ac poſtremum quod propoſitum ad conjungendas amicitias ac contrahendas familiaritates, illud breviter ac compendioſe dicam. Quantum ad doctrinam, etſi hi homines initio quidem nihil aut parum novi adferebant, quod à noſtra fide diſcrepabat, tamen procedente tempore multa ita innovabant, certe ſic genera ſuorum dictorum notabant, circa S. Scripturæ uſum, & ductum atque operationem Spiritus S. & preces, & cultum reliquum, & ſacramenta, & diſciplinam eccleſiæ, ut magis quam ad noſtram doctrinam, ad Quakerorum de iis opiniones accederent. Jam conſtat, hos homines non minus quam Quakeros, reprehendiſſe & objur-

gaviſſe in noſtris, in omnibuſque Proteſtantium omnium eccleſiis, quod totæ adeo corruptæ eſſent ac depravatæ, quod nullus effectus, nullus fructus appareret Dei Spiritus, quod cultus Dei nullus, niſi carneus duntaxat & externus, quod nulla mutua attentio, nulla conjunctio animorum, non amor, non voluntas, non opera ad mutuum ac commune bonum cernerentur, denique quod nullius vita ac mores reſponderent omnium profeſſioni, & Chriſti exemplo ac præceptis. Atque ut hæc ipſa Quakerorum erat exprobratio & querela, pariter horum erat virorum, his vitiis ante alios laborare eos, qui cæteris omnibus ſint præpoſiti & ſint præcones verbi, & cuſtodes ac diribitores myſteriorum Dei. Denique hi homines ſic autumabant, eſſe ſe eos, à quibus initium & exemplar reſtitutionis eccleſiæ eſſet exſpectandum, qui & in hoc præclarum opus hujus inſtaurationis prorſus incumberent, perinde ac Quakeri exiſtimabant, ita maxime cum ſe eſſe comparatum, & ſe maxime hoc ſtudio reformationis teneri. Tanta celebritas erat hujus ſocietatis, ut vix locus eſſet in his regionibus, ubi non rumores de his doctoribus & operariis calerent, utque in regionibus exteris vix reperirentur, niſi tales, quorum nihil intereſt ſcire, quid alibi geratur, qui non aliquid de iis audiendo percepiſſent. Itaque cum iidem ſermones & Anglia & Scotia eſſent diſſipati, primum quidem nonnulli ex iis, qui averſi à

ſta-

ſtatu eccleſiæ epiſcopali, intra ſuas ſe eccleſias, magis à ſplendore, & ritu externo, & vita ac converſatione mundana & delicata, & polita ut vocant ac eleganti, remotas continebant, etiam qui miniſterium obibant ſacrum, dein etiam Quakeri, qui cumprimis in iſthoc genere hominum, hujuſmodi ſimplex religionis vitæque genus ſectantium, ſuum edebant nomen, de hujus ſocietatis hominibus ſerio cogitare, & ut propius noſcerent, ac forte ſua cum iis conſilia conferrent, inter ſe deliberare. Scio unum fuiſſe ex iis miniſtris verbi divini, adeo alienis ab epiſcopalibus, addictiſque eccleſiis preſbyterialibus, qui non modo ipſe ad eam ſocietatem ſcribebat, ſed etiam ſua de ea re cogitata cum excellentis nominis Quakero communicabat, qui vir, cum poſt illud tempus multa è facie regni non quidem prorſus vera, at valde veroſimilia providebat, ac præſignificabat futura, id temporis tantus metopoſcopus non erat, ut è ſua facie dignoſceret, ac, nempe homo cum eſſet, divinare poſſet, futurum aliquando, id quod evenit, ipſe is ut fieret epiſcopus. Venit primus è Quakeris ex Scotia ad Labadiſtas Amſtelodamum *G. Keithus*, vir & diſſerendo & diſputando peritiſſimus exercitatiſſimuſque. Illum ex Anglia ſequitur *R. Barclajus*, itidem multa experientia & conſuetudine agendi pro ſua religione cognitus. Hi, alii poſt alios, hanc materiam tractant cum Labadæo, cæteriſque, quibus ſupremum magi-

ſterium ſocietatis incumbebat. Verum ubi Quakeri ſingulis temporibus ſuam mentem breviter & vulgariter aperirent, iſti vero alteri identidem tam altis, & tam longe petitis orationibus, iiſque ambagibus & circuitionibus, & illa ſeu eloquentia, ſeu multiloquentia uterentur, ut Quakeri quid illi viri vellent dicere, & quî illorum ac ſua dogmata & inſtituta & intentionem internoſcerent & ſecernerent, aut an pro iiſdem acciperent, neſcirent (quod & noſtris ſemper acciderat illos homines de rebus illorum percontantibus) illi jam ſuſpicari, eos haut adeo puros eſſe, & omnino aliquibus erroribus eſſe affines, vel aliquid monſtri clam alere ac fovere. Et cum Quakeri alia vice perſiſterent in eo, ut viderent altrinſecus, ſi quo pacto conſentire & concordare, & conjunctim pro communi agere poſſent, Labadiſtæ non ſolum ceſſim ire, ſed etiam ſtomachari, atque ita indignari, ut illi non ultra cum ipſis aliquid tentandum putarent. Sive autem hujuſmodi concurſatione, ſive è contumelia adverſantium, factum ſit, datum dehinc Labadiſtis nomen Quakerorum. Quod nomen eos Amſtelodamo profectos Herfordiam conſequebatur, atque illic ita eos comitabatur, ut homines eos non ſolum paſſim nomine Quakerorum, quod illis horrendum videbatur, ſed etiam ſæpe cum hoc nomine lapidibus ſalutarent. Quod opprobrium ut illi effugerent, ſimul ut oſtenderent, quam & nomen & rem ipſam odiſſent, ipſi

Digitized by Google

ipſi è ſua officina typographica, quam ſecum circumferebant, emittunt ſcriptum nomine hoc, indice argumenti libri, Quakerorum examen & confutatio. Nihilominus adiit poſtmodum hos Labadiſtas in Friſia *G. Pennus*, ille videlicet vir inter Quakeros electiſſimus, & eo animo atque ingenio ut cum omnibus adverſariis vellet ac poſſet congredi. Sed fuit eventus idem. Cui illud addam, cum G. Pennus hoc tempore tam exiguo ſpatio abeſſet à Sylva Arauſionenſi, aula æſtiva celſiſſimæ Principis Fœminæ Arauſionenſis, de qua, ut ea erat ſane, atque eſt princeps, cujus quod eſt ſapientiæ, & pietatis, & animi magnitudinis in aſſerenda ac promovenda religione, illud eſt proprium, multa audiverat, atque princeps illic jam præſens eſſet, is eo ſe advertit, & ut magnum beneficium petit, ut ſibi ſit licitum, adire ac convenire principem. Quæ cum ipſa quoque multa de Penno ex auditu percepiſſet admittit, aſt ita, ut cum quod multorum, idem ſuæ Celſitatis animo inhæreret, Pennum non eum eſſe, pro quo ſe cupiebat probare, & aut Jeſuitam eſſe, aut emiſſarium ſui principis, ad tentandos homines atque magnates, ſe ante præmuniret. Ubi vero princeps Pennum ad colloquium accipit, atque is ſuum ſermonem, non iis artificiis atque elegantiis civilibus & aulicis, quibus à priſtina natura & educatione & conſuetudine potuiſſet, at ſumma gravitate rerum, atque id verbis quantum permittebat religio, exquiſitiſſi-

mis condit, putatque, ſermonem hunc principi non ingratum eſſe, Pennus eo finito rogat, liceat ſibi habere concionem coram principe. Ad quod princeps ut Pennum brevi abſolveret, reſpondet, habere ſe bonos concionatores quos audiat. Et habebat illa non procul Davidem Flud à Giffen, concionatorem dignum tanta principe, utpote præterquam natalibus, eruditione, morumque comitate, juncta cum probitate, & ſingulari concionandi arte præſtantem, nunc eccleſiæ Dordracenæ cum ſumma gratia ac laude paſtorem, nobis notiſſimum & amiciſſimum. Quo accepto reſponſo Pennus id honeſtæ repulſæ loco capiens, hilari vultu ac blandis verbis, ſi quid aliud ſit quod princeps jubeat, rogat, ac principem plurimum ſalvere jubet. Nunc è Friſia, noſtri Belgii provintia, quam ſingulariter Friſiam appellant, pergo in *Friſiam*, quam vocant *Orientalem*. Ea in regione, in urbe primaria *Emdena*, anno hujus ſeculi ſeptuageſimo quarto, pauci exoriebantur Quakeri, quorum præpoſiti vel præcipui *Johannes Wilhelmi Haaſbaardius*, doctor medicinæ, *Johannes Borſumius*, & *Cornelius Andreæ*. Hi ſuos primum clandeſtinos, deinde patentiores cœtus celebrare, tum libellos ejus ſectæ in apertum proferre, quo plures illectarent invitarentque. Ea re cognita vulgataque magiſtratus pleroſque Quakeros ad ſe in curiam accerſiri jubet. Illi adſunt. Acceſſerant etiam juſſu magiſtratus duo verbi divini miniſtri ſeniores, iidem-

iidemque præſes & proximus ab illo cœtus Friſiæ Orientalis, Frelicius Uldericus, & Johannes Alardinus. Conſilium erat ſenatui, cum, quid hi homines ſentirent, quid agerent, quid molirentur ac vellent, necdum aliunde exploratum haberent quam è relatione aliorum, id ex iis ipſis hominibus audire atque intelligere, ne quid in inauditos atque incognitos ſtatuerent, & alioquin, ſi ut fama erat, ii tales revera forent, mature ut obviam irent, & præoccuparent conamina, ac veluti in herbis, prius quam fruticarentur & evaleſcerent, evellerent. Ubi vero Quakeri hi ſtant coram magiſtratu, conſiſtunt capite tecto, ac ne quidem admoniti illud detegunt, non ſuperbia, aut dedignatione ac contemptu, ſed more & aſſuetudine gentis, & quod ejuſmodi honorem hominibus indebitum putarent. Multus ſuper ea re habitus ſermo inter Quakeros atque viros illos eccleſiaſticos. Qui ſermo cum longius duceretur, & nunc ad ipſam rem, ut inſtitutum erat, non veniretur, magiſtratus imperat Haaſbaardio, tanquam primo ac peritiſſimo ad negotium hoc, ut poſt biduum ad conventum paſtorum ac ſynedrii eccleſiæ præſto ſit, atque illic cum iis viris de ſua religione ac ſtatu diſſerat, ſub pœna decem imperialium. Haaſbaardius ejuſmodi congreſſum abnuit, neque iſto die comparet. Præterea pergunt Quakeri, & interea temporis, & poſt, in ædes Haaſbaardii convenire. Quare magiſtratus iis multam indicit imperiali-

um centum, quotiens denuo iſthoc modo conveniant. Iſti id negligunt. Itaque magiſtratus, ratus ſuam autoritatem & imperii manſuetudinem ac clementiam ſperni, aliter cum his hominibus agendum eſſe cenſet. Quod tamen antequam faceret, adhucdum quænam illorum ſecta, quæ ſcita, quæ ſtudia, quæ facta eſſent, noſcere ac ſcitari ex iis hominibus maluit, ideoque poſtridie rurſus vocat in curiam ad ſe, atque una eoſdem eccleſiaſtas duos quos nominavi, jubet adeſſe, quo illi homines de iis rebus examinent, ac ſingulas res expendant. Quippe ita arbitrabantur, illud omnino & ſui politici, & eccleſiaſtici ordinis, muneris & officii & dignitatis eſſe, videre ac perquirere, quid rerum in civitate, in eccleſia, agatur, atque omni cura & quam ſolicitiſſime proſpicere ac cavere, ne qua perturbatio, factio, tumultus, ne quis error pernitioſus, ne fraus, ſeductio, ſuboriatur, invaleſcat, invadat omnes, & vero debere Quakeros hac in re non ſolum obtemperare & obedire magiſtratui, ſed etiam ipſos ſua ſponte, ſuo animo, ſuæ impulſu religionis, & Chriſti Domini monitis, & Spiritus Sancti motione, quibus ſe inſiſtere, quibuſque principiis inniti ſe uſque adeo gloriabantur, hautquaquam defugere, at quam promptiſſime confugere ad id, ad quod magiſtratus cohortatione invitabantur, ut ſuæ fidei ſuarumque actionum cunctarum rationem his pariter viris redderent. Poſtquam ſe

ſti-

Digitized by Google

ſtitere Quakeri, atque conſtitere pileati, ſui inſtituti tenendi cauſa, primum magiſtratus eos increpare, quod non ſolum ſuo mandato non eſſent morigerati, ſed etiam adeo omnem obedientiam abjicerent erga eos, quibus jure civitatis ſubjecti erant, & relinquerent fidei vitæque confeſſionem edere iis, qui tam æqua ratione eos ad eam reddendam depoſcebant: dein ambo paſtores eos modeſte ac ſimpliciter per ſingula capita Theologiæ ac religionis Chriſtianæ rogare ſententiam, ac ſicubi exiſtimabant eos aliquo teneri errore, docere. Quibus cum Quakeri ſua reſponſa opponerent, pars utraque inter ſe diſputare, in eaque diſputatione Quakeri ad poſtremum ſe adeo impatienter gerere, ut in verbi divini præcones & adminiſtros inveherentur, & illorum examen Inquiſitionem Hiſpanicam, & illos miniſtros mercenarios appellarent, & idcirco cum iis nil ſibi negotii eſſe clamarent. Qua immoderatione magiſtratus laceſſitus iterum ſub eâdem pœna, eos convenire vetat, & ſi tamen id agant, ſe de eo deliberaturum ait, quemadmodum illi ſua urbe ac ditione cedant. Acta hæc in frequenti ſenatu. Verum & hæc tanta comminatio eos tam parum perculit, ut ex ipſo loco ac veſtigio iterum ſuos cœtus agitarent. Comperiebatur numerus Quakerorum eſſe ad decem, aut ad ſummum ad duodecim familiarum. Ergo magiſtratus arbitratus, potuiſſe hactenus veniam dari illorum obſtinationi, verum gliſcente uſque

Digitized by Google

eo audacia, miſeriam eſſe ita cum illiuſmodi ingeniis ſemper conflictari, ideoque pœnam jam non ultra differendam, at pro modo ſuæ poteſtatis ac ſtatus civitatis inferendam eſſe, rurſus Quakeris ad ſe vocatis, iiſdemque adhuc ſuis ſe addicentibus legibus, & æque præfractis, ſuo imperio atque edicto indicit, ut intra triduum urbe totaque ditione excedant, ac ſi non pareant, aliud triſtius in ſe malum exſpectent. Et hoc illi interdictum contemnunt, atque iterum ſua facta iterant, ac coëunt nihilo minus. Sic reductis ad magiſtratum indicta ipſa pœna prælectaque, & illi junctim numero denario, cum mares, tum fœminæ, ut inobſequentium & improborum civitas, impoſiti navi, atque deportati extra ditionem urbis, ea obnuntiatione, ne toto vitæ tempore de domuitione atque in provintiam reverſione quicquam reſumant. Sic magiſtratus invitus ac præter naturam & conſuetudinem, acerbius in hos homines agere, tantum ut aliis contumacibus ac paratis ad prava facinora exemplo eſſent, veluti in corpore partem non niſi coacti, ac ne totum trahatur ac pereat, amputamus, Aſt illi ejecti, vix unius diei interpoſita mora, revertuntur. Illic omnes mandati carceri, ſed qui cella ſub domo prætoris urbis, neque aliud conceſſum pro alimonia, quam panis & aqua, neque ulli amicorum poteſtas data ad eos inviſendi, aut largiorem cibatum commeatumque ſuppeditandi. Quanquam ſi quis non valeret, huic tantiſpes

Digitized by Google

tiſper facultas data ſuam repetendi domum, in eaque permanendi quoad reſtitutus eſſet. Poſt breve tempus iterum regione ejiciuntur, excepto Haaſbaardio. Illi tot affecti incommoditatibus, at non prohibiti quidvis ſubire, atque etiam mortem oppetere, & parati prius ſpiritum amittere, quam incœpta omittere, rurſus regrediuntur. Acciti, more jam uſitato, ac veluti joco ludoque facto, conduntur in eundem carcerem, ac poſt navigio educuntur urbe & provintia univerſa, exempto iterum Haaſbaardio, ut in quem, ceu principem cæteris, magiſtratus indignatio atque iracundia præſertim cadebat. Et querebantur ſcribebantque Quakeri quoſdam è magiſtratu, præcipueque conſules (illi res & nomina virorum referebant, ego quod ſatis erit, ſolum res dicam) hoc tempore multo vehementius cum ſuis hominibus agere, & cumprimis in allocutionibus exardere. Addebantque etiam miniſtros verbi ſenſim duriores & rigidiores erga ſe extitiſſe, præter unum, cui id quoque tribuebant aſſcribebantque, quod in publica concione adverſus Quakerorum perſecutionem declamaviſſet. Illi viri nomen præteribant. Ego & de re, & de nomine dicam quod mihi indicatum per viros venerandos, qui hodieque ſunt & eccleſiæ Emdanæ paſtores ſeniores, & cœtui eccleſiaſtico illius tractus præpoſiti, fuiſſe videlicet neminem è miniſtris eccleſiæ ac paſtoribus, qui præter quod verbis Quakerorum dogmata

mata refutavit, quicquam amplius egerit, & inter eoſdem miniſtros fuiſſe tunc Hermannum Holthuſium, nunc piæ memoriæ (de quo viro mihi liquet, fuiſſe in eo ſummam ſeveritatem tum ad cæteras res, tum ad vitæ converſationem atque uſum, conjunctam cum ſumma lenitate ac bonitate erga homines omnes) qui Quakerorum afflictionem & caſus moleſte & cum magna commiſeratione ferens, illam inſectationem nimiam eſſe judicabat ac prædicabat, verum in privatis colloquiis, nunquam publice atque in ſuggeſtu communi. Jam malum ſequebatur omen, mandatum ærario præfecto datum confiſcandi bona captivorum & exulum. Cum neque Haaſbaardius, neque mater ejus appellata, multam dinumerare vellent, illius bona omnia in domo obſignata, illeque rurſus actus in exilium, unde tamen brevi rebitat, novo ac majore ardore, ob amiſſam morte chariſſimam ſui partem, conjugem, & relictos parvulos, matre nunc ex ejus bonis, tranſlatis ad ſe, pendente prætori ærarii ſummam ducenorum imperialium. Alîus, virginis ejectæ, bona, poſitâ ante curiam haſta, voci præconis ſubjecta. Præterea edictum ſub finem anni, ut ne quiſquam Quakero domum ablocet, aut ſua domo excipiat. Jam regreſſi, quos dixi, expulſi Quakeri omnes. Sed omnes rurſus protruſi in eundem locum, etiam mulier quædam gravida, verum non adeo vicina partui, ut putabant Quakeri. Quemadmodum & ea nimia glo-

Digitized by Google

gloria martyrii, quod narrabant de cujuſdam Quakeri trimulo, aut necdum tertium ætatis annum egreſſo, quod è conturbatione facta in domo adeo tremeret totius corpuſculi convulſione, ut is dies ei vitæ ſupremus exiſteret. At ne de re una toties repetita plus dicam, ac verba conferam ad compendium, facta hæc ejectio, reditio, expulſio nova & reverſio, hoc anno & duobus ſequentibus, vel vicies. Etenim durum videbatur magiſtratui, aliquid gravius conſtituere in ſuos cives, quorum nullum aliud factum poterant coarguere, quam conſtantiam in ſua religione, & Quakeris, ita patriam & domos, quæque ibi cara deſerere, & non eandem ſibi ſedem & vitæ & religionis & ejuſdem exercitii, ut ſine quo illa non poteſt eſſe, repoſcere, ac ſtudere retinere. Scribebant hac de re ad magiſtratum Emdanum Quakeri audacter & ample, cum Hollandi, tum Angli, Foxi, Grenii, Crocii, Penni, ſinguli ſententiis ac verbis graviſſimis. Unum argumentum, idem ſcopus erat omnibus. *Qua animorum flagrantia eos agitaret, quave eos teneret imbecillitas mentium, cur adeo his hominibus infenſi eſſent, qui quod eos merito offenderet, nedum jus illorum imminueret, nihil unquam feciſſent. Nam quod ſuas amarent domos, quod urbem, quod identidem ad ſuas familias, ad patrium ſolum recurrerent, atque illud magiſtratus voluntati anteponerent, magiſtratus illius rei cauſam poſſe cognoſcere, modo ne veritatis impatientes, his hominibus,*

nibus, averſa ab eorum ſermonibus pervicacia, defenſionem, ſibi judicium præcluderent. Neque enim id eſſe, quod ſe putarent autonomos, nullis legibus, nullius imperio ſubditos, aut quod nullo metu, nullius mali exſpectatione tangerentur. Non ſic in officiis ſuis claudicare vel labi, neque adeo ſenſu communi humanitatis exui. Aliud eſſe, Deum ductumque Spiritus atque conſcientiæ, qui eos impellat, & eſſe religionem, quam habeant à Deo, in qua principium, caput, præſidium ac munimentum libertas; neque ea tacita, at aperta, at publica, at communis, ut ne hominum præſentia, non congreßibus, non conjunctorum conſociatorumque aſpectu & colloquio, & celebratione munerum officiorumque quotidiana deficiamur & abſtineamus; quas utique res qui negat vel aufert, non modo libertatem, verum etiam religionem omnem tollit & evertit. Quare & rem hanc hiſce hominibus non vituperationi, non crimini, verum laudi potius ac pulcherrimo facto duci debere, eos ſecum poſſe exiſtimare, ſi revocarent ad animos, quodſi homines hos humanus quiſpiam affectus, aut ſpecioſæ cupiditas gloriæ, in has cogitationes detruderet, poſſe eos, ſiquidem demigrent alio, vita tranquilla & honeſta, remota ab hujuſmodi procellis contentionum & ignominiarum, degere, cum nunc tot tantaſque præoptent miſerias atque ærumnas. Et poße ſe affirmare, quod non ſublati, non arrogantes dicebant, quodſi magiſtratui illud, quod nunc agant, certum ac deliberatum ſit, & ſuis hominibus certius eſſe, potius quam ſua loca deſugerent, aut cum intermißione

ſua

Digitized by Google

ſuæ religionis conſiſterent, etiamſi ultima pati, & non ſolum aſsiduos cruciatus, ſed etiam mortem crudeliſsimam operiri atque obire. Etiam Haaſbaardius è carcere mittebat epiſtolam ad ſenatum, cujus poſtrema verba, ptopter exitum, memorabilia: *appetere tempus, in quo Deus hominum oculos aperiat, ut ſpectent, quam ipſe ac Quakeri injurioſe ac falſo incuſentur, dum iſti judici ſuam integritatem committerent.* Sequente tempore uſque eo, ſecundum edictum de non recipiendis Quakeris, vindicatum in eos, qui culpa hac tenebantur, ut matri Haaſbaardii, propterea quod eundem ſuum filium ſua recepiſſet domo, infligeretur multa quinquaginta imperialium, & cuidam mulieri, membro reformatæ eccleſiæ, quod ſuo marito Quakero ſuum ac commune hoſpitium & tectum lectumque non denegaſſet, quinquaginta florenorum aureorum. Inter hæc Haaſbaardium præterquam exilio, oppreſſum tot ſolicitudinibus ac moleſtiis, quæ ducunt ad morbum ac mortem, eripit extremus dies. Quo exſtincto, cum ipſa perſecutio videretur exſtincta, eadem revixit aliquanto poſt in tribus ejus ſororibus, quarum duæ ignaræ mariti, una nupta viro, ſed jam cum viro aliena habitatu. Namque cum hæ, & item ſocii ſex, ſe invicem viſendi & una exhortandi gratia, convenirent, ilico lictores cum militibus viam ad eos intendunt, & ingruunt, & abducunt in cuſtodiam, & mulierculis loculos cum pecunia, & thecas argenteas, & horologium pre-

pretii magni, quæ illæ non ad inſignia ingenuitatis, neque ad ornatum & ad oſtentationem, ſed ad uſum habebant, abripiunt, & dum partem lucri improbi liguriunt, partem ſuppilant, & de præda prædam auferunt, reliqua perferunt ad prætorem. Iidem tamen homines poſt dies aliquot dimiſſi, retentis, loco multæ, quam nolebant diſſolvere, iis quæ mulieribus erant adempta. Ultima oppugnatio erat anno nono & ſeptuageſimo. Exin odium paulatim miteſcere ac ſeneſcere cœpit, cognito perſpectoque Quakeros eos non eſſe, quos magiſtratus ac cives eſſe exiſtimaverant. Mirum, neque tamen novum ac inſolitum. Mortuo Angliæ rege Carolo, ſuffectoque Jacobo, quidam Quakeri opulenti, profugi ex Anglia, huc Emdenam confugiebant. Hos ſenatus non jam repellebat, at libentiſſime accipiebat, & non ſolum domos, ſed & uſum religionis, & aditum ad eam, & templum publicum concedebat, & quidem fundum inædificando offerebat, ſperans illud nunc ad incrementum & divitias & ſplendorem ſuæ civitatis, neque tamen ad detrimentum ac dedecus ſuæ religionis futurum. Præterea anno ſequenti, poſtquam mulier Quakera, civis Emdena, luculenta conditione, & quidam alii cives divites ac honeſti, quibus inſectatio erat ingrata, rem bene præparaviſſent, ſenatus ante tanta ſeveritate præditus in cives ejectos, nunc eoſdem non minus hoſpitaliter invitat, quam pepulerat hoſtiliter, & ſe iis liberum

Digitized by Google

berum ſuæ religionis exercitium permittere, in eoque tueri velle promittit ſpondetque, & idem diplomate, cujus legendi mihi copia facta eſt, confirmat. Tametſi hæc jam vana ac ſera liberalitas ac beneficentia erat, quoniam illi Angli poſt, audito Guiljelmum Principem Arauſionenſem regem factum, qui ſolo nomine animos hominum alliciebat, priſtinas ſedes repetebant, & exules Emdani, jam alibi metu ac cura vacui ſua perbene negotia omnia agebant, ideoque magiſtratui magnas quidem habebant gratias, obliti veterum injuriarum, & memores novi beneficii, verumtamen præſens refugium portumque hunc, cui jam aſſueverant, ſervare, quam eo remigrare malebant. Hodie in Friſia Orientali Quakeri nulli, niſi quod Emdenæ familiæ quatuor aut quinque. Viſus ex illis Quakeris, qui primi noſtras adibant provintias, G. Ameſius idoneus, qui inde abiret in Germaniam, excurreretque in *Palatinatum Rheni*, ut qui non tantum ſua patria lingua, ſed & noſtrate, atque etiam Germanica ſatis promptus eſſet. Hîc ille ſe primum applicat ad principem Electorem. Qui cum nonnihil de hoc hominum genere inaudiverat, percupidus videndi colloquendique, ut indoles eſt illorum principum virorum, quod ita ſæpe multa audire & diſcere ac cognoſcere poſſunt, Ameſium vocat ad ſe, ac poſtquam diligenter cum eo eſſet ſermocinatus, non inhumane dimittit. Quo peracto, Ameſius relicta aula at-

que urbe, rus peragrat, atque illic multa quidem inchoat, at nihil perficit, ideoque Hollandiam repetit. Tum vero aſſumptis ſociis Catano & Higginſio, denuo proficiſcitur in Palatinatum, ac compellat Principem, & ei, ut & aulicis, offert libellos ſuæ gentis, quaſi hoc munuſculo principis inſignem remunerationem ac benevolentiam in ſe ſuaque conamina attrahens, ſic ut navis grandis remulcando trahitur. Verum non adeo princeps gaudebat iis auris. Præter quod aures principis & ejuſdem oculi in iis rebus, quæ attinent ad religionem, ſenatus inquam eccleſiaſticus, obſtabant, qui principem edocent de horum hominum inſtitutis ac conſuetudinibus, monentque, ut potius velut procellas ſuæ patriæ, & tempeſtates regionum juberet quieſcere, & prius quam alicui faceſſant periculum, ipſos faceſſere & longe diſcedere. Ita illi alio, ſed tamen in hoc ipſo tractu, ſua curatum abeunt, & poſt varias circuitiones *Kirchemi*, prope Wormatiam, aliquos inveniunt agricolas, qui iis auditis ſe in eorum diſciplinam tradunt, neque porro ſuo infatigabili curſu ac labore quicquam aliud efficiunt. Horum inſiſtentes veſtigiis G. Pennus, & Barclajus, & Keithus, eo tempore, quo cum Foxo venerant in Hollandiam, in has oras inſtituebant iter, aſſumptis, cum omnes eſſent linguæ Germanicæ ignari, in comitatum interpretibus indigenis. Sed ab his nihil ſcriptione dignum actum. Atqui illi Quakeri pauci quos

dixi

dixi degere in his locis, exin in ſex aut ſeptem familias excreverunt. Quæ cum paulatim arctius ſe inter ſe conſociarent, conjungerent, congrederentur, gentilitia templa nunquam adirent, neque ſolverent vectigalia in ſubſidia eccleſiaſtica, idcirco tum rectores paſtoreſque eccleſiæ loci, tum ſacerdos territorii Wormatienſis, eos homines infeſtos habere, & ad aliud ex alio crimen cauſamque vocare, in eoſque incurrere, & quotieſcunque iis non numeraretur, quod neque ab his poterat, certantibus cum uſuris fructibus prædiorum agrorumque, pro pecunia eripere è bubilibus, ſuilibus, ovilibus, quod vellent cunque. Cum interim homines illi adverſus damna ac paupertatem, ſua diligentia, ac veluti quadem ſingulari gratia, identidem increſcebant, ut ſingulis annis tamen, & unde ipſi viverent, & quod metu litigii, aut majoris vis atque impetus, cederent adverſariis, haberent. Verum poſtquam annos aliquot in hoc ſtatu vitam traduxerant, illi homines eo anno qui præceſſit bellum Germanicum, quo tota illa regio uberrima lætiſſimaque ferro atque igne vaſtata ab iis, qui quanto plus ad vaſtandum, quam ad vincendum, periti ac parati ſunt, cumprimis his proximis annis oſtenderunt, ſua quidem ſponte ac certa ratione, ſed & quaſi tantum bellum proſpicientes, atque tantam calamitatem impendentem pertimeſcentes, ſuam illam patriam villaſque & caſas, quas vix furcis

cerviſque ſuſtentabant, deſeruerunt, ſibique voluntarium ac perpetuum indixerunt exilium, ac tranſierunt in Penſylvaniam, eam regionem Americæ Anglicanæ, quam ſupra deſcripſi, in qua plaga orbis, diſtributis datiſque ſingulis à poſſeſſore provintiæ G. Penno ſuis agris colendis, illi nunc libere ac ſatis large vivunt. Dixi modo de Penno & aliquibus ſociis eos ex Hollandia profectos fuiſſe in Germaniam ad ſuæ ſectæ homines. Eodem tempore Foxi privigna Iſabella Fella, & uxor Keithi, & mulier Hollanda quædam, Amſtelodamo proficiſcuntur *Hervordiam* in Weſtphalia, illic conventum Principem *Eliſabetham*, illam Friderici regis Bohemiæ, & Electoris Palatini, filiam natu maximam, glorioſiſſimam, celeberrimamque ab ingenio, & doctrina, & pietate, & profecto, ſi per ſe animi bona abſque fortuna ſpectanda & æſtimanda ſunt, principem ſui ſeculi feliciſſimam laudatiſſimamque, ſi forte apud eam ſuo alloquio ſuiſque libellis quicquam efficiant quod cedat in uſum ac bonum ſuæ religionis ac ſocietatis. His mulieribus Foxus, exiſtimans, ſe ſui nominis fama non minus notum eſſe apud principem hanc, quam erat celebris apud Anglos, tradit epiſtolam perferendam ſuo nomine ad Principem, quo mulierculis ad eam facilior ſit aditus, & ipſarum ſermonibus majus accedat pondus. In qua epiſtola Foxus aliquanto comptiori quam ſolebat genere orationis utebatur, neque illam veterem

&

& uſitatam ruſticitatem & auſteritatem retinebat, non diſtinguens inter homines ſummo loco natos & excellentes, atque inglorios & quoſvis bajulos, ſed ut blandiſſime poterat, principem compellabat, ſalutabatque, & multis verbis principis pietatem ac modeſtiam, & has virtutes ut dignas principe collaudabat, docebatque, quantum his temporibus homines univerſi ab his officiis receſſerint, quantum, comparato præſenti ſtatu eccleſiæ, minime nunc temporis ab his rebus diſcedendum ſit, ac poſtremum principem admonebat, ut cum ipſa demum in hoc opere allaborabat, in ea pergeret. Has mulieres adventantes ad aulam principis, & rogantes conveniendi copiam, princeps, cujus ea erat humanitas ac comitas, ut nemo ei tam inæqualis, tam humilis eſſet, cui non petenti alloquium concederet, admittit auditque vultu benigno, inprimis delectata ſermone Iſabellæ, ut illi magna erat ſuavitas oris & vocis, & iiſdem auditis brevi ac concinno reſponſo dimittit, poſteaque ſoluta ac lecta Foxi epiſtola, iis ſuam epiſtolam hanc, ſcriptam eadem ac Foxi lingua Anglica, curat dari, eam ut Foxo tradant. *Non poſſum care amice, non tenerè eos diligere, qui amant Dominum Jeſum Chriſtum; quique id habent, quod non ſolum in eum credunt, ſed etiam pro ipſo patiuntur. Quapropter valde placuere & literæ, quæ mihi à te venerunt, & amicæ, quæ ad me inviſerunt. Sequar & harum & illarum conſilium, quoad ejus Deus*

mihi lumen & unctionem præbebit, interim manens tui amans amica Eliſabeth. Jam & G. Pennus in ſuo itinere Germanico cum iis quos ſecum habebat flectit ad hanc principem, & ut in pauca referam, bis in conclavi interiori principis, præſentibus aliquibus oppidanis, orationem habet de rerum mundanarum vanitate & depulſione, & mentis ad res altiores elevatione, & ſua polita eloquentia & audientium approbatione illud conſequitur, ut princeps declaret, ſe ei officio, de quo Pennus monuerat, ſemper fuiſſe deditam, neque adhuc ceſſare in iſthoc officio & opere. Quo dato reſponſo illi viri abeunt. Etenim cum hactenus horum Quakerorum incœptum in hac parte Germaniæ ipſorum opinione non male ſucceſſiſſet, iidem eadem ſpe proficiſcebantur in *Holſatiam* vicinaſque partes. In his oris inter Mennonitas ſeu Anabaptiſtas, qui pauci erant, adhuc pauculi reſtabant ac deliteſcebant ex iis ſectatoribus, quibuſcum ſeculo præcedente Germania conflictabatur, qui nempe è ſchola, vel potius hara Davidis Georgii, & è ſtabulo, non è familia, ut vocabant, charitatis, atque ejuſmodi conſimilibus, aut non multum diſſimilibus colluviebus prodierant, & etiamnum illorum inanibus ſtultiſque imaginationibus inhærebant, & juxta eorum frivola ac putida inventa atque exempla, ſimulatam magis quam veram conjunctionem atque fraternitatem coibant. Ex his illi excurſores Quakeri nonnullos offendebant

Ham-

Hamburgi (quæ urbs illa Holſatiæ clariſſima) nec non *Fredricopoli* (quod oppidum ad Eydoram, partim ſitum, partim excultum à patriæ noſtræ Arminianis ſive Remonſtrantibus) qui cenſentes hos viros proxime accedere ad ſuas opiniones & inſtituta ac mores, adeoque jam præculti ac præparati ſuopte ingenio, facile ſe iis adjungebant. Quanquam & quidam erant, non his, at Mennonitis animitus dediti, qui ſe jam congregabant, atque ad hujus Quakerianæ doctrinæ aſſertores tota cogitatione ac omnibus viribus accommodabant. His omnibus, quod latitabant inter Anabaptiſtas, & licet jam alii, tamen quia eorum conſuetudinem ac ſimilitudinem adhuc in multis referebant obſervabantque, licuit ſemper ignorantiæ atque innocentiæ beneficio quiete vivere; donec ante duos annos Fredricopoli urbis prætor, tunc noviter creatus, ut ipſe quoque aliquid novaret, & aliquid ſui adferret, intentatum adhucdum illorum Quakerorum ſtatum turbare, iiſque nonnihil creare litis & moleſtiæ ac periculi cœpit. Quo animadverſo Remonſtrantes Amſtelodamenſes, ac nominatim qui & paſtor & profeſſor inter eos laudatiſſimus Ph. Limburgius, & illorum hominum incolumitati, & ſuæ ipſorum religionis exiſtimationi conſulentes, ut ne, quos plerique mortales ſemper ab omni perſecutione alienos putaverant, nunc cuncti æqui & iniqui, alios factos eſſe, ac nempe crudeles, dicerent, id factum in eos homines

Digitized by Google

editum graviter accipiebant, & pro illorum illibata ad hoc tempus libertate intercedebant, ac remiſſionem & vacationem iis iſtius mali impetrabant. Ad hos homines Foxus ex Hollandia per Friſiorum Chaucorumque tractus tendebat terrâ, plus cum ſuis ſe oblectans amicis, quam utilitatem quampiam aliquibus adferens. Pergebant iidem excurſores & emiſſarii quorum jam feci mentionem, tendebantque in Caſſubiam regalemque Boruſſiam, ad æſtuarium Oceani ſive mare Balticum, ubi *Gedani* ſimiliter pauci admodum è reliquiis illorum veterum fanaticorum, & è Mennonitis (homines, qui parum quid in religione ſequendum eſſet, poterant diſcernere; tenues, quorum ad victum vix manus & operæ quotidianæ ſuppetebant) animos moreſque eorum doctrinæ ac conſiliis adjiciebant. Hi ab eo tempore ſine fine à Lutheranis, penes quos ſupremum magiſtratus jus ac poteſtas, graves afflictiones multatitias, & carcerarias, tolerabant. Pro his G. Foxus tanquam pro amicis & fratribus atque æqualibus, anno ſeptuageſimo ſeptimo mittebat epiſtolam ad Regem Poloniæ Johannem tertium, apud eumque hominum deprecabatur ærumnas. Qua de epiſtola, quam Foxus curavit edi poſt ſuam mortem in ſuo longo diurno, id operæ eſt annotare. Primum ſcripta erat in Anglia Anglice. Deinde miſſa in Hollandiam, atque illic reddita Germanice. Denique iſtinc tranſmiſſa ac tradita regi. Argumentum erat,
exi-

Digitized by Google

exigere æquitatem omnem, ut reges & principes & magiſtratus omnes ſuis omnibus ſubditis concedant libertatem religionis, neque ipſorum cœtibus & exercitiis ullum impedimentum opponant. Oſtendebatur, ſic ſenſiſſe patres, & antiquos doctores eccleſiæ, item recentiores, ut & ejus ætatis viros doctos, qua ſumus ipſi; & indulſiſſe ſuis gratiam hanc & hunc uſum reges ac principes complures, ob id abunde laudatos à laudatis & probis ac ſapientibus viris. Adferebantur annotatæ & delibatæ undique orationes ac ſententiæ, verſæ è Græca, Latina, Gallica, aliis linguis, nec non exempla ac documenta ex hiſtoriis repetita. Adhæc erat epiſtola ſcripta ita, ut non unius ſingularis hominis, verum plurium, & alicujus multitudinis, aut totius Quakerorum ſocietatis, alloquium & monitum repræſentaret. Jam huic epiſtolæ ſubſcriptum erat ſolius G. Foxi nomen, idque ſolum, abſque ulla alia nota ac deſignatione perſonarum authoritatiſve, prorſus ut Foxus, ille vir ſcilicet illiteratiſſimus & ineruditiſſimus, qui præter libros Anglicos vulgares ullum alium inſpexerat nunquam, neque poterat legere, nollet vetaretque dubitari, compoſitam ſcriptamque eſſe hanc ponderoſam, confertam tanta copia doctrinæ, & elaboratam tanto ſtudio atque induſtria, epiſtolam à ſe, & eſſe ſe eum, qui illos omnes libros legeret quotidie, & devoraviſſet, aut ſic ſcriptam à multitudine vel

univerſa ſocietate eſſe eam, ut unius Foxi, hominis ſimpliciſſimi, judicio ſubjeciſſent, atque ita demum ratam firmamque habuiſſent, ſiquidem Foxo placuiſſet, & is illam ſui nominis magnitudine & auctoritate comprobaviſſet. Adeo nullum tam humile ingenium, quod non rapitur gloriæ vento; quin gloria plauſuſque ſæpe maxime ab his, qui maxime contemnunt & eorum contemptum conantur introducere, appetuntur, nempe gloriantibus de hoc ipſo, quod adeo omnem gloriam contemnant. Utut ſit, Regi epiſtola grata, gratioſa cauſa epiſtolæ. Quocirca rex ſua vel autoritate, vel gratia efficiebat, ut illi ſe ab iis perſequendis abſtinerent. At parvo tempore, quandoquidem eadem perſecutio paulo poſt recruduit. A quo tempore Foxus novam ad regem ſcribebat epiſtolam, & à rege illorum hominum ſociorum injuriam atque pericula deprecabatur, nunc plane in ſcribendo ſuus, neque ut ante in opus concedens aliorum, atque ita incogitans & externatus mente ac verecundia, ut ſibi ſuſque deque eſſet, vel falſo laudari, vel vero vituperari. Sed non ita probata regi epiſtola hæc, ut valuerit vel ad depurgandum, vel ad deprecandum. Hi Quakeri uſque in præſens tempus prædæ atque ludibrio incolis pene omnibus. Quo autem minus prorſus ad incitas redacti ſint, aut ad unum intercidant, in cauſa ſunt pauci inter eos non omnino inopes, qui è ſuis anguſtiis aliorum paupertatem ſuſtentant, & Quakeri Hollandi, illi

illi qui hiſdem fortunis ac rebus domeſticis ſunt ſuperiores. Nunc ut nihil prætercream eorum quæ ad Quakerorum pertinent ſtatum ac rationes, antequam ab his hominibus in Germania diſcedam, non abs re erit ſcribere hiſtoriolam iſtorum hominum, emerſorum nuper è Germania, & etiamnum verſantium aut oberrantium in non unis Germaniæ partibus, illorum quos appellant *Pietiſtas*, & quos multi habent ut Quakerorum, aut Enthuſiaſtarum propagationem ac ſobolem, his temporibus renatam, vel tanquam præciſam recreſcentem ac repullulantem ſtirpibus. Quibus de hominibus multi ſane, etiam qui quid ſcribunt de iis, ſe plus oſtendunt audire & opinari, quam cognoſcere. Neque tamen in relatione hac dicam omnia, omitto quod copioſe, at tantummodo præcipuas res perſtringam. Etenim quum in tanta multitudine Chriſtianorum, cum alibi, tum in Germania, qui ſe beati Lutheri diſcipulos eſſe, & ſe illius doctrinæ ac veſtigiis vitæ inſiſtere prædicant, plerique omnes magno quidem amore ac ſtudio ejus religionis ducebantur, verum nihilominus ſumma inſcitia, & intoleranda ſuperſtitione, ſolaque aliquorum rituum & cæremoniarum obſervantia tenebantur, & revera cum vera religione ac pietate & ſanctitate parum nihilve habebant commune, atque ea res non procul apparebat, aſt ita patebat omnibus, ut oculis aſpici ac manibus tractari poſſet, imo vero eadem jam exemplis & moribus quaſi

ſancita ſanctaque eſſet, quidam viri, pii erga Deum atque homines, iidemque docti ac periti, ita ſuos inducebant animos, uti quiſque quanta maxima cura ac diligentia huic malo & peſti eccleſiæ, ſerpenti etiam indies longius per omnium hominum vitas, mederentur aut exſecarent. In his anno ſexageſimo primo *Roſtochii* in ducatu Mechelenburgenſi, quem imperiti topographi aut etymologi vocant Megapolitanum, ſuum profitebatur nomen *Theophilus Broſgebandus*, eccleſiæ, puta Lutheranæ, illius urbis diaconus, ut qui in libro, ſcripto Germanice, varios hujuſmodi errores in ſuis Lutheranis notabat ac carpebat, atque una opera de eo, quod veniebat in controverſiam de S. Cœna inter Lutheranos & Reformatos, moderate ac placide loquebatur, & ſuam promebat opinionem, & rationes addebat, vir concordiæ ac pacis, inter ſocios, quos inter una eſt fides, maxime ſalutaris, ac vel ſolo nomine jucundæ, amantiſſimus ac ſtudioſiſſimus. Verum hic vir parum ob hæc laudis tulit, quin inultum hunc ſuum laborem ac conatum haut abſtulit, ut qui mox multorum inter ſuos animos valde commoveret, eorumque in ſe acerbitates & obtrectationes & moleſtias contraheret, quas lenta ac dura patientia devorabat. Dein horum ex numero erat *Henricus Mullerus*, eâdem in urbe ſacrarum literarum in eccleſia & academia doctor atque profeſſor, rara doctrina & pietate excultus vir. Quippe qui poſt Broſgeban-

gebandum, anno poſt quintum aut ſextum, pariter ſuæ religionis homines de iſtiuſmodi erratis & moribus in religione incompoſitis argueret, ac ſpeciatim in libro, ſimiliter Germanice ſcripto, (quo in illorum manus deveniret, quos res præcipue attingebat) tractans locum Apoſtoli Pauli, qui eſt in prima ad Corinthios, capite duodecimo, verſiculo ſecundo (quo in loco ſcilicet S. Apoſtolus, quo ſibi aditum patefaciat ad oſtendendum iis hominibus, quantopere jam à Spiritu Dei ſint condecorati ditatique, iis revocat in memoriam, quemadmodum olim abducti fuerint ad muta idola, in quibus ipſos ſpiritus impuri agitabant inhoneſtabantque) ſcriberet: hodiernos Chriſtianos non minus ſua muta habere idola, quibus adhæreant, quibus omnia tribuant, neglecta vera religione, & poſthabita ſolida pietate, nimirum *pulpitum, unde ad populum fit concio, baptiſterium, confeſſarii tribunal, & altare.* Ob quæ verba quidam è viri ſociis in munere illi magnarum injuriarum nomine dicam inſcribere, eumque ſibi hoſtem deſumere, neque ſolum multum de fama atque exiſtimatione ejus detrahere. Et quum ea tempeſtate Quakerorum nomen in Germania paſſim innotuiſſet, & idem præſertim apud rudem multitudinem & imæ ſortis homines, ſine veri falſique diſcrimine cuncta arripientes, maxime invidiæ atque odio, neque periculo vacuum eſſet, quiſpiam præſul Hamburgenſis (poteſt enim abſque viri nomine res ipſa

ipſa dici) modica eruditionis fama, & immoderato ac ſuperbo ingenio, & lingua grandiloqua, ita in Mullerum ira efferebatur, ut eum cum aliorum errorum, tum maxime Quakeriſmi inſimularet atque adduceret, atque ita agitando homines, veluti minaciis leges diceret, ne ſic pergeret. Quas ob res Mullerus volebat quidem at non valebat ad ſuum propoſitum pervenire Nihilominus illam à ſe contumeliam voluit depellere, eamque maculam delere, eſſe ſe illum, qui quid alienum perverſumque doceat, & iſtum eſſe, qualem ille depinxerat inimicus. Quod ſic efficiebat, ut nactus præclara teſtimonia de ſua orthodoxia variorum profeſſorum in academiis, & doctorum in eccleſiis, ea cum libello apologetico publicaret, atque eadem ſuorum inimicorum maledictis ac probris in ſe opponeret. Jam horum virorum ſubſecuti veſtigia paucis annis poſt *Philippus Jacobus Spenerus* paſtor eccleſiæ addictæ confeſſioni Auguſtanæ Francofurti ad Mœnum; item *Johannes Henricus Horbius*, miniſter eccleſiæ eidem confeſſioni deditæ Trarbachii ad Moſellam; uterque ea induſtria, & vitæ converſatione, ut magnæ eruditionis ac probitatis maximæ famam facile tueri poſſent, neque in eo hominum gratiam ac gloriam crederentur aucupari. Hi publicis concionibus, & colloquiis atque exercitiis privatis, in hoc negotio omni opera incumbebant, quo malos frutices hos ac tribulos è ſuorum animis runcarent & extirparent.

Digitized by Google

rent. Ordiebatur Spenerus ſuum opus ab iis rebus, quæ præcipue in ſenſus hominum incurrebant, & Papiſmum, Lutheranis adeo exoſum, propter ineptos & ſtultos & profanos ritus ac cæremonias, neque ſolum à recto cultu ac ſanctitate remotos, imitari ac referre videbantur: videlicet in templis ac conventibus publicis, & nimirum in illo apparatu & ornatu tabularum, organorum, altarium, veſtituum ſacerdotalium; atque inde pergebat ad alia, quæ homines ſolo uſu tractationeque mera metiuntur; & tantopere brevi tempore proficiebat, ut non exigua pars populi, non ſolum illam omnem pompam faſtidirent templorum, ſed etiam miſſis multis aliis ritibus externis, ad genuinam ſe hominum Chriſtianorum fidem vitamque componerent. Neque tantum. ſed ut etiam ſæpe in ſuis ædibus convenirent in unum, ac ſe invicem, quiſque pro ſua virili parte, è ſacra Scriptura ad eandem fidem vitamque ſinceram, & jura atque officia hominum, erudirent ac cohortarentur. Pari modo Horbius ſua inſtitutione ita ſuorum animos menteſque acuebat, ut quam plurimi in iis locis, ac Rhenum propter, perſæpe unas ſe in domos congregarent, quin hunc uſum ac conſuetudinem ſibi vulgarem aſciſcerent, ac præteritis iis ſermonibus, qui in quæſtionibus diſceptationibuſque, aut otioſis minimeque neceſſariis indagationibus verſantur, & magis ſcholæ ſunt quam vitæ, tantum in eo occupati eſſent, ut cognitis percep-

ceptiſque veritatibus abſque quibus fides ac vita Chriſtiana non poteſt eſſe, hujus ipſius fidei ac vitæ qualitatibus ac modis dignoſcendis inſiſterent, & in iis oſtendendis exercendiſque ſe mutuo inſtruerent ac hortarentur. Spenerus Francofurto accerſitur Dreſdam, in aulam Electoris, ad obeundum munus ſupremi concionatoris, habitus, cum ea in aula multa eſſent corrigenda atque emendanda, non lenitate & artificio comico, at tragica gravitate ac ſeveritate, cumque ad hoc non adeo magnus delectus & optio eſſet virorum, ad id vir maxime religioſus & optimus. Interea *Lipſiæ* in univerſitate ſeu academia quidam ſtudioſi, deſtinati conſecratique ſacro eccleſiarum miniſterio (duo erant initio) etiam in hoc conniti & elaborare incipiebant, & hanc potiſſimum ſui ingenii exercitationem, & hoc curriculum ſtudii academici ſtatuebant, ut hac ſcientia, his moribus imbuti ſuos deinde auditores, ſuæ commiſſos fidei, paria docerent, & ad eadem inſtigarent. Itaque & illi quotidie ſuos inſtituere ac concelebrare cœtus, atque in iis, non modo è Scriptura ſacra, ſed quoque è fonte Scripturæ ſacræ proprio ac vernaculo, optimo ordine, loci unius aut plurium ſenſum, ac mentem Spiritus, & vim fidei ac pietatis genuinæ, eruere, & ad certos hominum caſus atque uſus accommodare, quiſque pro conſcientia atque experientia, quam habebat de iſtiuſmodi re, indicta omnibus lege, perſcripta his ipſis verbis: *ut in ſolius Dei triu-*
nius

nius gloriam, in novi hominis ac piæ eruditionis Theologiæque exegeticæ incrementum, nec non in exemplum ſanctæ converſationis, ſacri Bibliorum V. & N. T. fontes legerentur, exponerentur, & in varios uſus converterentur. Appellabant collegia *philobiblica*. Horum ſtudioſorum ſtudia ac conamina aliquanto poſt æmulati alii, etiam provectiores, ipſique magiſtri, adeo ut quidam eadem cum conſenſu profeſſorum in auditoriis academicis ſuis prælectionibus tractarent. Quorum præcipui *Auguſtus H. Francus*, diu diſcipulus ac contubernalis Speneri, & *Johannes C. Schadæus*, Franci condiſcipulus, ambo magiſtri artium liberalium docti ac diſerti. Quin hujuſmodi collegiorum nova jam acceſſio fiebat è civibus, & ipſis mulieribus, tamen ſuos ad id advocantibus & adhibentibus directores è Theologis ac paſtoribus. At vero quod plerumque talibus conventibus accidit, tantus procedente tempore quorundam in his frequentandis collegiis ardor erat, ut ſtudioſi quidam gymnaſia publica privataque, populi pars templa minus adirent, quidam contemnerent, nonnulli eo procederent, ut ipſam ſacram cœnam Domini parce ac reſtricte celebrarent, alii non magni pretii haberent præ his congregationibus copulationibuſque. Qui tamen ſtudioſi pleríque erant exilis aut nullius conditionis, & ingenii atque doctrinæ pertenuis, aut ſolum cujuſmodicunque vernaculæ & plebeiæ, aut ſeræ, & quod hujus conſequens ac vitium primum, tumultuariæ

eruditionis, magiſtelli puerorum, viſi ſibi ob id cornices, imo qui cornicum oculos confixiſſent, quales ea urbs & regio plurimos alit: populus autem, ac præſertim mulieres, rudis ac jejuna plebecula, qui paſſim ſequebantur corvos teſtaque lutoque, & vivebant ex tempore, & interim oſtentatione exiſtimationis ac glorio-læ alicujus inſignibus movebantur. Et quanquam quidam ex illis magiſtris atque anteceſſoribus, ut quos proxime nominavi, nolebant videri cum hiſce pariter ſentire ac facere hominibus, tamen quia non obſtabant, non obloquebantur, cum tacere non expediret, illa taciturnitas ſaltem non levem ſuſpicionem adferebat, & illi haut abhorrere & diſſidere ab iiſdem extremitatibus credebantur. Unde aliorum jam ſtudioſorum, civium, doctorum, profeſſorum ac paſtorum primo invidentia, tunc odium, deinde prava interpretatio & maledicentia in omnes, noviſſime collegiorum illiuſmodi omnium interdictio & prohibitio. Aſt illa conſilia reperta inaniſſima. Quin quanto hi intentioribus atque infeſtioribus animis ibant, quanto hos magis incitabant, ſectamque dum ſtudebant extinguere, acrius incendebant. Nihilominus, ne illi homines nimium perturbarentur, & ne hi cum nimiis dimicarent periculis, quædam diſſolvebantur aut minuebantur collegia. Inter hæc anno octogeſimo nono A. H. Francus, & quidam ſtudioſi, allegatu ſenatus & concilii profeſſorii Lipſiaci veniunt

Lip-

Digitized by Google

Lipſiam. Ubi ab aliquibus delegatis ſinguli innumeris, etiam captioſis & fallacibus quæſtiunculis interrogati ac fatigati, quid de unoquoque religionis articulo ſentirent, quid reſpuerent, & de eo ſuis inquiſitoribus cumulatiſſime ſatiſfacientes, dimiſſi, ea conditione, ut ſic pergerent, & ſuæ cum dignitatis tum utilitatis rationem haberent, neuquis publice privatimve aliter populum imbueret, aut agere permitteret aliud. Poſtero anno miſſæ Dreſda à magno conſiſtorio ſeu ſenatu eccleſiaſtico, cujus princeps ipſe princeps Elector, literæ ad ſenatum academicum Lipſiacum, quibus literis mandabatur, ut cuncta talia collegia abolerentur, hique, qui reſiſterent, carceri, ut vindici facinoris, & repagulo ac muro ulterioris audaciæ, committerentur. Quæ res aliquibus eum faciebat timorem, ut animos deſponderent, & ab omni concilio atque conſilio ſuperiori decederent. Contra alii ſic tamen magna conſtantia ac contumacia, profecta à magnitudine plenitudineque animorum, iu ſuo propoſito atque inſtituto perſiſtere ac progredi. Et horum alii quidem impigre in reformatione pergendum, & operi iſti omnibus viribus incumbendum eſſe exiſtimabant, ſed moderate agendum, non populari concitatione, neque rem adeo neceſſariam omittendam eſſe, quam multos invidos & adverſarios & inimicos haberent, & quantæcunque injuriæ, incommoda, pericula ſibi evenirent. Alii eam inſuper conveniundi do-

cendique privatim inter quoſvis mortales, etiam cives, idque tum mares, tum fœminas, viam ac rationem ratam firmamque cupiebant haberi, neque inde putabant abeundum, etiamſi maximæ inimicitiæ adeundæ ac tempeſtates ſubeundæ eſſent. Ita viſum his, qui ſe illis opponebant, prius quam ipſi magis corroborentur, alio modo contra eos agere. Dicam primum de modeſtioribus. Etenim ſic illi qui erant moderatiores (erant autem omnes qui Spenero adhæreſcebant, certe plerique) ſuum propoſitum atque incœptum probabant, & ſuorum adverſariorum in ſe indignationem atque iram, ac quorundam calumnias ac furiales voces retundebant, dicendo ſcribendoque, ſe penitus Lutheri (ut is ſemper adverſantibus erat in ore, & ſolus in doctrina cœleſtis ac divinus vir) & Lutheranorum doctrinam ac confeſſionem amplecti, ac ſolum id velle, ut quantum ad modos propoſitionesque, quædam capita clarius & explicatius docerentur, cujuſmodi: cognitio Dei ac ſui apud ſuum ipſius animum, notitia juſtificationis & ſanctificationis, illarumque inter ſe connexionis ac cohærentiæ, itemque regenerationis; tum ſui abnegatio, vita fidei, Chriſti Jeſu potentia in ſuis, Chriſtianæ preces, Chriſtiana perfectio, unio animæ cum Chriſto, & operatio in ea Chriſti. Ita autem de vita ac converſatione hominum cenſebant, homines miſerandum in modum in cunctis officiis Chriſtianis ſegnes & languidos

Digitized by Google

ac frigidos eſſe, & ſi quid agant, ſibi mirandum in modum placere in ſuis operibus externis, & illorum operum fiducia niti, neque ea quæ ſunt ſolidæ fidei ac veræ pietatis conſectari. Adhuc deplorabant intermiſſionem ac neglectnm diſciplinæ eccleſiaſticæ. Ad poſtremum addebant eccleſiarum miniſtros ac paſtores nequaquam ita ut fas erat, ſua obire munera, in inſtruendis & excitandis ſuis auditoribus ad hæc maxime neceſſaria negotia, neque in concionibus, neque in catechiſationibus, neque profeſſores doctoreſque in ſcholis ſtudioſos in his erudire, non animare, formare, præparare; neque ſtudioſos ad hæc animos adjicere atque componere ſe, quin talia fere indecora ſibi exiſtimare, ac ſecundum id modo ſuæ acceptæ inſtitutioni intentos, ſuiſque priſtinis ac juvenilibus moribus inhærentes, necdum edomita mala indole, neque obliterata memoria vitæ antecedentis, ſolum repletos vano ſcientiarum ſttepitu, cæterum vacuos Spiritu ſenſuque interno, ſe ad miniſterium accingere, ac ubi his artibus tanquam in ſuam poſſeſſionem venerunt, tum è ſuggeſtu reddere depoſita ab hominibus, & ſtrenue dictioni operam dare, & evagari lingua, & vociferatione, & ſi bene ſint cati ac verſati, etiam de vocabulo aut ſententia quadam omnia, ſed nullo argumento, nulla ſubjecta materia, quæ facit ad ingenerandam pietatem, copioſiſſime diſſerere, veluti declamatores de ludo, aut de foro rabulæ, & in hoc

ſuum totum munus conſtituere, eoque abſolvere, de cætero ſuos auditores parum, ſe ſuamque ætatem optime, curare, quin ſolum familiarem ſuam vitam oblectare, neque hoc quicquam penſius & amabilius habere. Contra illorum inimici iis magnum catalogum errorum fœdorum ſcribere, eoſque quaquaverſum mittere, atque ita omnes iſtos errores recenſere, & confutare, in cathedris ſelliſque academiarum & eccleſiarum coram ſtudioſis ac populo, demum ſua ſponte inclinatis, & cum tanta vis ingrueret, omnino eo delabentibus, ut cuncta perverſe acciperent, deque hominibus illis peſſime cogitarent. Et quo ſecta rite cognoſceretur, & quæ ſumma errorum, quantaque eorum labes ac diritas eſſet, dignoſceretur, inditum hominibus nomen *Pietiſtarum*, ipſique ſectæ *Pietiſmi*, ut quale nomen, quod illi interim homines ſibi virtuti ac laudi duci debere exiſtimabant, hi inimici ſummi criminis atque opprobrii loco, quaſi in hoc uno omnia vitia ineſſent, habendum putabant. Et procedebat eo uſque quorundam livor ac furor, uti, ſi quis, qui Pietiſtæ hi eſſent, & quemadmodum nomen hoc dextere apteque poſſet accipi, exponeret, in hanc quoque ceu plenam vitiis, ac capitis, rem inveherentur. Quale exemplum libelli & carmina devotoria in carmen quatuor verſuum Germanice ſcriptum, quod quia alienum heic eapſe lingua apponere, tum ne bis legatur, vertam & adſcribam Latine.

Quum

Digitized by Google

Quum nomen Pietiſta omnem ſic perſonat orbem,
Quis Pietiſta? Studens noſcere verba Dei,
Et juxta hanc normam vitam emendare laborans.
Illius at quantum hoc, Chriſtiadumque, decus!

Atqui ut homines hi prorſus ſuis characteribus ac formulis deſignarentur, indita porro nomina Illuminatorum, Catharorum, Puritanorum; ſicuti qui impotentiſſimo ſuperbiſſimoque affectu ii eſſent, aut eſſe ſe jactarent, qui ſoli adhiberent lucernam, dum ne ſcintillam quidem cognitionis ac veritatis ederent, & vita tota non modo integri at perfectiſſimi eſſent, cum intra cutem lateret ulcus quod ſuo tempore exeat, ipſique modo publice ſimularent omnia, atque interim in ſuis domeſticis ac ſecretis latebris quibuſvis vitiis ſe inquinarent. Hæc communis omnium opinio & exprobratio atque irriſio, eſſe homines hos Enthuſiaſmi veteris imitatores, aut inventores novi, eſſe utique Quakeros, & horum per omnia doctrinam & inſtituta, omnium complementum hæreſium, ſequi, cum tamen omnes, aut plerique, quænam illa Quakerorum hæreſis & dogmata & decreta eſſent etiam vix ſcirent. Cujus rei etiam teſtis erat libellus Germanicus Speneri, in quo ille vir ſuam cauſam agens, & quantum ad Quakeriſmum, illam de ſe hominum ſuſpicio-

cionem amovens, dum citabat opiniones Quakerorum, eas ſic allegabat, ut, cui nota Quakerorum ſententia, is prima lectione intelligeret (ſalvo viri honore) eum hoc, quod Quakeri volunt, minime cognoviſſe. Tam graviter horum hominum, oneratorum his criminoſis nominibus, facta animadverſa, ut è ſtudioſis, qui ea non dimitterent, iſti qui è re vocabantur alumni Electorales, fructu ſtipendii, alii promotionis ſpe, è viris ſuorum munerum functionibus privarentur, quidam & locis ſuis dimoverentur, qui plerique in ditiones ſe conferebant Electoris Brandeburgici, qui laborantibus hominibus non modo non refugium hoc, ſed neque quicquam, quod iis utile erat, negabat, quin ipſorum præcipuis doctoribus in ſua Halenſi academia locum, ſuam ut quiſque doctrinam ſtudioſis exhiberet, aſſignabat. Jam Horbius bello Gallico, ſi id bellum vocandum ſit, præter fortunas hominum omnes, etiam terras totaſque regiones ad exitium & vaſtitatem vocare, Trarbachio venit Winſhemium ad Nicrum, atque inde Hamburgum, atque illic in Nicolai præficitur paſtor eccleſiæ. Ubi cum eodem ſtudio, cui ſe demum addixerat, pergebat ſuos veram illam docere pietatem, ac ſingulatim in catechiſationibus illius principia juventuti, atque etiam minoris ætatulæ pueris, inſtillare, mox in duorum collegarum, quorum præter cæterorum aures atque oculos offendebat fama ac dignitas Horbii, incurrebat invidiam

ac

ac cavillationem, quaſi Horbius hic quoque odioſa illa Enthuſiaſtarum ac Quakerorum præcepta atque inſtituta adferret. Quæ criminatio mirum, quantopere aucta, poſtquam Horbius inter ſuos catechumenos libellum, non à ſe, ſed ab alio ſcriptum de elementis inſtitutionis Chriſtianæ puerilis diſtribuiſſet. Namque cum è collegis iis, qui ſe Horbio præbebant adverſarios, major (non neceſſe eſt nomen illius viri exprimere, cum volitet dudum per ora cunctorum virorum) ſecum ſtatueret, eſſe libellum ſcriptum à Pietiſta, continuo libellum proſcribit, ut hæreticum, & Horbium deſcribit coram ſuis auditoribus, idque ſuis ornamentis oratoriis, ut doctorem hæreticum, ut Quakerum, ut eum, quem oporteat longe pelli ab urbe. Et ut nihil facilius emittitur, ac difficilius retardatur, nil propius excipitur, & latius diſſipatur, quam hominum de ſuis rectoribus ac ducibus ſiniſtra fama ac mendacium, ita momento temporis, nullo negotio, eadem fama non tantum tota urbe, ſed & regione tota, ſic percrebreſcebat, ut Horbius non alio nomine quam doctoris Quakeriani, internoſceretur. Quin rudis multitudo, & ultima ſors hominum, quidam ſtupida ignorantia, ut ne prima elementa quidem doctrinæ Chriſtianæ poſſent diſtinguere, alii partim ignorantia, partim incomperta autoritate, & cæco ductu aliorum, veluti mancipia, aut bruta animantia; pars cum & ipſi explorare rem ipſam nequibant, metu

ingentis mali, ne id in ſe quoque recideret, ejus quidem initium ad unum ſibi ſuſpicioſiſſimum referentes; denique pars infuſcata malevolentia, aſſueta maledicentiæ & maleficentiæ, Horbium ubique ſibilis ac convitiis excipere, allatrare, perſequi ipſo facto, ut niſi vita ejus fidelitate honeſtorum virorum, illi amicorum, fuiſſet conſervata, ipſi illorum inimicorum furore atque impetu erepta fuiſſet. Quamobrem Horbius, videns ſuam ſpem per tot homines invidos oppreſſam, neque ſibi aliud reſtare, quam pericula, maluit ſuo miniſterio, atque urbe, excedere, cedendoque, quam reſiſtendo, illorum impetuoſos animos frangere. Quanquam ne ſic quidem ceſſatum. Cum enim præter duos illos collegas, reliqui omnes acceſſerant Horbio, erat ex illo tempore infinita contentio & dimicatio inter paſtores illos, qui ſe Horbio oppoſuerant, & eos, qui ab ipſo ſtabant, idque concionibus, libellis, epiſtolis, ſingulis, quantum dicendo, quantum ſcribendo prompti eſſent, certatim oſtentantibus, & victoriam reponentibus in actione poſtrema, donec interventu ac coactu judicii centumviralis, & magiſtratus, ac poteſtatis ſuperioris (præcipuo hujuſmodi hominum ac cœtuum diſcordantium remedio) res eo deducta, ut diſcordia & ſimultas omnis in verbis ſcriptiſque amneſtia, ut vocant, ſit ablata, ac quiſque eorum tam præterita condonaverit, quam omnes boni ſperant futurum. Infandum, tanta hoc

toto

Digitized by Google

toto tempore per univerſam LutheranamGermaniam copia ſcriptorum, in utramque partem, edita, non Latina lingua, exceptis pauciſſimis, ſed Germanica, uti jam tota diſputatio, cujus tot docti viri non poterant invenire exitum, æqualiter committeretur judicio hominum, & peritorum, ac ſui inter ſe ſimilium, & inſcitorum, & vulgarium, & infimatum infimorum, quorum, qui ſic contendebant, ſolent cognitionem, nedum exſpectare, ſed etiam contemnere, & quos ipſos aliâs præ ſe flocci pendebant, quos ne nominari quidem ſecum cupiebant. Inter hæc haut omittendum, Quakeros, alibi conſiſtentes, & ſuarum commoditatum omnium rationes atque articulos quam bene ſcientes ac cuſtodientes, nihil prætermiſiſſe, in quo putabant ſibi aliquid in ſuam quod eſſet rem, eſſe faciendum in hac hominum commotione diviſioneque. Certe ipſis ex hoc tempore in illis locis quandam ſpem fuiſſe injectam, eorumque quandam commotam lætitiam, fieri poſſe, ut exiſterent qui de Quakerorum doctrina benignius judicarent, forte & animos ad eos adjicerent, teſtantur verba epiſtolæ cœtus anniverſarii anno ſuperiori habiti Londini, ſcriptæ ad univerſas Quakerorum eccleſias, quæ hæc erant: eſſe concilio ſpem cogitationemque, futurum, ut Lutheranorum illæ in iis locis inter ſe diſcrepantiæ exeant in majorem veritatis in iis partibus detectionem promotionemque. Cæterum hærebat in Germania genus Pietiſtarum

(ſit

(ſit venia verbo) quaſi triplex. Unum, quod deſcripſi, eorum, qui nil niſi ſinceram religionem ac veram pietatem quærebant urgebantque. Horum per Saxoniam, & Germaniam omnem, pars magna inter eruditos ac probos viros. Aliud illorum erat, qui quidem eccleſiam valde adulteratam eſſe clamabant, & amabant pietatem, verum qui ipſi ab alia parte in fide ac religione non parum vacillabant, aut claudicabant. Et iſti fere illi minus moderati, ac vehementiores in ſuis celebrandis cœtibus inter ſe. Hi accedebant ad ſectam *Weigelianorum* ac ſimilium fanaticorum hominum, enatam ante centum annos, neque illo tempore intermedio emortuam, in Miſnia, cæteriſque regionibus, quibus in mentem veniebat, velut dogma nondum in eccleſia receptum, & tamen neceſſario tradendum, unum univerſis hominibus ſemen quoddam divinum ineſſe, & Deum ac Chriſtum ita ſe infundere in homines, ut ſint unum; proinde hominem fieri Deum, ac Chriſtum; atque ita oportere in ſe colere Deum ac Chriſtum, quæque plura talia. Quæ cum obſcuriſſima aut incomprehenſibilia eſſent ipſa per ſe, aut modo caſſi, ſine ſenſu, ſoni, illi ſuis verborum ambagibus etiam plus involvebant & intricabant. Et hi neſcio quod regnum millenarium, & ſeculum aureum, ſomniabant, & vigilantes exſpectabant, inter cunctos tunc quidem non amplius mortales, in quo regno omnia in priſtinam ſuam ſedem ac ſtatum reſtituantur,

tur, & beati omnibus & ſpiritualibus & corporeis amænitatibus & delectationibus affluant, & è divino ac cœleſti cornucopiæ Spiritus S. quicquid exoptant, ſola expleant cogitatione. Unde cum idem tempus putabant imminere nunc, ita ſuas inſtituebant rationes, ut miſſis Chriſtianorum controverſiis, modo uno animo, mutuis inſtitutionibus, & cohortationibus ad regnum hoc ſpectarent, ac ſe pararent, & omnes homines invitarent, iiſque adducendis incumberent. Tertium erat genus illorum, quos licet appellare *Bohæmios* vel *Teutonicos*, Hi *Jacobum Bohæmium*, illum ſutorem Gorlicenſem Sileſium, dictum Teutonicum, revocabant è mortuis, & tum ejus vere ab ipſo tradita dogmata, tum ei falſo affictos adſcriptoſque errores, quin horrendas & infernales blaſphemias, eruebant, evehebantque omni gloria ac prædicatione. Quod prius quam ediſſero, non puto abſurdum, ſi quid de viri illius Bohæmii doctrina ac ſcriptis ſit habendum, commoneam, idque propter tantam opinionum commemorationumque virorum doctorum de iis rebus varietatem. Scripſerat is atque ediderat Germanice aliquot libellos, in quibus, (quomodo ſibi perſuadebat) multarum rerum ſcitu neceſſarias enudabat intelligentias, ceu fundamenta veræ religionis ac pietatis, verbis obſcuris, ſejunctiſque ab uſitatis notiſque nominibus, ut percipere atque excogitare, quid vellet, ſæpe quis nequiret, quædam promendo de ſuo, nonnulla

quæ

quæ alibi audiverat, legeratve, adjiciendo, quaſi inventa à ſe. Quum autem incideret, quod nunquam non accidebat, in hos illos Germanos, ac nominatim Lutheranos, ſibi virorum doctorum titulum aſciſcentes, neque vero ſegnes ad cognitionis atque ſcientiæ & veri inveſtigandi cupiditatem, ſed & nihil non audentes, & jam tumidos ſua aliorumque de ſuæ eruditionis præſtantia opinione, hi, velut ad Bohæmii accedentes principia, ſed ea adhuc rudia & inchoata exiſtimantes, tanquam quæ ipſe exorſus erat, perficiunt, & è ſuæ ſapientiæ officina multa, verum monſtroſa atque horrenda, ſuperſtruunt, & congerunt, & perſcribunt in libros, & edunt, atque Bohæmium edunt nomen, Germanice, Belgice, Anglice, partim quoque Latine, & probant ac commendant mirificis inſcriptionibus, ſicut libros aureos, & ad verbum ediſcendos, his qui ſectentur Chriſtianam religionem, ac ſuam perennem ament ſalutem. Interim ut cuique judicium liberum, varia erant judicia de ipſis ipſius Bohæmii ſcriptis, aliis moderatum de iis dantibus judicium, & licet quædam levia atque errata, non tamen ullam hæreſin ineſſe cenſentibus, contra aliis ſtatuentibus, ſcripta eſſe maxime hæretica. Quibus addebant alii cuncta conſcripta fuiſſe ab homine, ſi non in mera dementia, at in ſumma mentis ac rationis perturbatione, atque ipſum hoc poſtmodo fuiſſe faſſum, ubi ad mentis ſanitatem rediiſſet, & ſic demum, agno-

ſcen-

ſcendo deplorandoque ſuam inconſiderantiam ac temeritatem, quemadmodum ea revera bis vituperanda, quod ſtulta, & quod infelix, veniam delictorum inter ſuos Sileſios conſecutum fuiſſe. Qua in re quia famam viri valde violatam eſſe certum eſt, neque id, quiſnam ejus in hoc caſus, quis eventus fuerit, porro paucis verbis narrare incongruens reor. Igitur quum tam variæ de viro hoc hominum ſententiæ eſſent, Elector Saxoniæ facit venire Dreſdam, & ſiſtere ſe examini atque judicio aliquot Theologorum, qui poſtquam eum ſerio & attente perquiſiviſſent, & tentaviſſent quid in quoque articulo fidei ſentiret, quidque vellet in ſuis editis opuſculis, non modo de hæreſi abſolvunt, ſed inſuper ſingulare aliquod donum Dei in ipſo agnoſcunt, eumque in pace dimittunt. Quod examen ac factum cum Anth. Weckius, præfectus archivo principis, annis abhinc quindecim in ſua Hiſtoria civitatis Dreſdenſis annotaverat, cumque illud ſuum opus tranſmiſerat Norinbergam, illic ut typis excuderetur ac divulgaretur, librorum cenſores, quibus id jucundius erat, id de Bohæmio non ſciri, & iſtam manere labem dedecoris, quam opprimi, iſtam hiſtoriæ partem de examine hoc Bohæmii & ejus eventu excuſſerunt abſtuleruntque. Verum cum in illa magna diſſenſione ac contentione miniſterii Hamburgenſis, neque illi viri omitterent Bohæmium damnare ut hæreticum, Ph. J. Spenerus, qui benignius de Bohæ-

hæmio judicabat, conſulens viri exiſtimationi, & metuens ne error ſemel hominum animos illapſus diuturnitate ad veritatis ſuſpicionem valeret, & viri famam adhucdum dubiam prorſus violaret, in quodam ſcripto, oppoſito Hamburgenſibus, rem omnem Dreſdæ ita ſe habuiſſe, ut ſcripſerat Weckius, oſtendit & aſſeverat è viſo lectoque ſibi autographo, deprompto ex archivo Electoris, vir ſane fide ac laude digniſſimus. Cæterum Bohæmius revertens in ſuam patriam urbem, cum poſt incommodam valetudinem prope accederet ad vitæ exitum, à paſtore Gorlicenſi ſacra cœna more eccleſiæ Lutheranæ fuit acceptus, & ubi jam naturæ debitum reddidiſſet, juſſu magiſtratus honeſta ſepultura donatus, atque etiam oratione funebri dignatus eſt. Nunc redeo ad eum è quo egreſſus ſum ſermonem. Horum virorum, ita ſcripta Bohæmii, aliorum ſic, aliorum ſecus interpretantium, & interim dum augere atque etiam emendare ſtubebant, fœdiſſime depravantium, fuligo lucubrationum erat hæc (quantum ad ſummam, neque enim quæ ſingularis fuerit differentia; attinet recenſere, uti neque id refert hanc ſpurcitiem efferre per ſe, verum propter eos homines, qui non deſinunt eam efflare, & ſuo ore fœtido hominibus incautis inhalare, & inſpirare; tum propter homines improvidos, ut cum ſemel ſentiſcant, perpetuo oderint ac fugiant) quod Deus unus eſſentia, triplici autem principio, ordi-

ordine ſucceſſivo, ſit ſcaturigo & influentia rerum omnium, nimirum ignis, cui ineſt lumen, intellectus ac ſapientia Dei, qui Filius Dei, & oleum, in quo lumen illud Dei inardeſcit, qui eſt Spiritus ſanctus; quodque hoc pacto cunctæ res ut unæ atque unicæ ſint è Deo, ex propria Dei natura, idque è tribus principiis, quæ principia tria in rerum natura appellantur ſulphur, ſal, & aqua; porro quod Deus omnia creaverit numero, menſura, ac pondere, quæ tum iterum variis divinis deliciis conſiſtant, ſpeciatim in creaturis rationalibus, ut in quibus Deus ſe ipſum creaturaverit, ita ut ſuæ certæ qualitatis particulam in nova centra diſterminet; denique quod homo reſtitutus fruatur elemento lucis gratioſæ, quod elementum eſt ipſe Chriſtus, & ut ei incubet Spiritus ſanctus ad ulteriorem vivificationem. Reliqua addere non eſt neceſſe. Hæc illa virorum cogitata, quæ credo volvendo, neque percipiendo ſcripta Platonica, interpolando, miſcendo, in unius farraginem libelli congeſſerunt. Et hæc, quæ non Chriſtianorum Theologia, ſed, ſi proferatur ab iis, qui putant ſe mentis compotes eſſe, gigantum Theomachia, non ſolum rebus, ſed & verbis incogitabilis atque horribilis, hiſce viris (inter quos tametſi erant quibus ſinciput non omnino erat ſanum, tamen erant ſane bene mentis ſuæ, imo gnavi & docti & induſtrii, his demptis cogitationibus & orationibus) habita, ut quædam maxime ſubtilis ac

Digitized by Google

ſublimis contemplatio ac cognitio Dei, ſi quæquam unquam alia. Hanc illi vocabant myſticam Theologiam. Hanc tanti faciebant, ut niſi quis eam eſſet adeptus, teneretque & profiteretur, eum nil noſſe divinum, qui negaret, eum ſalutis participem nullo modo fore arbitrarentur. Contra adverſarii hanc illorum Theologiam adeo tetram, & dictu quoque terribilem, exiſtimabant, & ſcripta, quæ hi Teutonici condiderant, omnia tam atra mente, neque atramento, at atra bilé, calamo ab cacadæmone diſpoſito directoque, ut nil aliud haberent, quam collectionem ex deliramento & inquinamento cum vocabulis rerum peſſimarum cunctarum, & iſtum qui aſſentiretur cenſerent procul ab omni Chriſtiana communitate ſummovendum & exterminandum eſſe. Unde ſuis hominibus etiam illorum ſcriptorum lectu ipſoque aſpectu interdicebant. Sic illis viris ne quidem conſiſtendi locus in iis provintiis datus. Horum quaſi novorum Pietiſtarum principes & duces & ſigniferi erant quidam doctores Wirtemburgenſes, quorum diſciplina diſperſa non modo inter diſcipulos, qui eos aſſidue audiebant, & ſectabantur, ideoque facile ipſorum dictis inhærebant, iiſque evadebant ſimiles, ſed etiam inter multos alios, qui adhucdum, ducti ſolo pietatis affectu, ſolo Pietiſtarum veniebant nomine, & audiebant ſe ingenue Speneri & Horbii partes ſequi. Utique jam ad Rhenum, & ubi is ſe exonerat in Lupiam, Ve-

Digitized by Google

Veſaliæ, locis intermediis, ad Cliviam, multi, etiam noſtrarum eccleſiarum, hanc myſticam Theologiam, quidam Weigelianam, quidam Teutonicam quoque ita amplecti, tam vehementer colere, tales animos tanto ſtudio fovere, ſeſeque adjungere ad eos, & una congregare incipiebant, ut noſtri haut parum negotii in eo haberent; quo, ne à noſtris eccleſiis digrederentur, eos melius inſtruerent ac erudirent. Et vero quantam per Hollandiam in omnibus Lutheranorum eccleſiis iſti è vetere familia Weigeliani, & è recenti militia Teutonici, ſuis paſtoribus, & aliis bonis viris, moleſtiam & laborem faceſſant, cum id heic locorum facile à quovis cognoſci poſſit, non opus eſt hoc loco narrare. Id non omittendum, quatenus propius accedit ad res Quakerorum. Ex his novis myſticis unus erat *Johannes Jacobus Zimmermannus*, paſtor eccleſiæ Lutheranæ in ducatu Wirtemburgenſi, in ſcientiis Mathematicis verſatiſſimus, & hoc detracto, quod erat ab hiſce erroribus contractum, ac reliquis ſpectatis ingenii virtutibus, adde, & vitæ temperantia, nemini poſtponendus, ſed vero vir nominis celebritate ſatis, ut puto, notus. Qui cum ſibi ſuiſque nil præter periculum ingens videbat ſupereſſe, ſua ſpe vocat & invitat familias de eo genere hominum ſexdecim aut ſeptendecim, uti & ipſi ſpem, etiam dubiam, præſenti periculo anteponant, & relicta patria, cui præcipitanti, ſuo quoque ſummo diſcrimine, eti-

amſi mortem oppeterent, auxiliari ac ſubvenire, ut rebantur, non poterant, relictoque patrimonio, quod ſecum exportare nequibant, demigrent ac ſe conferant in alias mundi partes, & quidem in Penſylvaniam, Quakerorum regionem, atque illic bona ac mala omnia inter ſe ſocient, & earum gentium linguam addiſcant, atque in id connitantur, ut iiſdem gentibus fidem ac pietatem, quam hiſce Chriſtianis non poterant, ſuis ſermonibus & exemplis inſpirent. Hi annuunt, ſaltem, ut explorent, utque iter prætentent, & ſi non male ſuccedat, pluribus præfulciant ac præmuniant. Zimmermannus, adjuncto ſibi collega N. *Koſtero*, viro itidem claro, & iſta morum frugalitate, ut pauci eum poſſent æquiparare, ſcribit ad Quakerum quendam in Hollandia præditum non parva doctrina, & vero magnis opibus, & rara benignitate ac liberalitate in omnes egenos, ſed pios ac honeſtos, ut *dum ſibi ſuiſque ſtet propoſitum, ad gentes illas Americanas* (ſunt hæc verba ipſa epiſtolæ, quam ego nunc habeo) *ex hiſce oris Babylonicis emigrandi, actis ductu divino, & dum omnes opibus mundanis careant, ſibi amici illi nolint deeſſe, velintque ſuppetias ferre in hoc, ut navi inſtructa promoveantur in ea loca, in quibus hoc unum intendant, ut unanimi animo fidem & amorem ſuum in Spiritu gentibus convertendis comprobent, corpus vero manibus ſuis ibidem ſuſtentent.* Tanta hujus viri in hos homines eorumque deſiderium ac ſtudium propenſio, ut continuo omne ſubſidium polliceretur,

tur, & præſtaret, iiſque & de navi accommodaret, & de ſua in Penſylvania portione latiſſima jugera, aſpera quidem & dura, ſed tamen colona, uſque ad bina millia & quadringenta in perpetuum donaret, impoſito jugeratim ſolario annuo necdum unius ſeſtertii Anglici, & pro viatico ac naulo de ſuo deque donis amicorum, ita ut is, omnes homines complectentium amore & obſequio, largiretur pecuniæ pondo ſterlingiana centum atque triginta. Ingens largitio, eo mirabilior, quod is Quakerus adeo effuſus, neque tamen ſuum in hoc nomen effluere ac nominari voluit. Verum ubi viri hi pervenere in Hollandiam, inde ſoluturi recta in Penſylvaniam, Zimmermannus commodum moritur, ſane iis incommodum. At non ſic, quin omnes tamen alacres iter ſuum exequantur, prout dum hæc ſcribo, accipio, veniſſe in locum deſtinatum, & vivere in una domo omnes, atque ſingulis hebdomadibus ter publicos celebrare conventus, & ſedulo in eo laborare, ut quales ſint ipſi, etiam cæcas gentes eſſe doceant, ac ſuis exemplis ſimiles faciant. Tantum de hac commotione ac turba inter Lutheranos, facta non ad hujus duntaxat commemorationem temporis, ſed ad perpetuam illius gentis memoriam. Nunc ita revertor ad Quakeros, ut de ipſorum in alias, tum in remotiſſimas Europæ terras profectione breviter ſim dicturus, atque eo hunc librum atque opus totum concluſurus. Id quod

 prop-

propterea minus libet & licet præterire, quia certum eſt eſſe inter Quakeros, qui horum excurſorum viatorumque facta mirifice, & ore, & calamo quoque extendunt, pene ſupra fidem, non quidem falſo, ſed tamen nimis blanda exiſtimatione de hominum ſuorum laboribus atque ærumnis, exantlatis pro ſua religione, & reportatis ex iis fructibus ac præmiis, nempe ſuæ religionis propagatione & incrementis in iis regionibus. Et fallor (imo fallar) aut proſpicio fore poſt decurſum annorum, ut homines hi, in ſuam gloriam effuſiſſimi, quorum quidam in ſua externa ſimplicitate atque modeſtia turgent fermento faſtus ſpiritualis, ſuorum illorum anteceſſorum, uti quæque dicta oracula, ſic facta miracula habeant, atque ut talia exaugeant, & eoſdem ubique maximas geſſiſſe res, memorabiles in omne ævum, jactent ac glorientur. Paulo quam illi primi emiſſarii abirent in Hollandiam, ac vicinas, & his finitimas oras, Eduardus Burrougius & Samuel Fiſherus *Duynkerkam* petunt, maritimum Flandriæ Gallicanæ oppidum, oſtentum illic hominibus ignorantiam & ſuperſtitionem papalem. At cum neminem, quicum quicquam agere poſſe putabant, reperirent, brevi, nullo deliberandi ſpatio interpoſito, redeunt in patriam Angliam, fugientes quam videbant impendere procellam, ac cum ſuæ religioni prodeſſe non poſſent, extimeſcentes ei ſuo malo magno, ac forte interitu, in aliis rebus deeſſe. Eodem anno Guilj. Catonus *Caletum*, oppidum comitatus

tatus

Digitized by Google

tatus Guinenſis in Gallia ad mare, diſtans Duynkerka milliaribus ſex, adit, eodem animo, quo illi priores, at non ita gnarus linguæ gentis. Unde ingreſſus templum majus, atque omnia contemplans, fremendo, ſed tamen tacendo, loquebatur, ſe novum quendam eſſe hoſpitem, ad extremumque cognito quod eſſet Anglus, abducitur ad ædeis cujuſdam nobilis Scoti, rogatuſque qualiſnam eſſet, ſe qui eſſet, non inficiebatur. Illic cum vir ille nobilis ſe Catono in dicendo præberet interpretem ad populum, Catonus paucis de civium idololatria, ac morum levitate, agit. quo facto, cum quid illi molirentur, ei indicaretur, is ratus, ſibi cavendum, & vitam alii potius neceſſitati moriendi reſervandam eſſe, veluti ſocii iſti, ſubito ac ne puncto quidem temporis inter ſuum ac inimicorum conſilium interjecto, fugit ac repetit Angliam. Solus Georgius Balæus penetravit in *Galliam*, idque ita ut redierit nunquam. Quare quid egerit, quid ei evenerit, ignotum, & dubium, utrum, quod putant Quakeri, alicubi captivus interierit. Poſt hos viros nulli alii hoc propoſito in Galliam ſe contulerunt. Id experimentum ſumebat St. Criſpus in illa immani & plus quam barbara perſecutione univerſæ eccleſiæ Reformatæ in eo regno, inque tot millium hominum diſperſione per alias Reformatas regiones, cujus necdum videmus exitum, ut conſcriberet libellum, eumque mitti ac tradi curaret iis hominibus, ſi forte aliquos

Digitized by

commoveret, ut de ſua Quakerorum religione haut male cogitarent, atque ad eam ſe conferrent. Ejus libelli principium penes Criſpum fuiſſe non dubitandum. Sed quoniam conſcriptus erat Gallice, ut ad Gallos, & Criſpus iſtius linguæ erat ignarus, aut non valde peritus, certum, fuiſſe tranſlatum, & credibile, multum auctum fuiſſe & expolitum ab alio. Neque nefas eſſet exiſtimare, cum ſtylus adeo ſimulet modum ſcribendi illius viri pennigeri, qui adhucdum inter Quakeros ſcriptor eſt electiſſimus, eundem illum extitiſſe artificem. Nil in eo libello de religione. Solum iis Gallis in memoriam redigebat, ut ſecum perpenderent, quas ob cauſas Deus ſineret, tales in eos cadere calamitates, utrumne eæ eſſent ipſorum educatio mollis & mala, & amor rerum mundanarum, & cœca obedientia erga eos, quibus ſuæ conſcientiæ directionem committerent, tum ut id expenderent, iſtæ calamitates, quas tanto cum gemitu patiebantur, cujus boni, cujus in vitæ ſanctitate profectus effectrices eſſeut; poſtremum ut ne contenti ea reformatione, quæ hactenus inter ipſos inſtituta ſit, pergerent atque operam darent, ut hoc opus incœptum totum abſolverent ac conſummarent. Erat autem libellus ſcriptus & orationis & phraſium ac verborum genere longe ab Anglorum, nedum Quakerorum remoto, & ita accedente ad ſcriptionem & methodum linguæ Gallicæ hoc tempore, in quo illa lingua ad ſui nitoris maturi-

ta-

Digitized by Google

tatem pervenit, ut meo judicio quidem nil ſcribi potuerit elegantius atque accommodatius ad ingenium atque habitum illorum hominum. Hunc libellum Quakeri paſſim per regiones, in quas Galli illi ſua patria effugerant, diſtribuebant, gratis, alicubi ad hominum egreſſus è templis. Verum non inventus fuit ullus, quod quidem nos audivimus atque intelleximus, qui hoc libello fuit adductus, uti ſe Quakeris adjungeret. Illud *Heſter Bidlaa* ſibi paulo ante hoc tempus narrat accidiſſe, cui cuivis ut libet licet credere. Adiit illa Angliæ Reginam, beatæ memoriæ, nunquam ſatis laudatæ, queriturque ſibi ut humanæ, ut Chriſtianæ ſummo dolori eſſe, tantum ac tam diuturnum bellum geri inter homines, inter Chriſtianos, & tantas ac tot ærumnas ac clades, quæ quotidie incidunt, ſuum pectus effodere, itaque Reginam hortatur, ut elaboret, ſaltem huc ſua conſilia dirigat, ut bellum illud componatur, atque pax fiat, ita fore, ut grandem gratiam ineat apud omnes. Accepto à regina facillima atque humaniſſima reſponſo benigno, orat porro, ut regina ſibi faciat copiam tranſmeandi in Galliam, dicens velle ſe eadem de re compellare ac monere ejus regni regem, ſtudetque ad id reginæ elicere epiſtolam. Id regina abnuit, & ut hoc agat dis ſuadet, cauſata tale iter ac negotium nimis ei eſſe difficile ac periculoſum. Nihilominus mulier ſua inſtantia ac pertinacia à reginæ ſcriba obtinet commeatum, ac cum etiam breve tempus deſideranti

eſſet longulum, protinus tendit, ac viam varie quærens, venit in Galliam, acceditque Verſalium, & cognito illic adeſſe Jacobum nuperum Angliæ regem, ad hunc primum appellit, ut cui ante aliquot annos ſimili ex cauſa innotuerat, traditque ei epiſtolam à ſe ſcriptam ad Galliarum Regem habentem hanc ſummam verborum: *ſe inſtigante Deo rege ſupremo, hunc illuminante mundum, regem orare, ut pacem faciat cum Deo, & cum nationibus, ſtatuatque tanta fluxioni ac rivo ſanguinis humani obturamentum.* Viſa epiſtola rex Jacobus mulierem amandat ad ducem Aurelianenſem. Ad quem illa accedens exhibet ei epiſtolam, ac ſimul ſibi rege convento ait eſſe opus. Dux de tradendis literis accipit, at negat licitum fore ei cum rege loqui. Ob quod mulier mœrens & ejulans multaſque lachrymas effundens poſtremum erumpit in hæc verba: *datur mihi loqui cum regum rege, quid ni & cum hominum? quod ſi hoc nuntiem noſtro populo in Anglia, credent, quod perſuaſum illic omnibus, Regem Galliæ ita elatum eſſe & inflatum, ut nemini liceat eum alloqui.* Quo intellecto à rege, rex poſt triduum dat veniam conveniendi. Conclave erat plenum principum, marium ac fœmellarum, itemque præſulum. Intrat rex, & conſpecta muliere, compellat, poſito pileo ſub axillam. Illa illene rex ſit rogat. Rex, ſum. Illa, *at quid hoc* inquit, *regem nudo eſſe capite? non id moris regii in noſtra Anglia.* Rex pileum imponit capiti. Sic mu-

mulier ea quæ ſcripſerat in epiſtola coram regē paucis effatur. Cui rex etiam regia ſeveritate & brevitate: *quin mulier, ego cupio pacem, & quæro pacem, & volo pacem; i, & idem hoc edic principi Arauſionenſi.* Ita in Gallia ex invidia & dolore nominavêre Britanniarum Regem Guiljelmum, uſque in hoc tempus, in quo præ timore ſuis phaleratis verbis ac nominibus ejus regiam majeſtatem incipiunt agnoſcere & prædicare; hunc regem inquam, ſic juxta jura divina & humana omnia regem, ut ſi quis regem legitimum ac juſtum vellet deſignare, non melius quam hujus Regis nomine definire poſſet; cum alioquin id nomen Arauſionenſis principis ipſum quoque toto hoc ſeculo, & ante, toto orbe adinſtar regii glorioſum ac venerandum, & hoſtibus tremendum, extiterit. Cum his dictis rex diſcedit, & mulier abit, & nacta à rege literas commeatiles, petit Hollandiam, repetitque inde Angliam, tanto conatu nulla re geſta. Videlicet hæc adhucdum mulier de ſe. Cui in hac re fidem non eſſe derogandam Quakeri putabant, ideo quod narrabatur ab ea, de cujus ſynceritate ac probitate nulla ipſis erat dubitatio; alii vero qui majoris cautionis rem autumabant eſſe, propterea quod mulier coram oſtendebat literas, ſibi traditas, alteras à Reginæ ſcriba, alteras juſſu Regis, & ipſius manu ſubſignatas. Mira quæ hi homines narrant, ac ſcribit nonnemo, viſus ſibi primus ac magnus rhetor inter hos homines, de Samuelis Fiſcheri, Johannis Stubſii,

Jo-

Johannis Perrotti, & Johannis Lovi, miniſtrorum ſuæ eccleſiæ profectione in *Italiam*, indeque Ioniæ minoris Aſiæ *Smyrnam*, tum & aliorum, ut & mulierum quarundam, ulteriori in eas regiones itinere, quaſi, neſcio per quæ ac quam ardua loca, quanta ac quali expeditione rerum pro ſua religione, prorſus tanquam ſi omnes illas luſtraſſent & illuſtraſſent nationes ac gentes. Perſequar ego, qui olim idem illud iter omne ab Italia in Ioniam confeci, hos homines relatu, atque id quod geſtum ab iis, quatenus dignum memoratu, paucis abſolvam, ita & anteacti itineris memoriam repetens, & illius recordans urbis, Smyrnæ inquam, in qua iſta juniori ætate aliquamdiu vixi, & domino Jeſu Chriſto miniſterium præſtiti, ac myſteria diſpenſavi Dei. Ita enim jucundi acti labores, & etiam jucundiſſimum quodque inſuave, ſi non liceat quandoque narrare aut ſaltem meminiſſe. Appellunt illi quatuor viri quos nominavi Etruriam in Italia navi, exeuntque ad portum Herculium ſive Ligurnum, ſive Labronem, hodie *Livorniam*. Illic tradunt quoſdam ſuos libellos gubernatori, qui eos ob id tradit inquiſitoribus cenſoribuſque rerum quæ pertinent ad religionem. qui cum nihil deprehendunt ineſſe quod attineret ad religionem papalem, neque eos quicquam feciſſe, quare jure iis ſuccenſere poſſent, dimittunt. Illi pergunt *Venetias*, & ibi quo-

quoque duci, primum in rep. obtinenti locum, ſuos libellos offerunt, indeque continuis itineribus *Romam* veniunt, eumqve orbem in urbe, & totius Papiſmi compendium, titubanter ac ſtrictim, ut tot rerum ſibi inviſarum tantam congeriem atque immanitatem, vident, viſamque ut malum auſpicium relinquunt, remeantque abſque intervallo requietis unde venerant Venetias. Tum ex eo loco Perrottus ac Lovus navigant omne æquor hoc *Smyrnam*, nullas interim terras, nullos portus, ac ne litus quidem ullum attingentes. Quo cum advenisſent, quoniam in animo habebant tendere Conſtantinopolim, curator Anglus, quem vocant Conſulem, poſtquam id audiviſſet, cum ſecum optime illorum hominum vitam moreſque pertriſtes, neſcios ſe cohibere, ac ſervire temporibus, conſideraviſſet, veritus ne quid erga Imperatorem temere, non ſolum ſui cum malo, at cum gentis Anglorum damno agerent, eos contra ipſorum voluntatem remittit in Italiam. Sic eo cum veniſſent, redeunt Romam. Romæ cum eſſent, Lovus ac Perrottus, cum ex eo, quod ſuam indolem tegere, & regere pro tempore, pro loco, pro hominibus non poſſent, ac flectere ad ſimulationem ac mendacia nollent, qui eſſent, quid cuperent ac ſtuderent, notum eſſet, per inquiſitores conjiciuntur in carcerem. Lovus moritur in carcere, ut viri monachi quidam divulgabant, inedia voluntaria, ut autem poſtmodum monachis virginibus excidit ex ore (ita

ut

ut arcanum retinere difficile, ubi emanat comprimere difficillimum, quo plus celas, quo magis patefit) illata noctu nece. Perrottus aliquamdiu permanſit in carcere, ac poſtmodum emiſſus. de cujus rei cauſa primum varia opinio, at vero deinde non vana ſuſpicio extitit, ipſum loco hoc concluſum in ſuo officio regredi quam progredi maluiſſe, quandoquidem reverſus in Angliam à ſuis Quakeris deſcivit, iiſque ſe palam oppoſuit, etiam alios ſecum abripiens, atque in ſua nova placita ac præcepta abſtrahens. Alii duo injecto metu fuga ſe ſubduxerunt. His virorum juvenis Londinenſis Georgii Robinſonii exemplum ſubjiciam. Is cum nave mercenaria accedit ad ultimum maris mediterranei ſinum Aliaxandretam, atque ex eo loco, ut mos eſt multis eo loci peregrinantibus, utque facilior & compendioſior eſt via, perficit iter verſus locum, quem habent *Hieroſolyma*, ſi quid illic, quod ex uſu eſſet ſuæ religionis, aut videre aut efficere poſſet. Hîc eſſe ſe Quakerum non uno oſtendebat indicio. Quod cum ſacrificulis ac monachis papiſticis relatum, illi in ſuo monaſterio, flagitiorum omnium pariter & officina & tegumento, capiunt conſilium, quo eum inducant in ejuſmodi malum, unde nullus exitus eſſet, finguntque hanc in eum fallaciam. Eſt ea lex inter Turcas, quondam, neque tamen ante tot annos, lata, uti ſi quis Chriſtianus aliquod eorum ingrediatur templum, is morte mactetur, niſi ſi vitam mutatione ſuæ cum

Tur-

Turcarum religione redimat. Quæ lex lata, non ipſorum Turcarum invento, ſed inſtinctu quorundam legatorum ac curatorum Europæorum in iis oris, qui id ſuæ putabant eſſe prudentiæ, ilthoc pacto providere, ne ſuarum nationum ſervitia, nautici, nugamenta hominum, ad omne genus petulantiæ ac nequitiæ conformatorum, aliquem in Turcarum templa aut veſtibula impetum facerent, aut inſolentius ſe inferrent, atque ita ex eo malo alieno malum peſſimum proveniret, atque in univerſam nationem perveniret. Ergo ut adoleſcentem hunc in ſummum atque inevitabile diſcrimen adducant, eo per ſuos dolos ducunt, ut is in ædem ejuſmodi intret. Illic Turcæ capiunt, adductoque interprete, quod genus hominum, conſtans ex Græcis hominibus, nuſpiam non præſto eſt, niſi ſuam religionem Chriſtianam abneget, ac malit amplexari Turcicam, minitantur ſuper fimum ac ſtercus camelinum comburere. Ille mortem eligit. Iſti parant. Advolat officialis Turcicus, certus quid, quo modo, quorum inſtituta aſtutia juvenis deliquiſſet, & clamat, quieſcerent, cunctarentur, viderent quid agerent, edocet rationem totam, ac juvenem moribundum, ac pene exanimem, liberat è faucibus mortis, ac dein ſuam deducit domum, fovetque & recreat, colit, in manibus habet, aliquod tempus, perinde ut gens Turcarum omnis martyres quoſcunque, ſeu conſtantes perſeverante ſque pro ſua religione, ipſiuſque perſe-

ferentes mortis, amant, venerantur, & iſthac obita morte ſempiternis monumentis putant decorandos, ac poſtremum papiſtas & monachos eos depilatos, ſed quibus neque pilus inerat humanitatis, adoleſcentem hunc, at utique virilis ingenii atque fortitudinis, in tutum deducere locum jubet, ni talionem aliamve inſignem vindictam velint incurrere. Hæc virilia exempla æmulatæ quædam, cum mulieres, tum virgines, non muliebri præcipitantia atque audacia, at certo conſilio, ſumpto robore animi, excitaque fortitudine corporis, ſpreto diſcrimine vitæ, veluti ſexum permutantes, mutatæve ex fœminis in mares, quod Plinio non fabuloſum fieri, cujus ſortis L. Mutianus prodidit Smyrnæ puerum à ſe viſum. Nam ita & eæ iter ad eadem loca, eandemque pro annuntiatione propagationeque religionis ſuæ laudem ac gloriam dirigebant. Harum primæ mulieres duæ, *Catharina Evanſia*, & *Sara Chevenſia*, quæ anno ſexageſimo primo Londino per mare iter conficiebant in Italiam, eâ cauſa ut inde navi peterent Alixandretam, atque hinc irent in Judæam. Quæ mulieres, dum in navigatione navis Melitam inſulam annavigant, excedunt navi, atque in inſulam accedunt. Ibi ilico occurſantibus ſuos libellos tradunt, atque interim conſpicantes deſpicanteſque tot ſigna hominum idololatrica cum lingua ac ſermone eorum hominum ſua exprimere ſenſa nequirent (utuntur illi lingua partim Italica, partim Turcica,

cica, partim quoque ſemiformi ac miſcella, ut ab utriſque populis variis temporibus devicti habitatique) ſignis & nutu ac renutu loquuntur. Deinde adductæ ad Inquiſitores, interveniente interprete, facere quæ illi papiſtæ volunt, recuſant, diſputant, ad poſtremum ita ipſorum increpant & aſpernantur cultum & venerationem ac religionem, ut illi Melitenſes has melodas mulieres capiant ac detrudant in vincula, in iiſque detineant quaſi duos annos, ac tum demum ſua inſula ejiciant. Aliæ duæ erant virgines, itidem Anglæ, quarum una poſt nupta civi ac mercatori Amſtelodamenſi bene noto, (neque enim vel hanc vel ſociam neceſſe eſt nominare) quæ ſimiliter ac iſtæ mulieres ea gratia per mare iter fecerant uſque *Aliaxandretam*; verum non ſitæ ibi per Anglorum procuratorem ultra proficiſci, ſic demum multo magnoque mœrore renavigaverunt in ſuam patriam. Aliud exemplum concitatioris & ardentioris animoſitatis muliebris addam, prope nimis magnum, ideoque minus credibile, de quo ergo quiſque ut libitum fuerit opinetur, verum cui Quakeri, qui id accepere mihique tradidere, ſic atteſtantur, ut ſe quidem de rei veritate, cujus alias præter ipſam mulierem hanc, nullus certus index, nullus teſtis, nullus conſcius ac judex, tam parum dicant dubitare, quam ſi coram geſta ſit. Virgo erat Angla. Nomen *Maria Fiſchera.* Hæc non conquieſcebat

Digitized by Google

antequam ipſum Muhammedanorum ſeu Turcarum Imperatorem magnum ipſa adiiſſet, ac de illius religione, deque ſua admonuiſſet. Idem Imperator erat, qui meo, & multo poſt tempore, *Muhammed Han*, ejus nominis quartus, monſtrum hominis, deforme ſpectaculum corpore & animo, ut alterum cum alterius certaret offenſione, niger, ſimo ſive depreſſo ac lato naſo & ore, ſtupidus, fungus, ſævus, ferus, etiam aſpectu, præter reliquas ſui corporis notas infra cilium in mala ſuperiore retinens cicatricem, quam, quod fratrem, ubi ad imperium acceſſerat, ipſe ſuis manibus vellet tollere & obtruncare, acceperat è vulnere & plaga luculenta, ei à fratris cuſtodibus ac defenſoribus illata, teſtem ſuæ immanitate efferatæ mentis. Tametſi quidam hanc rem aliter narraverunt, nempe hujus Muhammedis patrem, quod vaticinia aut oſtenta prædixerant, filium patrem pulſurum regno, conatum fuiſſe hunc filium obtruncare, & interim dum facto huic patris filium cuſtodia eripit, ſignum hoc ſui cogitati facinoris notaviſſe. Libet hoc interponere, non quod ſit multum connexum rei propoſitæ, ſed curioſitatis ergo ob rerum novarum cupidos. Hunc virum virgo hæc ut videat, ut conveniat, ut commoneat ſuæ æquitate cauſæ, cum navi Anglicana contendit Smyrnam. Ea re cognita Anglorum conſul Smyrnæus iſti conſulit virgini, hoc ne agat. Illa perſtat in propo-

po-

Digitized by Google

poſito. Conſul non paſſus, eam ſe tot tantiſque temeritatibus offerre, cum de curſu eo aliter nequibat dimovere, imponit navi quæ vehat Venetias. Illa facultate hac, non voluntate amiſſa, poſtquam ſecundum Peloponeſum ſeu Moream navigant, facit ut in terram adjacentem exeat. Ibi libertatem nacta hanc, neque naturæ conditionem, neque imbecillitatem ſexus reſpiciens, ſola, ignara viarum, ignara linguarum, quo toto meatu plus tuta & intacta eſſet à latronibus, pedibus litus omne omnemque oram maritimam ambulat Moreæ, Græciæ, Macedoniæ, indeque per montes & aſpera loca Romaniæ uſque ad flumen Marizæ, devenit *Adrianopolim*, tunc perpetuam ſedem Imperatoris, eo quod is prorſus inviſus Conſtantinopolitanis, ſimiliter ipſorum fugiebat præſentiam & aſpectum. Præſens erat omnis Imperatoris comitatus & turba infinita, aderatque exercitus Imperatoris, ut tectorum ſatis non eſſet ad tantam multitudinem recipiendam. Felix, ſed neſcia mulier, quod in viros incidiſſet, qui cum veniunt nomine Turcarum, humanitate erga peregrinos haut aliis nationibus cedunt, præſertim ſuperiores ac magnates (quod ipſi non tam intelleximus quam ſenſimus) imo qui adeo mulieres caras inque deliciis habent omnes, ut ſi quis aliquam verbis aut factis offendat, is capitis periculum adeat. Ma-

xima difficultas erat in congreſſu & ſermone cum Imperatore. Atqui ſicut amanti nihil jucundum, niſi quæſitum ac laborioſum, illa inveſtigat omnia, ſpeculatur, cuſtodit, perſequitur, ac poſt multas ſolicitudines, & diſcurſitationes per omnia loca, tandem invenit qui pro ea compellat magnum Vizirium, ſeu præfectum proximum ab Imperatore, eique indicat, eſſe mulierem Anglam, quæ habeat quod nomine magni Dei magnum Imperatorem moneat probe. Is Vizirius erat Ahmet Paxa, per id inter Turcas celebratiſſimus, quod in ea præfectura in ſui patris locum ſucceſſerat, qui honos poſt Viziriorum memoriam, ante eum contigit nemini. Fit Vizirius ille advocatus mulieri apud Imperatorem. Imperator annuit. Illa accedit, comitata Dragmanis, ſeu interpretibus Imperatoris. Heic quid mulier illa locuta fuerit, nunquam quivi cognoſcere. Imperator poſt audientiam mulierem jubet abire, imperatque deduci Conſtantinopolim, ut illinc ſuam repetat patriam. Hæc mulier, reverſa ad ſuos Quakeros, his ſolet narrare, nullius aut comprobante aut confutante notitia. Et hæc eadem illa virago, quæ cum Anna Auſtina prima cunctarum mulierum prædicatum ſuam religionem excurrit in novam Angliam, quæque ob tantam dotem, præterquam animi atque in-

Digitized by Google

ingenii, etiam uſus atque experientiæ, digna viſa, quam Guilj. Balæus, concionator in gente Quakerorum magni nominis, duceret in matrimonium, uti principio hujus libri tradidi, ut ita quod libri hujus fuit initium, idem & hujus libri, & totius operis, ſit finis.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

MEN-

Digitized by Google

MENDA GRAVIORA,

Quæ partim per abſentiam auctoris, partim poſt accuratam ac iteratam correctionem, incuria atque imperitia typothetæ, remanſerunt, & irrepſerunt, ſic emendanda.

Pag. 3. lin. 21. *lege* indicio. p. 8. l. 26. reantur. p. 13. l. 6. adeoque. p. 16. l. 9. eventis, *adde* & caſibus. p. 23. l. 20. accreſcere. p. 24. l. 28. duntaxat. p. 39. l. ult. at. p. 40. l. 19. quadam. p. 53. l. 11. reficiendi. p. 54. l. 5. quos. p. 70. l. 21. pugilice. p. 77. l. 16. proſequi. p. 78. l. 19. præferentes. p. 85. l. ult. abdicet. p. 91. l. 3. nedum. p. 92. l. 4. quam. p. 94. l. 21. eos. p. 116. l. 1. horum *adde* hominum. Ib. l. 2. modo. p. 118. l. 19. 20. homines, Deum. p. 138. l. 8. quidam. p. 148. l. 3. *à fine*, operto. p. 187. l. 7. de *lege* morte Caroli II. & de- p. 213. l. 4. vocari. 231. l. 23. permittebatur. p. 237. l. 3. pertumultuoſe. p. 245. l. 22. interminari, *adde* ac. p. 247. l. 1. pervertere. p. 249. l. 5. ac. p. 278. l. 14. eo. Ib. l. 16. ea. p. 291. l. ult. laudabatque. p. 310. l. 3. miniſtros. p. 314. l. a f. 3. ac. p. 324. l. 21. *dele* punctum, & *lege*, repugnare. p. 355. l. 17. captare. p. 356. l. 2. a f. gnaviter. p. 359. l. 5. parœcia. Ib. l. 15. parvum. Ib. l. 16. *dele* &. p. 360. l. 3. a f. multatitiarum. p. 361. l. 13. negotiariorum. p. 362. l. 9. *lege* & fieri Ib. l. 10. feciſſet. p. 363. l. 19. ac. Ib. l. 20. cognito. p. 368. l. 22. præteriret. p. 372. l. 3. a f. admiſſis. p. 378. l. a f. 3. opinatio. p. 379. l. 24. deciderat. p. 380. l. 4. *pro tertio*, *lege* quarto. p. 382. l. 9 earundem. Ib. l. ult. timuiſſet. p. 383. l. 24. promotioni. p. 384. l. 13, *lege* omnia plerique fere. p. 390. l. 9. diem. *adde* Imminutio legum pœnalium in Anglia. p. 427. l. ult. regem. p. 458. l. 9. breviarium. p. 459. l. 15. fæce. p. 474. l. 15. Withadus. Ib. l. 24. diſperditionemve p 557. l. 2. amœnitatibus. p. 562. l. 19. lectione. p. 576. l 15. fieri. *Errata in interpunctionibus, & accentiunculis ſeu notis, Lector corriget per ſe.*

Digitized by

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google